



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Collegium Universi Juris Canonici

Engel, Ludwig
Salisburgi, 1693

Liber I. Decretalium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61596)

LIBER I. DECRETALIUM.

TITULUS I.

De Summa Trinitate & Fide Catholicâ.

SUMMARIÂ.

1. *Autoritas S. Scripturae & sensus Ecclesiae de SS. Trinitate.*
2. *Pater cur prima persona?*
3. *Filij Generatio duplex.*
4. *Filius quo sensu alibi à Spiritu Sancto, & alibi à tota Trinitate incarnatus dicatur?*
5. *Spiritus Sanctus vivificans, & ex Patre Filioque procedens.*
9. *Fides Catholica qua?*
7. *Verba Sacra Scripturae non applicanda ad vans, scurrilia & impia.*
8. *Libri non imprimendi sine nomine auctoris, & licentia Ordinarij.*
9. *Ad Professionem Fidei qui teneantur.*
10. *De obligatione cujuslibet hominis circa internam vel externam fidei confessionem, remissive.*
11. *Transiens per loca hereticorum cum periculo an possit in die jejuniij vesci carnibus?*



Sanctissima TRINITATE, Fonte & origine omnis sapientiae, & iustitiae, scientiam Juris Canonici, & titulos auspiciamus, atque à cujus divinissima gratia accepimus, ad Eiusdem honorem, & gloriam referimus, illius humillimè implo-ramus auxilium, illi consecramus labores.

Porrò Mysterium Sanctissimae Trinitatis prolixius tradere, ad Theologiam Speculativam pertinet; Eius immensitatem capere, supra humani intellectus caliginem, & angustias est, neque in ullius rei, quam huius omnino altissime, ac difficillime notitia, ac explicatione (ait Cathec. Roman. Pij V. c. 3.) *sunt periculosius versari, aut gravius errare possimus: qui enim scrutator est Majestatis, opprimetur à gloria. Proverb. 25. & 27. Captivemus igitur intellectum nostrum in obsequium fidei, & credamus, Trinitatem unius, & individuae substantiae esse; idque ex Divino Evangelij Oraculo Matth. 28. *Ite docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Joan. 10. Ego &**

Pater unum sumus, juncto e. 16. Omnia quaecunque habet Pater, mea sunt; propterea dixi vobis, quia Spiritus veritatis de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Item Epistola I. Joan. c. 5. Tres sunt, qui testimonium dant in Caelo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt. Credamus, quod sancta Mater Ecclesia à Sancto Spiritu omnem veritatem edocta in Conc. Lateran. quod habetur in c. 1. hoc tit. confitetur, & declarat, hanc sanctissimam Trinitatem secundum communem essentiam individuae, & secundum personalitates proprias distinctam esse. PATREM à nullo, FILIUM à PATRE genitum, & SPIRITUM SANCTUM ab utroque procedentem, consubstantiales, coaequales, coomnipotentes, & coaeternos, unum universorum visibilibus, & invisibilibus, corporalium, & spiritualium principium.

PATER *prima persona* dicitur, non quòd in TRINITATE aliquid majus aut minus, prius aut posterius tempore sit, sed quòd ipse sit principium sine principio, FILIUM ab aeterno generans.

3 **FILII** nativitas, seu generatio duplex est: una (circa quam nihil terrenum aut mortale cogitandum) secundum *Deitatem*, quā ab aeterno, & ante omnia secula Deus de Deo ex PATRE natus est ejusdem naturae, potestatis & sapientiae cum PATRE. Nativitatem istam licet potius sanctā fide credere, quam perfecte intelligere valeamus, *generationem enim ejus quis enarrabit? Esa. 53.* pro humana tamen capacitate aliquantulum adumbrare possumus per illam similitudinem, quae ab animi nostri cogitatione sumitur, ut enim mens nostra se ipsam quodammodo intelligens sui effingit imaginem, quam Theologi *verbum mentis* appellant, ita Deus (quantum tamen divina humanis conferri possunt) se ipsum intelligens *Verbum aeternum* generat, & inde in Evangelio *Joan. 1. Verbum fuisse apud Deum, & Deus Verbum. & Verbum incarnatum*, dicitur. Altera praeterea Nativitas FILII est, quā propter nostram salutem de caelo descendens, divinam ac humanam naturam conjungens, *incarnatus de Spiritu Sancto, & homo factus est*. Cum enim homines omnes in praevicatione Adae innocentiam perdidissent, facti, ut Apostolus *ad Ephes. 2. v. 3.* inquit, *natura filii irae*, sub potestate diaboli, & mortis, misit caelestis Pater misericordiarum Filium suum multis ante temporibus sanctis Patribus in veteri Testamento promissum ad hominum redemptionem, & viam vitae aeternae demonstrandam.

4 Quod verò FILIUS in symbolo fidei tantum a Spiritu Sancto, & in dicto *c. 1. hoc tit.* communiter a tota Trinitate incarnatus dicatur, ita intelligendum est, quod licet omnes Divinae TRINITATIS Personae concurrerint secundum Christianae fidei regulam: *quod omnia, quae Deus extra se in rebus creatis agit, tribus personis communia sint, neque una vias, quam alia, aut una*

sine alia agat; sacrae tamen literae earum rerum, quae omnibus tribus personis communes sunt, aliam aliis tribuere soleant, ut rerum omnium potestatem PATRI, sapientiam FILIO, amorem SPIRITUI SANCTO, & idem cum Divinae Incarnationis Mysterium imensum Dei erga nos amorem ostendat, hoc opus cooperante totā TRINITATE factum, peculiaris amoris consideratione SPIRITUI SANCTO adscribitur.

5 Tertia ergo in Trinitate Persona est SPIRITUS SANCTUS, ab inspirando, vel quod Spiritualem vitam (unde in symbolo fidei *vivificans* dicitur) in nos infundat, sic appellatus. Hunc Deum esse, atque unius cum PATRE & FILIO substantiae, praeter loca scripturae superius allegata aperte probat illud *Act. 5. v. 3. Cur tentavit Satanās cor tuum, mentitus es hominibus, sed Deo.* Item *1. ad Corinth. 12. v. 6.* ubi Apostolus *divisiones, inquit, operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur; & mox v. 11.* subjungit; *haec autem omnia operatur unus atque idem SPIRITUS.* Praeterea in Symbolo fidei SPIRITUM SANCTUM à PATRE & FILIO procedentem credimus; quod iterum ex sacris literis manifestum redditur, in quibus SPIRITUS SANCTUS interdum *Spiritus Patris* vocatur, interdum *Spiritus Christi*, & modò à PATRE, modò à FILIO mitti dicitur *ad Galat. 4. juncto cap. Matth. 10. & cap. 15. Joan.*

6 Circa alteram partem Rubricae, quae de *Fide Catholica* inscribitur, breviter adnotandum est, quod *Fides Catholica* dicatur, quam Ecclesia Catholica (id est, universalis) Romana, cujus caput est Romanus Pontifex, Vicarius Christi, & D. Petri successor, nobis proponit, estque teste D. Paulo *ad Hebr. 11. v. 1. sperandarum substantiarum, argumentum non apparentium.* Haec continetur partim in Sacris Scripturis, sive

sive libris Bibliis: partim in Traditione & definitione Ecclesie: quoniam vero Scripturae & libri Biblii haberi debeant pro Sacris, Canonicis & Authenticis, declaravit Concilium Tridentinum *sess. 4. de Canon. Scrip.* ubi etiam *in ead. sess. in Decret. de edit. & usu Sac. lib.* severè prohibet sub poenis juris, & arbitrariis per Ordinarios infligendis, ne quis publicè aut privatim Sacram Scripturam contra communem Ecclesie sensum interpretari audeat, aut verba Sacra Scripturae ad scurrilia, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superflitiones, impias & diabolicas incantationes, divinationes, forces, libellos famosos &c. applicare vel usurpare præsumat.

8 Item ne quicumque libri sine nomine Authoris, atque approbatione Ordinarij, quæ in scriptis, & gratis detur, in principio, vel sine libri, apponenda imprimantur; Regulares vero ultra approbationem Ordinarij etiam licentiam suorum Superiorum impetrare teneantur.

9 Præterea ex Conc. Trid. *sess. 24. de Ref. c. 1.* professionem fidei Catholica facere teneantur promoti ad Episcopatum. Atque *in ead. sess. 24. de Ref. cap. 12.* statuitur, ut *provisi de beneficiis quibuscunque curam animarum habentibus à die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses in manibus Episcopi, vel, eo impedito, coram Generali ejus Vicario, seu Officiali orthodoxæ suæ fidei publicam faciant professionem, & in Romana Eccl. obedientiam se permansuros spondeant, ac jurent.* Provisi autem de Canonicis, & Dignitatibus in Ecclesijs Cathedralibus, non solum coram Episcopo, seu ejus Officiali, sed etiam in Capitulo idem facere teneantur: alioquin prædicti omnes provisus fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur.

Quibus Concilij Constitutionibus Pi-

us IV. in bulla: *Injunctum.* & Pius V. in bulla: *In sacrosancta.* addidit, ut eadem fidei professio etiam fieret ab illis, qui de Monasteriis, Conventibus, domibus, & aliis quibuscunque bonis Regularibus, quorumcunque Ordinum etiam militarium, quocunque nomine, vel titulo providerentur. Item ut ad hanc fidei professionem teneantur omnes Doctores, Magistri, Regentes, & alii cujuscunque artis & facultatis Professores, sive Clerici, sive Laici, vel cujuscunque ordinis Regulares sint, qui docere, vel promoveri voluerint, *Declarat. Card. ad d. sess. 25. Trid. c. 1. Zyp. in Anal. h. t. n. 1.*

Qualiter verò & quando quilibet homo 10 vel Christianus obligetur ad internam, vel externam fidei confessionem? vid. D. Th. 2. 2. q. 1. & seqq. Sanch. lib. 2. Mor. c. 3. & seq. Paul Laym. in Theol. Mor. lib. 2. tract. 1. c. 9. & seqq. ubi etiam cap. 11. docet, quod quamvis nullo casu licitum sit, externâ voce, aliove signo veram fidem negare, aut falsam profiteri, juxta illud Matth. 10. 4. 33. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo;* præceptum tamen de facienda positiva externa fidei confessione esse ex præceptis affirmativis, quæ regulariter obligant quidem semper, sed non ad semper: ideoque ex gravi causa, & imminente periculo, ac ubi ex fidei professione nulla speratur securura utilitas, sed magis perturbatio, licitum esse quandoque fidem tacere, & dissimulare. Atque n. 5. inter alia exempla ponit de transeunte cum periculo loca hæreticorum, & de vescente carnibus in die 11 jejunii, si talis comestio ab ipso non petatur expressè in contemptum fidei: alias enim comedere carnes actus indifferens est, & præceptum Ecclesiasticum abstinendi in die jejunii, tanquam humanum, non obligat cum tanto periculo. Cætera quoque, quæ ad fidem

fidem Catholicam, & auctoritatem Universalis Ecclesiae, Romanique Pontificis spectant, ad Theologiam & Controversias fidei, item ad alios Titulos juris Canonici, ubi de administratione Sacramentorum, de Majoritate & Obedientia, de Hæreticis &c. agemus, remittimus.

TITULUS II.

De Constitutionibus.

§. I.

Quid, & quotuplex sit constitutio, ac quamnam ejus causa?

SUMMARIA.

1. Quid & quotuplex Jus naturæ?
2. Quid & quotuplex jus gentium?
3. Quid lex positiva?
4. De Lege Divina.
5. Leges Veteris Testamenti quales, & an etiam hodie obligent?
6. De Lege Divina Novi Testamenti, & Epistolis Apostolorum.
7. Quid Lex humana positiva & quotuplex?
8. De conditionibus, & causis legum humanarum.

Constitutio, à constituendo, sive statuendo dicta, in sensu ordinario solum legem positivam & scriptam denotat, & non nisi valde impropiè *Jus naturæ*, vel *Consuetudo* constitutio diceretur. Est enim *Jus naturæ*, inquit Ihd. in c. 7. dist. 1. *communis omnium rationum. ex instinctu naturæ, non constitutione aliqua procedens.* Et *Consuetudo*, quæ non de statuto, sed moribus solum tracta est. c. 4. c. dist. 1. Quia verò in constitutionibus frequens *Juris naturalis* mentio fit, & pleræque leges, ac constitutiones in Jure naturæ fundamentum aliquod habent, ideo prænotare oportet, hoc *Jus Naturæ* dividi solere in *Primævum* & *Secundarium*. *Primævum*, sive *materialiter sumptum* est, quod na-

tura omnia etiam bruta animantia docuit, ut maris & fœminæ conjunctionem, proli educationem, contra violentiam defensionem &c. *Secundarium* autem, quod à ratione dependet, & hominibus proprium est, uti sunt liberorum hereditaria saltem in legitima successio, pactorum & contractuum observatio, alieni injusti damni evitatio. Unde non ineptè Gratianus in *primis. dist. 1.* summam juris naturalis in illo Evangelij præcepto *Matt. 7. v. 12.* contineri aserit, quo *quisque jubetur alii facere, quod sibi vult fieri. & prohibetur alii inferre, quod sibi nolit fieri.* Dummodo ea interpretatio adhibeatur, ut illa voluntas, quæ sibi quis vult aliquid fieri, vel non fieri, sit secundum rectam rationem, & circa talem rem, in qua quis, si casum in propriâ suâ personâ fingeret, debitum justitiæ agnosceret; non verò ex inordinato affectu, vel habendi cupiditate. E. g. debeo Titio centum ex mutuo, quod ille, quia nullum habet à me chyrographum, probare non potest, cogito, an teneam solvere? Invertam casum, & ponam Titium mihi debere mutuum, quod probare nequeam, mox dictabit naturæ instinctus, quid vellem mihi fieri, quod justum & æquum sit, ergo idem in eodem casu, & iisdem circumstantiis faciam alteri &c. Aliud est, si cuperem à Titio mihi donari centum, non ego propterea teneor Titio donare centum, quia hæc voluntas circa alterius bonum cum damno ejus, vel non est secundum rectam rationem, vel per se clarè constat, quòd non habeat materiam debiti & obligationis. Unde etiam Lex naturalis apud Theologos *recta hominis conscientia & participatio quædam Legis æternæ in creatura rationali* convenienter appellatur.

Porro Jus naturale *secundarium* etiam *Jus gentium* vocatur, quòd omnibus gentibus inditum sit. Hinc in Jure obligationes

ex contractibus, item modi acquirendi, qui habentur in *lib. 2. Inst. tit. 1. promiscue* & Juris naturalis, & gentium dicuntur. Sed & *Jus gentium* dividi solet, quod aliud sit *Primum*, aliud *Secundarium*; sive aliud *rationis*, & aliud *ratiocinationis*. Jus gentium *Primum* & rationis est ipsum Jus naturale *secundarium*, sive illa ratio æquum ab iniquo dijudicans à natura, sive Deo Authore naturæ hominibus infusa. Jus verò gentium *Secundarium* est, quod ex ratione non simplici, sed *ratiocinata*, & per discursum practicum necessitate hominum ita exigente introductum est. Quo pertinere videntur ea, quæ referuntur in *c. Jus gentium. p. dist. 1.* nimirum *sedium occupatio, munitione, bella, captivitates, postliminia, Legatorum non violandorum Religio* &c. Similiter quæ ponit *JC. in l. ex hoc jure. s. ff. de l. & l. Ex hoc jure gentium*, inquit, *introducenda bella, disceptationes gentes; regna condita, dominia distincta; agris termini positi, aedificia collocata; commercium, emptiones, venditiones, locationes, conductiones, obligationes instituta; exceptis quibusdam, quæ à jure Civili introductæ sunt.* Unde consensus & obligationem ex contractu *Jure naturæ & gentium* *primario* stringere, modum autem contrahendi *Jure gentium secundario* introductum, stipulationem verò, & literarum obligationem, item & præscriptionem juris Civiles inventum esse dicimus. Et hoc jus gentium non tam constitutionibus, quam consuetudini, & mori, sive usui hominum annumerandum est: nisi quod multa, quæ juris naturæ & gentium sunt, lege etiam positiva, & constitutione Imperatoriâ, vel Pontificiâ confirmantur.

Plurimum autem interest, sitne aliquid præcisè Juris positivi humani, vel etiam Juris naturalis. Nam quæ juris naturæ sunt, contrariâ institutione, vel consuetudine ab

rogari nequeunt, *g. sed naturalia. rr. l. de l. N. G. & C. c. ult. de Consuet.* Secus verò illa, quæ Juris tantum humani sunt, *c. i. hoc tit. in 6.* Quod verò *Ulp. in l. Jus Civile. 6. ff. de l. & l.* dicit, juri naturali à jure Civili addi & demi posse: non intelligendum est eo sensu, quod pro arbitrio jus naturale abrogari valeat, sed quod *Legislatores* propter certas circumstantias in materia, vel objecto possint declarare hunc, vel illum casum sub præcepto juris naturalis non comprehendi: v. g. præscriptionem sub illo præcepto, *ne quis cum damno alterius locupletetur*; eò quod hoc præceptum tantum intelligatur *de injusta locupletatione*, præscriptio autem propter publicam utilitatem, & ad incertitudinem dominiorum, ac copiam litium evitandam non sit *injusta*. Item quæ Juris naturæ sunt, semper in conscientia stringunt, *d. c. ult. de Consuet.* Leges verò humanæ quandoq; solum in foro externo, non interno obligant, ut si merè pœnales, si in falsa præsumptione fundatae sint &c. quæ de re inferius in *g. 3.* plura tractabimus.

Lex *positiva* est constitutio scripta, ait *Isidorus in c. 3. dist. 1.* unde & secundum aliquos Lex à *legendo*, cum *in scriptis* proponatur; vel secundum alios à *ligando*, quod populos *liget*; aut à *eligendo*, quod sit electa vivendi norma, denominatur. Nam cum effrœnata hominū cupiditas in vitia & jurgia prona sit, ideo legem dare necesse fuit, ait *Pontifex in proem. Decret.* ut appetitus noxius sub juris regula limitetur, per quā genus humanum, ut *honeste vivat, alterum non ledat, jus suum cuiq; tribuat*, informetur.

Est autem constitutio *positiva* duplex, *4* *Divina* & *Humana*: *Divina*, quæ à Deo lata est; & hæc rursus subdividitur, quod alia sit *Veteris*, alia *Novi Testamenti*. Inter Leges veteris Testamenti denuò discrimen est constituendum: alia enim sunt *Ceremoniales*, alia *Judiciales*, & alia *Morales*.

C

Cere-

Ceremoniales sunt, quæ ad cultum Divinũ & ritus sacrificiorũ Judaicorum pertinent: *Judiciales*, quæ circa causas judiciales & debitum ordinem, ac æquitatem in populo Judaico servandam præscriptæ erant: *Morales*, quæ ex dictamine & instinctu nature procedunt, uti sunt Decalogi præcepta.

Leges *Ceremoniales*, & *Judiciales*, quia vel specialiter pro gente Judaica, eorumq; moribus latæ, vel præfigurativæ Christi, & *umbra futuri luminis* erant, per Adventum Christi, & veri luminis disparuerunt, & vim obligandi amiserunt, ut ex D. Paulo ad Gal. 3. & 4. satis probatur, & docent Interp. communiter ad cap. un. de Purif. post partum. Imo *Ceremonialium* legum observatio non tantum mortua, sed etiam mortifera & interdicta est Christianis. *Judiciales* verò licet ex se non obligent tempore gratiæ, propter moralem æquitatem tamen, vel honestatem possunt etiamnum hodie vel constitutione, vel consuetudine introduci c. 1. de Homicidio. c. 1. & seqq. de Injuriis. Illæ quoque leges *Ceremoniales*, quæ non tam mysteria nascituri Christi præfigurabant, uti sunt immolatio Agni, circumcisio &c. quam potius ad devotionem, & cultum Dei decenter peragendum pertinebant, veluti vestes Sacerdotales &c. etiam in nova lege per Ecclesiam repeti possunt, ita tamen, ut non ex Lege Divina, sed Ecclesiastica obligent.

Moralia præcepta veteris Testamenti adhuc vim habent, & perpetuò habebunt, non tam ex auctoritate veteris Legis, quam ex eo, quòd sint à natura ipsa instituta, & à Christo in Evangelio passim præcepta, & *mandata servare* jubente repetita. Demum aliqua sunt leges *Mixtæ*, quæ partim sunt *Ceremoniales* vel *Judiciales*, & partim *Morales*, cujusmodi sunt *Decimæ*, quæ quoad quantitatem, scilicet decimam partem, legibus *Judicialibus*, quoad congru-

am sustentationem ministrorum Ecclesiæ *Moralibus* rectè annumerantur, ut infra ad Tit. de Decimis. n. 2. dicitur. Item *Sabbathi sanctificatio*, quæ quoad diem Sabbathinum, qui aliquibus saltem diebus soli Deo debetur, *moralis* est. Istæ leges *Mixtæ* non obligant quidem hodie ex Jure Divino, in quantum sunt *Ceremoniales*, vel *Judiciales*, sed in quantum sunt *Morales*, quæ de re videri poterit Cov. Variar. Resolut. l. 1. c. 17.

Leges Divinæ novi Testamenti sunt, 6 quæ à Christo Domino circa Fidem, Sacramenta, & Sacrificium constitutæ sunt, atque ab ipso, vel ab Apostolis promulgatæ. Circa epistolas & scripta Apostolorum advertendum est, quòd illa tantum ibi contenta sint Juris Divini, quæ talia esse ex verbis Apostolorum sufficienter colligi potest, v. g. si Apostolus dicat: *Ego accepi à Domino, Dominus ordinavit. &c.* Cæterum verò ipsi Apostoli tanquam suo tempore Primates, & Antistites Ecclesiæ multa separatim à præceptis Divinis pro rationabili fidelium directione, sicuti hodie solet SS. Pontifex, & Episcopi, statuerunt. Ita præter Canones Apostolorum exemplum est in Epistola I. Pauli ad Tim. c. 3. & ad Tit. c. 1. ubi Apostolus prohibuit ordinari Episcopum, vel Presbyterum, qui sit *Bigamus, criminosus, percussor*, & tamen id solum pro lege Ecclesiastica agnoscitur, & idèò in bigamia summus Pontifex, in criminibus non valde enormibus post peractam poenitentiam aliquando Episcopus dispensare potest, c. & si Clerici. 4. §. de adulteris, de Judiciis. Hen. Zoël. ad tit. de Bigamis non ordinand. n. 14.

Lex humana positiva describi potest, 7 quòd sit, *rectè agendorum ratio à publica potestate communitati denunciata cum voluntate eam perpetuò obligandi.* Dividitur in *Ecclesiasticam* & *Sacularem*.

illa

illa à potestate Ecclesiastica, hæc à Magistratu seculari descendit. Utraque subdividitur in *Generalem & Particularem*; *Generalis*, quæ ordinario nomine Legis, vel Canonis appellatur, est illa, quæ à summo Pontifice, vel Principe Ecclesiastici, vel secularis status lata univèrsim in totâ Ecclesiâ Catholicâ, vel toto Imperio obligat: *Particularis* verò, quæ communiter *statutum* vocari solet, ab inferioribus Episcopis, aut Prælatibus, vel Principibus superiorem recognoscentibus proficiat.

Dixi I. Legem esse, *rectam agendorum rationem*; quibus verbis causâ *materialis*, & *finalis* legum insinuat, *Er it enim Lex*, ait iterum *lucidior in cap. 2. dist. 4. honesta, iusta, possibilis, secundum naturam, secundum patriam consuetudinem, loco, temporisque conveniens, necessaria, utilis*, nullo privato commodo, sed pro *communium civium utilitate conscripra*. In dubio autem, si de manifesta legis injustitia non constet, sicut alias mandatum superioris præsumitur iustum, ita etiam à subditis lex iusta censeri debet, licet fortassis aliqua rationes in contrarium opponi possent: cogitandum enim, à prudente Legislatore inter diversa rationum momenta ad tollendam ambiguitatem, & disputationis materiam illa selecta fuisse, quæ pro Republica utiliora visa sunt: *Cor enim Regis in manu Dei est*, & per *sapientiam Divinam Reges regnant*, & *legum Conditiones iusta discernunt*. Prov. 8. Unde & D. August. *in c. in istis. 3. dist. 4. In istis temporalibus legibus*, inquit, *quamquam de his homines judicent, cum eas instituant, cum tamen fuerint instituta, non licet iudici de ipsis judicare, sed secundum ipsas*. adde textum in L. non omnium. 20. cum L. seq. ff. de Legibus.

Dixi II. à *publicâ potestate*: ex quo causa *efficientis* legum colligitur; nam in statu

Ecclesiastico, & circa spiritualia, ac ecclesiastica negotia nunquam potestas legem ferendi penes privatos, & populum fuit: in statu autem seculari & veteri Imperio Romano populus quidem auctoritatem leges, & plebiscita faciendi habebat, *c. 1. & 2. dist. 2. de quibus 32. ff. de LL.* postquam verò populus sibi Reges, & Imperatores contulit, omnem illam auctoritatem à se abdicavit, & Lege Regi in Principes suos transtulit. L. 1. ff. d. *Constit. Principum*.

Dixi III. *cum voluntate eos obligandi*, quibus verbis *forma*, & *affectus* denotatur: ad formam enim legis pertinet, ut Legislator per apta verba declaret mentem suam, quòd non tantum consulendo, vel suadendo aliquid dicat (quale consilium necessariam obligationem non habet, nec transgressores ejus regulariter peccatum, vel poenam incurrunt) sed jubendo & præcipiendo, & ita quidem clarè, ne Lex per obcuritatem captionem aliquam contineat, *d. c. 2. dist. 4.* Cum autem circa causas præsertim *materialem & efficientem* plurâ adhuc notatu digna occurrant, sit

§. II.

De Causa materiali & efficiente Legum.

SUMMARIÆ.

9. Quales actus virtutum possint per legem præcipi?
10. Quæ possint prohiberi?
11. Permittuntur quandoque injusta.
12. Lex prohibitoria habet saltem poenam arbitrariam.
13. Delicta quædam mixti fori.
14. Actus interni & occultii qualiter possint esse materia legum.
15. De causa efficiente legum.
16. S. Pontifex circa salutem animarum Legislator universalis, & quid circa Judæos, Gentes, & hereticos?
17. Concilia quotuplicia, & de eorum potestate legislativa.
18. Episcopus in sua diocesi an possit id, quod Papa in Ecclesiâ?

19. *Quæ non deus potestas Episcopis statuendi contra jus commune Ecclesie, & tamen valeat consuetudo?*
 20. *De Legatorum statutis.*
 21. *De statutis Capitulorum sede vacante, eorumque revocatione.*
 22. *De statutis Capituli cum juramento.*
 23. *De statutis Ordinum Regularium.*
 24. *Reformatio Ordinis an ab omnibus professio acceptanda?*
 25. *Conventus & Capitula inferiorum Ecclesiarum an habeant potestatem statuendi? alia Summaria sub §. 3.*

Cum legis virtus sit imperare, vetare, permittere, & punire, teste Jurisconsulto in l. 7. ff. de LL. idem legum debet esse materia, quæ justè imperetur, prohibeatur, vel permittatur.

9. Possunt igitur imprimis præter actus justitiæ, & ut suum cuique reddatur, etiam opera aliarum virtutum, ut Temperantiæ, Continentiæ, Religionis &c. & quæ ad has virtutes consequendas, tanquam media sunt, ut certarum dierum jejunium, decens in vestitu incessus, concionum & Missarum frequentatio, imperari, & præcipi, dummodo virtutes non sint tales, quarum sectatio populo sit nimis ardua, & difficilis, prout forent actus consiliorum Evangelicorum, nimirum paupertas, calibatus &c. hæc enim, licet ex post factò rectè præcipiantur illis, qui ad eorum observationem se prius per votum, aut per professionem religiosam voluntariè obligarunt, universaliter tamen, & ante spontaneam obligationem rationabiliter præcipi non possent.

10. Ex adverso prohibitoria legis materia sunt omnia illa, quæ justitiæ alisque Virtutibus, quarum observatio Reipublicæ utilis, & facilis est, contrariantur. Nec inrerest, an jam prius lege Divinâ, aut Naturali similes actus præcepti, vel prohibiti existant: nihil enim impedit, quin idem actus pro meliori Juris Divini, aut Naturalis observatione, vel declaratione, jure in super humano contineatur.

Permitti per leges possunt ea, quæ justa, & quæ honesta sunt. Imò etiam aliquando injusta, & inhonesta ad evitacionem majoris mali, suorumque in Republica post omnem possibilem diligentiam nequeat evitari, non quidem approbando minus malum tanquam licitum, sed dissimulando ejus pœnam. Ita multi existimant Deut. 23. concessum fuisse Judæis exercere usuras cum extraneis, ne cum suis fratribus exercerent: ita ad præcavenda majora, & atrociora carnis delicta apud quasdam calidiores nationes minora, ut fornicationes tolerantur, & exempla sunt Genes. 19. v. 8. & Judicum. 19. v. 24. Textus quoque notabiles in cap. 1. & 2. dist. 13. c. 12. causa 32. quest. 7.

Pununt demùm leges malefactores in Republica. Et si lex simpliciter aliquid prohibeat, quamvis pœnam determinatam non addat, ejus tamen violator Judicis prudentis arbitrio punietur: frustra enim leges prohibitoria ederentur, nisi malefactores formidine pœnæ coercerentur. Julius Clarus lib. 5. sent. 9. 33. & ibi additio prima. Menoch. de Arbitrar. lib. 2. cas. 365. num. 2.

Sunt autem quedam delicta mixti fori, quibus tam à Jure Canonico, quam Civili certa, vel arbitraria pœnæ prestituta sunt. Et in his inter Judicem Ecclesiasticum & secularem locus est præventioni: ita tamen ut in majoribus criminibus, in quibus jure Canonico pœna plerumque potius medicinalis, quam vindicativa intelligitur, punitus in foro Ecclesiastico adhuc ad tertorem malis hominibus incutientum in foro seculari puniri possit. c. 2. de Maledictis. c. felix. 5. vers. per hoc quoque. de Penit. in 6. l. placer. 5. C. de SS. Eccl. De consuetudine in enormibus criminibus circa Laicos Ecclesia ordinariè totam pœnitentiam Judicis seculari relinquit.

Plura

Plura de punitione delictorum *in lib. V. Decretalium*, atque *in Tit. de Pœnis* traduntur.

14. Difficilis est *questio*, an & qualiter actus *interni*, vel *occulti* hominis materia legum humanarum esse possint? Etenim *in l. 18. ff. de Pœnis. in c. cogitationis. 14. de Pœnit. dist. 1.* dicitur, quod *cogitationis pœnam* (intellige in foro externo) *nemo patiatur*. *In c. sicut 6. c. 33. c. tua nos. 34. de Simonia. in Trident. Sess. 24. de Reformatione. c. 1.* habetur quod *Ecclesia de occultis non iudicet*. Item *in lib. V. Decretalium* docebimus, simoniacum, hæreticum, vel usurarium *purè mentalem* pœnas Juris non incurere. Econtra *in c. dolentes. 9. de Celeb. Miss.* præcipit Pontifex, ut officium Divinum à Clericis *devotè* recitetur: *devotio* autem & *elevatio mentis* ad Deum actus utique *internus* est. Similiter *in Clem. 1. s. verum. de Hæret.* excommunicatio statuitur in eos, qui ex odio, gratiâ, vel avaritiâ omittunt inquisitionem contra hæreticos, cum tamen odium, gratiâ, vel avaritiâ actus plerumque *interni & occulti* sint. Item in Concilio Trid. *sess. 24. de Reformatione. c. 6.* privilegium datur Episcopis, ut possint absolvere à censuris, & irregularitatibus ex delictis *occultis* provenientibus. Denique quis neget, peccatum contra præceptum Ecclesiæ, qui diebus jejunii clam, & nemine vidente, comederet carnes; Clericum, qui occultè omitteret recitare Divinum Officium &c. alias haud dubiè futurum, ut subditi obedirent suis Superioribus ad oculos, & privatim omnia mandata ecclesiastica, & secularia violarent.

In hac celebri questione utendum est distinctione. Nam alii sunt actus *merè interni*, & *per se occulti*, qui in solo animo, & cogitatione mentis consistunt; atque hi ordinariè soli Deo subiecti sunt, humanum autem iudicium eos cognoscere non potest,

& consequenter nec præcipere, nec punire. Quo faciunt exempla de simoniaco, hæretico, & usurario *purè mentalibus*. Alij sunt *externi*, qui præter animi cogitationem etiam ad opus, vel actum externum processerunt; & hi licet sint *per accidens* occulti, quia secretò facti, testibus vel aliis documentis probari non possunt, subjacent tamen jurisdictioni & potestati legislativæ, quamvis ex defectu probationis aliquando per accidens iudicium humanum effugiant. Sic si Episcopus censuram ferat, ut *quisquis furtum sacrilegum fecerit, excommunicationem incurrat*; in hanc censuram incidet, qui etiam nemine vidente furatus fuerit. Pariter qui libros hæreticos clam legerit, excommunicatione Bullæ Cœnæ (supposito quod ea Bulla in illo loco recepta sit, de quo dubitari potest in Germania, vid. quæ dixi *in Man. Paroch. par. 3. c. 2. circa locum Bullæ*) incurret: tamen si interim tales in iudicio externo ob defectum probationis puniri non possint, quod per accidens contingit. Alij denique sunt actus *mixti*, partim *externi*, partim *interni*, in quibus præter actum externum etiam interna animi præparatio sive intentio concurrat, & ad operis externi moralem perfectionem, & substantiam necessariâ est, ut in Sacramentorum administratione, perceptione, & celebratione Divini officij &c. Propterea si Ecclesia præcipere potest opus externum v. g. celebrationem Missæ, Sacramentorum administrationem, & perceptionem &c. potest etiam saltem *indirectè* præcipere id, quod est necessariò connexum, & sine quo opus externum *valide & rectè* non perficitur, ut devotionem, intentionem confiteandi, contritionem &c. *de connexis enim idem est iudicium*, & homo non tantum quoad directionem corporalem, & materialium externarum actionum, sed etiam quoad directionem animæ Superioribus

subjectus est juxta illud Apostoli ad Rom. 13. v. 1. *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit*, & paulò post: *ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram* (scilicet Judicis externi) *sed etiam propter conscientiam* &c. & ad Hebr. 13. v. 17. *Ipsi superiores pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddanturi*. Præterea sicut lex præcipere potest actum internum concomitanter cum externo, ita etiam actum malum internum punire valet, quatenus operi externo connexus est; quo sensu interpretandus est textus in dicto Clemens. 1. §. *verum*, de Hæreticis. exemplum in Jure Civili est ex tit. de Injuris, ubi tunc demùm injuria punitur, si ex animo & intentione injuriandi processerit. l. *si non convitii*. §. C. de Injuris.

15 Causa efficiens legum humanarum, ut jam in priori §. insinuatam, publica potestas est, quæ in statu Ecclesiastico penes summum Pontificem, & reliquos Prælatos, in statu sæculari penes Imperatorem, & alios Principes ac Dominos residet; ita tamen, ut quilibet Legislator pro modo tantùm, & termino suæ jurisdictionis legem ferre possit, *extra territorium enim, & supra jurisdictionem suam jus dicenti impune non paretur*. l. *ultima ff. de Jurisdictione*.

16 *Summus Pontifex* in materia spiritali, & concernente salutem animæ, ac rectam Ecclesiæ gubernationem in toto orbe Christiano legem ferre potest; quia ipsi omnium suarum ovium curam in Beato Petro Christus commisit, *Matth. 16*. Porro etiam Hæretici, quàmvis de factò resistent, de jure tamen lege Pontificiâ obligantur; non item Judæi & Gentiles, nisi quatenus illa lex jus Divinum, vel naturale contineret, ex ea differentie ratione, quòd Hæretici per Baptismum in Ecclesiam ingressi, ejus

subditi, licet rebelles, effecti sint. Unde etiam DD. inferunt, quòd ad fidem Ecclesiæ Catholicæ suscipiendam, sicuti rebelles subditi ad obedientiam, compelli possint; secus verò Judæi & Gentiles, quibus nunquam per Januam Baptismi in Ecclesiam ingressis rectè accommodatur illud Apostoli 1. ad Corinth. 5. *Quid mihi de iis, qui foris sunt* (id est extra Ecclesiam) *judicare, nam eos Deus judicabit* &c. Quid verò de hæreticorum matrimonii, vel quæ in locis hæreticorum à Catholicis contrahuntur, dicendum, trademus in *Lib. IV. ad Tit. de clandestina desponsatione n. 20*. Plura item de S. Pontificis autoritate inferius hoc libro in tit. de *Majoritate & obedientia*, explicabuntur.

Cæterum quòd de summo Pontifice, etiam de *Conciliis generalibus Oecumenicis* sentiendum est: nam & his jurisdictione in totam Ecclesiam, & omnes Christianos competit; neque aliter legitima sunt, quàm si autoritate Romani Pontificis congregentur, & confirmentur *cap. significasti. 4. de Electione*. Alia sunt *Concilia Provincialia*, quæ Archiepiscopi unà cum suis Suffraganeis in suis Provinciis instituunt. Alia *Dicecesana* vel *Synodalia*, quæ Episcopi celebrant in suis Dicecesibus. Et hæc quidem potestatem leges & statuta condendi habent, sicut ipsi Archiepiscopi, & Episcopi, sed ita, ut eorum jus & obligatio ultra terminos Provincie, aut Dicecesis non extendatur: adeò ut tametsi in Decreto Gratiani quidam Canones ex aliquo Concilio Provinciali, vel Dicecesano allegentur, eos tamen non esse universaliter obligatorios, omnes illi adnotarint, qui nobiscum docent, Decretum Gratiani ad primariam suam auctoritatem revocari. Deinde etiam advertendum est, quòd inferiores Prælati, neq. soli, nec in Conciliis sine licentia summi Pon-

Pontificis aliquid statuere valeant contra jus commune Canonicum. Inferior enim legem Superioris abrogare non potest; & condere ac tollere legem ab eadem potestate procedunt, *Clem. Ne Romani. 2. in princ. de Electione.* Circa ea proinde solum leges ferre possunt, quæ ad reformationem morum, vel cultum divinum pertinent, aut quæ jure communi aperte decisa non sunt.

18 Non obstat vulgare dictum, quoddam Episcopus in sua Diocesi possit ea, quæ Pontifex in tota Ecclesia: quia id universaliter concedendum non est, sed cum dependentia & subordinatione ad Papam, tanquam Superiorem, & salvis illis, quæ summo Pontifici specialiter reservata sunt: nam Ecclesia Romana, quæ prima est, & Dioceses ac Episcopatus inferiores dividit, ita reliquis Ecclesiis, earumque Prælati vices suas largita est, ut in partem vocaret sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. *c. qui se. 12. causa 2. quæst. 6.*

19 *Querit* ad propositum hujus loci Panormi: *in c. ult. de Consuet. n. 9.* quare Imperator potius Principibus secularibus concedere solet, ut in suis terris possint facere statuta contra jus commune Civile, quam Pontifex Episcopis? Item quare in aliqua Diocesi possit introduci consuetudo contra jus commune Canonicum, & non etiam statutum? Responderi potest ad *primum*, quia majus est periculum in abrogatione Juris Communis Ecclesiastici: hoc enim cum principaliter ordinatur ad finem salutis æternæ, timendum foret, ne forsitan cum periculo animarum erraret Episcopus, dum contra S. Pontificis Christi Vicarii & Pastoris universalis iudicium & legem suo arbitrio statuere permetteretur. Jus autem seculare ordinatur principaliter ad statum externum politicum, quem inferiores Prin-

cipes possunt secundum naturam & mores singularum nationum sine gravi periculo facilius dirigere. Quod si etiam lex communis Ecclesiastica non possit certo populo cum fructu accommodari, S. Pontifex ea de re informandus est, atque ejus desuper cognitio, & mutatio vel renitio legis expectanda. Responderi potest ad *secundum* cum eod. Panorm. quod consuetudo, si sit tamen rationabilis, habeat tacitum consensum summi Pontificis, rationabiles enim consuetudines tolerantur *ex tot. tit. de Consuet.* quem consensum S. Pontifex potius (saltem per modum dissimulationis) factis rationabilibus hominum impendit, quam statutis Episcoporum, eò quod uti potestate legislativâ contra Papalia decreta etiam ex causâ rationabili videatur sapere aliquam ambitionem, quæ successivè *aperit viam* ad plures inobedientias. Addi etiam potest quod plerumque difficilius sit impedire consuetudinem, quæ ex diuturno tempore, & inveteratis moribus processit, quam statutum vel legem particularem.

Legati Sedis Apostolicæ etiam statuta facere possunt in provinciis, & locis suæ legationis, quæ durant etiam post officium eorum finitum. *c. ult. de Officio Legati.*

Capitula Cathedralium Ecclesiarum, 21 sede Episcopali vacante, etiam statuta, & constitutiones facere possunt, quia succedunt in jurisdictionem Episcopi, ex quâ dimanat potestas statuendi. Et illa statuta etiam durant in tempus futuri Episcopi: quavis enim jurisdictione Capituli sit tantum temporalis, quâ diu sedes vacat, quod tamen ex ea recte gestum est, perpetuum haberi debet, *art. c. si de Officio Legati. & statum legitime. 73. de R. I. in 6.* Sed Capitulum sede vacante potest quidem statuere circa ea, in quibus tunc habet jurisdictionem, ut circa negotia

negotia ipsum Capitulum concernentia, circa reformationem morum, causas judiciales &c. non verò circa talia, per quæ præjudicetur juri, authoritati, vel redditibus successuri Episcopi, ut si vellet statueret, quòd *Charitativum* subsidium totum, vel pro parte minueretur, quòd redditus Episcopales essent inter Capitulares distribuendi &c. nam in personam Episcopi ejusque jura, & redditus Capitulum nullam habet jurisdictionem, consequenter in iis statuere nihil potest. Episcopus quoque successor potest ex causâ rationabili statuta à Capitulo sede vacante facta revocare, non secus ac alia statuta suorum Antecessorum, quia Capitulum vel Antecessor non potest Episcopo successoris legem perpetuam præfigere, *cum par in parem non habeat imperium* aut jurisdictionem, *c. innotuit. 20. de Electione.* Videatur Quarant. in *Summa bull. verbo Capitulum sede vacante.* Frid. de sen. *conf. 16. & Pavin. in speciali tractatu, de potestate Capituli sede vacante.*

22 Aliquando autem Capitulares sede vacante, speciali pacto aut juramento se obligant, ut quisquis in Episcopum eligendus fuerit, certa statuta inviolabiliter observare debeat: quæ pacta aut juramenta obligant novum Episcopum ad præstationem fidei interposita, nisi forent manifestè in præjudicium, Canonum vel Ecclesiæ, vel animarum, vel dignitatis Episcopalis. *cap. ult. de Pactis.* textus ad propositum notabilis, ubi Panor. mi. & Barb. in *c. sicut nostris. 27. de Jurjurando.*

23 Ordines etiam Religiosi, eorumque Prælati leges & statuta facere possunt juxta consuetudines suas, privilegia & modum suæ Regulæ. Utrum autem Religiosi teneantur semper acceptare nova statuta Reformatoria? Respondeo esse distinguendum,

24 an tales reformationes sint contra

pravas consuetudines, quæ tendunt ad dissolutionem disciplinæ monasticæ, violationem votorum, & scandalum aliorum hominum? & haud dubiè dicendum est, Religiosos teneri, ac compelli posse ad necessarias istas reformationes acceptandas, quæ tamen primam Regulam duriorum non constituent, *c. relatum. 7. & ibi Gloss. ne Clerici, vel Monachi. c. unico. de Statu Regular. in 6.* An verò reformationes fiant contra consuetudines, & mitigationes rationabiles, quæ primævum Regulæ rigorem juxta patriæ, & hominum naturam citra animarum periculum temperarunt, v. g. quòd matutinum oreter de mane, quòd liceat carnibus vesci &c. & probabilius videtur, quòd Religiosi similem reformationem acceptare non teneantur: quamvis enim simpliciter professionem fecerint secundùm Regulam, tamen nec in Novitiatu experientia, nec in professione intentio fuit aliter se obligandi, quàm ad Regulam juxta præsentem usum rationabiliter mitigatam: neque enim perfectio religiosi hominis in maximo rigore, & vitæ austeritate consistit, quam multi sine corporis, & etiam frequenter animæ, ac desperationis periculo ferre non possent, sed in perfectione amoris Dei, & in *declinando à malo, ac faciendo bonum*: ad quod assequendum etiam in Ordine mitigatiore sufficientissima media sunt, & considerandum, quòd sæpè primi Regulæ Fundatores certæ nationi & terræ, ubi vixerunt, regularia statuta accommodarint, quæ alibi ob diversam terræ & hominum naturam utiliter observari non possunt. Si quis verò aliter, quàm per austeritatem se minimè perfectionem consecuturum credat, is vel rigorosas sui mortificationes voluntariè, & privatim suscipere, vel secundùm *c. licet. 18. de Regularibus.* etiam post professionem ad alium strictiorem Ordinem transire valebit.

25 *Conventibus, & Capitulis Regularium, ac Collegiarum Ecclesiarum sede vacante* jurisdictionem (ex qua potestas statuendi deducitur) aliqui negant, aliqui tribuunt, ut inferius in Tit. Ne sede vacante &c. lib. 3. dicemus, idem consuetudo locorum precipue attendenda erit. Ceterum si quid ab his statueretur, vel mediante pallo aut juramento firmaretur circa successorem prelatum, ejusque revocandi potestatem, illa huc accommodari possunt, quae superius de statutis Capituli Cathedralis Ecclesiae sede vacante tradita sunt.

§. III.

De Obligatione Legum in utroque foro.

SUMMARIUM.

- 26. An Legislator teneatur suis legibus.
- 27. Princeps teneatur stare suo pacto.
- 28. An & quatenus peregrini, & viatores teneantur legibus loci?
- 29. Hispanus an extra suam Patriam possit diebus Sabbatis edere intestina animalium?
- 30. Absens modico tempore quando habentur pro praesente?
- 31. Peregrini probabiliter non obligantur particularibus statutis.
- 32. Excipiuntur casus aliquot.
- 33. Respondetur ad contraria.
- 34. An peregrini teneantur ubi legibus domesticis?
- 35. Clerici quatenus ligentur legibus laicorum?
- 36. Lex humana quatenus obliget in conscientia?
- 37. De Lege fundata in praesumptione.
- 38. Haeres non conscientis inventarium, an in conscientia teneatur ultra vires hereditatis?
- 39. Literarum obligatio, de qua in tit. Inst. de Lit. oblig. an procedat in conscientia?
- 40. Leges in praesumptione fundatae quae ratione sint iustae in foro externo.
- 41. Fictio, & praesumptio juris differunt, illa etiam in Conscientia locum habet.
- 42. De Lege poenali, quando obliget in conscientia.
- 43. Ad poenam incurrendam quando requiratur sententia iudicis declaratoria, & quid intersit inter sententiam iudicis condemnatoriam & declaratoriam?

- 44. Poenae corporales quatenus obligent.
- 45. Incarceratus etiam iuste an possit fugere?
- 46. Ad tributa & vectigalia an quis teneatur in conscientia?
- 47. Leges infirmantes actus inter vivos aut ultimarum voluntatum quando procedant in foro interno.
- 48. Pacta nuda obligant in conscientia.
- 49. Actus illicitus non semper est invalidus.
- 50. Si lex actum prohibeat, an in dubio censetur etiam invalidasse?
- 51. Actus aliquando invalidatur civiliter tantum.
- 52. Lex potest actum invalidare civiliter, & naturaliter, & ibi exempla.
- 53. Ex S. C. Vell. & Maced. non est obligatio in conscientia.
- 54. Potissima difficultas, quando irritatio fit propter omisas solemnitates juris.
- 55. Lex est domina rerum.
- 56. Ad actus valorem requiritur voluntas, & potentia agentis.
- 57. Illegimitas occulta impedit in conscientia a dignitate.
- 58. Prohibitio de rebus Ecclesiae non alienandis etiam in conscientia stringit.
- 59. Legum Civilium, quae relicta in testamento non solenni & soluta repeti negant, vel solvi jubent, singularis interpretatio.
- 60. Relictum in testamento non solenni an possit retineri usque ad condemnationem iudicis?
- 61. Solemnitates actuum non fundantur in praesumptione.
- 62. Actum invalidare, & denegare actionem differunt. Alia Summaria sub. §. 4.

Queritur I. utrum Princeps, vel Legislator ipsemet sua lege obligetur? Pro negativa est textus in *l. Princeps. 31. ff. De Legibus*, ubi dicitur, *Principem legibus solutum esse*. Et facit ratio, quod leges ferantur, & dirigantur in subditos, non in Legislatorem: *sibi enim imperare nemo potest* teste J. C. in *l. penult. ff. de Recept. qui arbit. &c.* & sicut alius *nec par in parem*, ita nec quisquam *in se ipsum* habere jurisdictionem videtur. Econtra pro affirmativa adducitur. *l. digna vox. 4. C. de LL.* ubi Imperatores rescripserunt, *dignam esse vocem Majestatis regnantis legibus alligatum se Principem profiteri, & majus impe-*

D

& extra eum non extenditur; sicut statutum, vel aliud privilegium locale. arg. c. 2. hoc tit. in 6. Undè licet in Hispania moris sit, diebus sabbathinis comedere intestina animalium, si tamen Hispanus per alias Regiones transeat, eum ad abstinentiam à jure communi Ecclesiastico præscriptam sub peccato teneri cum plerisque DD. docet Navar. in *Man. Confess. c. 23. n. 120.* & Paulus Laym. de *Legibus. c. 12. n. 3.*

Non obstat, quòd absens modico tempore fictione juris reputari soleat pro præfenti in illo loco, à quo abest, & consequenter etiam illius loci privilegijs, & consuetudinibus gaudere possit, sicut in contrarium argumentatur Sanch. de *Matrim. Libro 3. disp. 18. q. 1. n. 7.* quia illa fictio juris non procedit in omnibus, sed in certis tantum casibus in jure expressis, ut si Canonici vel Beneficiati à residentia suorum Beneficiorum modico tempore absint juxta Trid. *sess. 23. de Refor. c. 1.* Aliàs etiam procederet in casu *dicti c. 2.* & excommunicatione per statutum Episcopi latà teneretur, qui extra Diocesim ejus modico tempore existens delinqueret: item à secularibus Judicibus capi non posset malefactor, si extra Ecclesiam immunitate locali gaudentem mox reversurus exiret; quod certè contra communem doctrinam & praxim est. Interim licet hæc sententia Navarri & aliorum ordinariè, maxime ad evitacionem scandalitior sit; propter autoritatem tamen Sanch. & aliorum virorum DD. qui eum sequuntur, non auderem semper alicujus gravis peccati damnare eum, qui contrariam teneret, præsertim rationabili aliqua causa v.g. conservandæ valetudinis accedente, & remoto scandalo, ut si Germanus tempore quadragesimæ in Italia privatim comederet ova, caseum, & alia lacticia, quæ prohibentur in *c. denique. 6. Vers. par an- tem. dist. 4.*

Potissima igitur difficultas quæstionis nostræ est de legibus & statutis particularibus locorum. Respondeo, probabiliorem esse sententiam, quam præ cæteris diligenter examinat, & sequitur Sanch. *d. disp. 18. q. 1.* Peregrinos, & Forenses non obligari particularibus statutis, vel consuetudinibus loci, in quo per modum hospitiū reperiuntur. Ratio est: ubi deficit ordinaria jurisdictio, deficit legum obligatio, quæ jurisdictioem supponit, sed in peregrinos ob brevem hospitiū moram deficit ordinaria jurisdictio. arg. *l. hæres absens. 19. §. 2. ff. de Judicis.* ergo &c.

Attamen hæc regulariter procedunt: nam ab hac regula aliquot casus excipiuntur; ut I. si ex transgressione legum loci aliis detur scandalum; quod tamen scandalum plerumque evitari potest, inquit Sanch. *c. l. vel transgrediendo occultè*, vel admonendo adstantes, se legibus loci ex communi DD. sententia adstrictum non esse.

II. Si mora in aliquo loco sit longior, usus communis docet, tales Peregrinos debere se accommodare legibus, & consuetudinibus loci, præsertim in rebus spiritualibus, ut observacione festorum, jejuniorum &c. tum quòd id exigat quies Reipublicæ, quæ aliàs ex diversis hominum moribus perturbatur; tum quòd habitatores ad tempus longius in aliquo loco ibidem quasi domicilium, & forum competens fortiantur,

Quantum autem tempus requiratur ad hanc obligationem inducendam, DD. inter se non conveniunt; mihi videtur probabilius maxime circa leges Ecclesiasticas, quod cum Navar. in *Tract. de Jubil. not. 32. num. 43.* docet Laym. *d. l. num. 1.* sufficere, quòd aliquis non merè tanquam Viator mox pertransiens in loco sit, sed ibidem certo permanendi proposito etiam ad breve tempus, aliquot v.g. septimanarū aut

menſium alicujus negotiationis cauſa habitationem aliquam fixerit, vel conduxerit. *d. l. heres abſens. §. proinde. 2. ff. de Judiciis.* & tunc ſtatim primâ die, quâ cum hoc propoſito habitationem ſibi conſtituit, tenebitur; nam ſicut ad *verum*, ita etiam ad *quasi* domicilium conſtituendum, & ſequentem obligationem, ac fori competentiam inducendam nullius certi temporis lapſus, ſed *animus* tantum habitandi, & *factum* ipſum habitationis inchoata requiritur, ut ex *l. domicilium. 20. ff. Ad municipalem.* in *Tit. de Foro compet.* trademus.

III. Contractuum, aliorumque actuum ſolemnitates etiam à Forenſibus inſtituendâ regulantur ſecundum leges loci, ubi celebrantur. *l. ſi fundus. 6. ff. de Evictionibus. l. i. c. de Emancip. liber.*

IV. Ob bonum publicum, & ad evitandum damnum poſſunt Viatores certis legibus conſtringi. v. g. ut ſolvant vectigalia, ne frumentum, aut arma, vel armorum materiam extrahant, ne ultra triduum in loco commorentur, &c. Hæc exceptio paſſim quidem à DD. traditur, ſed quare, vel quomodo in hoc caſu juridiſtictio in Viatores detur, non aſſignant. Forſan iſta ratio non incongruè ſtatu poteſt, quòd jure naturæ, & gentium teneatur aliquis evitare alterius damnum; & qui ſentit commodum tranſitus, ſentire etiam debet onus legum pro bono publico introductarum. Item quia tranſitus non aliter à Magiſtratu conceditur, quàm ſub conditione obſervandarum talium legum, hinc qui tranſire volunt, ipſo facto in ſe prorogant, & agnoſcunt Magiſtratus juridiſtictionem *ap. l. i. ff. de Judiciis.* Accedit etiam conſuetudo locorum, quæ dare poteſt in multis caſibus juridiſtictionem. *c. alicui. 4. de Arbitris.*

Quintam exceptionem aliqui addunt in *vagis hominibus* nullum certum domici-

lium habentibus: Sed hos non improbabiler excuſat Leſſ. *Lib. 4. c. 2. n. 49.* ex eadem ratione, quâ alios Peregrinos, quòd ſcilicet non ſint propriè ſubditi illius loci, quem tranſeunt, & non ſit in eos juridiſtictio, niſi ex cauſa *delicti*, vel *debiti*; propter quod ubique in jus trahi poſſunt ob publicam utilitatem, ne à delicto impunes, vel à ſolutione immunes evadant.

Porro contra datam reſponſionem ad ³³ principalem quaſtionem contrariæ ſententiæ Authores, quibus abſolutè placet, Peregrinos omnibus legibus loci adſtringi, plura argumenta opponunt, quæ Sanch. *diſp. 18. n. 4.* adducit, & *n. 10.* reſolvit, ex quibus duo tantum principaliora referam.

Primum eſt ex *c. illa. 11. diſp. 12. ibi cum Romam venio, jejuno Sabbatho: cum Mediolani ſum, non jejuno. Sic & tu, ad quamcunque Eccl. ſiam veneris, ejus morem ſerva.* Reſpondetur, hunc textum imprimis eſſe SS. Patrum Auguſtini & Ambroſii, quorum authoritas magna quidem eſt, ſed non ſemper *deſiſiva*, ut dixi in *Proamio*, & textus eſt notabilis in *c. 5. diſp. 9.* vel poſſe explicari, ut contineat conſilium, non præceptum, quatenus ſcilicet utiliter, tanquam opus bonum, ſuaderi poteſt hominibus, ut ſecundum particulares loci uſus feſtum, aut jejunitium obſervent, non imperari; vel intelligi de caſu conjuncto cum ſcandalo, vel quo aliquis moram longiorem in aliquo loco trahit.

Secundum argumentum fumitur ab inſtantiâ, quòd nimirum peregrinus Sacerdos, ſi veniat ad locum interdictum, non poſſit ibidem Divina celebrare, aut mortuus ſepeliri; ergo ſequitur, quòd leges loci obligent etiam Peregrinos. Reſpondeo negando conſequens, quia antecedens non provenit ex directâ obligatione interdicti reſpectu Peregrinorum, ſed ex incapacitate ipſius

ipſius loci, qui tali interdico directè affectus eſt, quã de cauſa ne quidem infantes vel amentes (qui tamen interdici, & cenſuræ incapaces ſunt) in loco interdico ſepeliri poſſunt, teſte Cov. *in c. Alma mater. de ſent. excom. in 6. p. 2. §. 4. n. 6.* Reliqua argumenta pleraque diſſolvuntur per exceptiones ſupra poſitas, ut de illis caſibus exceptis explicentur.

Quæritur III. an peregrini teneantur legibus domesticis ſuæ Patriæ, quamdiu in externis locis verſantur? Reſpondeo negative, quia ſtatuta particularia etiam reſpectu ſubditorum non extenduntur ultra territorium ſtatuentis. *c. 2. hoc tit. in 6. l. ſi. ff. de Jurisd.* Quare non peccabit, qui feſtum, aut jejunium in ſua Patria ab Epifcopo ſtatutum alibi non ſervat, ubi feſtum, aut jejunium ſecundum jus commune non eſt; nec incurret cenſuram Epifcopi per ſtatutum latam, qui extra Dioceſim delinquit. Dico ſi cenſura per ſtatutum lata ſit: nam ſpecialiter per ſententiam in perſonam lata ſubditum etiam extra territorium ſtringit, ut in *Titulo de ſententia excommunicationis*, explicavi. Exceptio eſt, niſi ſtatuti tranſgreſſio vergat in detrimentum, vel injuriam loci; v. g. Si ſtatutum ſit, ne quis verba injurioſa contra Principem, vel Magiſtratum ſub certa poena loquatur &c. *arg. l. ult. ff. de Decret. ab ord. faciend.* Quã ratione etiam ſtatutum, quod Clerici abſentes certo anni-tempore ad ſynodum vel Eccleſiam comparere debeant, ſuſtinetur. *c. ex r. n. 11. de Clericis non reſid.* cum enim quilibet civis, & incola naturali quadam æquitate teneatur defendere commodum ſuæ Patriæ, honorem ſui Magiſtratus, hinc eſt, quod ad eum finem legibus rectè conſtringi valeat, tametiſi extra Patriam exiſtat.

Sed quid ſi Jus Commune in Patria ob-

ſervetur, in loco autem tranſitus contrariã conſuetudine abrogatum ſit? Etiam hoc caſu peregrinum, quamdiu in tali loco vivit, non teneri ad obſervationem juris, cum aliis tradit Sanch. *d. diſp. 18. n. 18. & ſeq.* & Suar. *Lib. 2. de Feſt. c. 14. in fine.* eò quod hoc ſit quali privilegium locale, quo gaudent etiam Advenæ, & Peregrini; & quilibet poſſit (quamvis non ſemper teneatur) ſe conſuetudini locorum accommodare. Unde inferunt, Germanum v. g. tranſeuntem per Hiſpaniam poſſe die Sabbati inſeſtina comedere.

Quæritur IV. an & quatenus Clerici 35 legibus vel ſtatutis ſæcularium Magiſtratum obligentur? Reſpondeo regulare eſſe, quod ſæculares Magiſtratus ſuis legibus directè obligandi Clericos, & perſonas Eccleſiasticas, vel ipſas Eccleſias, poteſtatem non habeant. *cap. Eccleſia. 10. hoc tit.* propter defectum jurisdictionis, à quã Clericos jure Divino exemptos eſſe ſæpius alibi probavimus. *c. nimis. 30. de Jurejur. cap. quamquam 4. de Cenſibus in 6.* præſertim ſi in ſpecie & nominatim de Clericis diſponant, quamvis in eorum favorem v. g. ne alienatio rerum Eccleſiasticarum valeat &c. *d. c. Eccleſia.* niſi diſpoſitio eſſet in *verum* favorem, vel privilegium ſine omni obligationis, aut præcepti onere annexo, v. g. ut Eccleſia gaudeat quadragenariã præſcriptione, vel aliã immunitate &c. Idque ex veteri DD. ſententia extenditur, ut ne quidem circa bona patrimonialia *allodialia* (ſecus eſt de *feudalibus*, quæ non abſolutè, ſed ſub certis reſervationibus, & ſalvo jure feudali in Clericos tranſeunt. *cap. ex tranſmiſſa. 6. de Foro comp.*) ſtatutis Laicorum Clerici ſubjaceant; tum quod exemplo, & argumento ducto à Levitis Veteris Teſtamenti Clerici non tantum ipſi perſonis, ſed etiam rebus ſuis ex-

D 3

enati

emti sint. *d. c. quamquam, & c. ultimo. ubi Gloff. notabilis in Verbo. suis facultatibus. de Vitiis, & honest. Clericorum* etiam, quod lex civilis non possit aliquid statuere in bona, nisi obligando simul personas ad ejusmodi statuti observationem sed persona Clericorum à secularibus obligari non possunt, ergo nec bona. Quæ amplius confirmantur ex vulgatis juris regulis, quod *accessorium sequatur suum principale; quod qua Religiosis adherent religiosa censentur; quod de connexis idem sit judicium &c.*

Non obstat, quod alia sint privilegia Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum bonorum, quæ bonis partimonialibus Clericorum non competunt, uti quadragenaria præscriptio, restitutio in integrum, & similia: non enim est bona consequentia, si privilegium unum, scilicet exemptionis, est communicatum bonis partimonialibus Clericorum, ergo omnia debent esse communicata: aut econtra, si aliqua non sunt communicata, ergo nullum est communicatum: à particularibus namque ad universale regulariter non est bona illatio. Sane licet Clerici quoad suas personas indubiè exempti sint, sicut Ecclesiarum in partibus habeant Privilegium immunitatis localis, ut maleficos ad se confugientes semper protegere possint; quod majores in judicio, vel contractu læsi in integrum restituantur.

Dixi autem, Clericos regulariter & directe non obligari secularibus legibus: obligantur tamen *indirectè* communibus legibus Reipublicæ, in qua ipsi etiam tanquam membra, & convelles censentur, in quantum tales leges non repugnant SS. Canonibus; aut immunitati Ecclesiasticæ; quales sunt leges contractuum, taxatio mercium, restitutio ex causa læsionis, sive delicti &c. est tamen hæc obligatio non ex

radice secularis jurisdictionis, sed solum secundum vim directivam, quatenus tales leges in æquitate naturali fundatæ sunt, & congruentia est, ut ad communem pacem in Republica servandam, inibi degentes communibus legibus utantur; item quia leges & constitutiones Principum secularium in defectu canonum generaliter à summis Pontificibus recipiuntur in *cap. 1. de Novi oper. nunciat.* Unde etiam secundum vim *coactivam* Clerici à Magistratibus secularibus ad observationem legum secularium constringi, aut ob transgressionem puniri non possunt; hoc enim esset in eos directam jurisdictionem exercere. Imò etiam leges, quæ poenam aliquam continent, & irritant testamenta, contractus, vel reddunt homines inhabiles ad contrahendum, vel testandum ob admissum crimen, non obligare Clericos, eò quod contineant vim *coactivam*, cum communi docet Navar. *de Constitut. consilio 43, n. 5.* nisi à jure Can. receptæ sint.

Queritur V. An & quando leges humanae sive Ecclesiasticæ, sive Civiles obligent in conscientia? Respondeo sicut subditi tenentur in conscientia obedire suis superioribus, & Magistratibus tam secularibus, quam Ecclesiasticis juxta præcipientibus, ita etiam leges Ecclesiasticæ & seculares, si sint juxta in foro externo, regulariter sunt etiam juxta in foro interno sive conscientia. Omnis anima, inquit Paulus ad Rom. 13. v. 1. sublimioribus potestatibus subdita sit: non est enim potestas, nisi à DEO; itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Et paulo inferius: Judex Dei Minister est, vindex in iram ei, qui male agit, ideo necessestate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.
Et

Et S. Petrus in Epistola 1. c. 2. §. 13. *Subjuncti igitur estote, ait, sive Regi, quasi excellentissive ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero honorum: quia sic est voluntas Dei, &c.*

Videtur quidem circa leges civiles in contrarium obitare, quod leges, sicut alii actus, non agant ultra Legislatorum, & agentium intentionem, arg. c. ult. de Præbendis. & l. non omnis 19. ff. de Rebus creditis, secularium autem Legislatorum intentio non sit, ferre leges in ordine ad conscientiam, sed tantum ad externum statum politicum. Responderi tamen potest, licet leges sæculares non semper obligent ex intentione Legislatoris secundi in conscientia, qui est Magistratus secularis, obligent tamen ex intentione, & voluntate Legislatoris primi, qui est Deus, secundum allegata Scripturæ loca; hinc S. Thomas 1. 2. quæst. 96. art. 4. ait: leges hominum iustas habere vim obligandi in conscientia à lege aeterna Dei, à qua mediata derivantur.

37 Verum ab hac recepta sententia, quod leges iustæ in foro externo sint etiam iustæ in foro interno, duæ communiter statuuntur exceptiones. Prima est, si lex sit fundata in præsumptione: tunc enim non aliter obligat in conscientia, quam si id, quod lex præsumit, in rei veritate subsit. v. g. in 38 Novel. 1. c. 2. heres non conficiens inventarium tenetur creditoribus ultra vires hæreditatis etiam emergentia debita solvere, quamvis tot, & tanta bona in hæreditate non inveniatur, quia præsumptio juris est, quod, cum non confecerit inventarium, clam aliqua bona de hæreditate subtraxerit, ut ex textu dicitur c. 2. non obscure colligitur, ibi in principio: & non per ea, quæ forte surripiunt, aut malignantur &c. Item in §. 2. dabit eis penam exactio sua ma-

lignitatis &c. propterea, si revera heres non conficiens inventarium nihil in hereditate surripuerit aut malignatus fuerit, ex communi DD. sententia ultra vires hereditatis in conscientia non obligabitur. Licet vero aliqui existiment constitutionem Novellæ fundari potius in quasi contractu aditæ hereditatis, quod heres ad eundem hereditatem censeatur tacite promittere creditoribus omnibus satisfactionem, & consequenter ex hac promissione in conscientia obligetur, prius tamen, quod de præsumptione fraudis dictum, probabilius videtur: eò quod omnis quasi contractus supponat intentionem se obligandi ad naturalem æquitatem: nemo autem in dubio censeferi possit se velle obligare cum tam gravi suo damno; nec æquitas naturalis id suadeat, creditores quoque multum conqueri haud possunt, quia si confectum fuisse inventarium, ipsi non plus, quam in hereditate repertum, acceperunt. Similiter, ut innumera alia prætereamus, quorum aliqua ex libro II. Decretal. ex titulo de Præsump. desumi possunt, familiare exemplum est ex 39 Instit. de Liter. oblig. ubi relinquens chirographum suum, in quo se debitorem factetur, per integrum biennium apud creditorem non accepta pecunia, postea in foro externo simpliciter ad solvendum condemnatur, nec amplius cum exceptione non numerata pecunia auditur. Quia tamen hæc obligatio, quæ ex solemnitate literarum oritur, non habet æquitatem naturalem, nec consensum, nisi sub tacita conditione: si pecunia numerata fuerit; & in foro externo præsumptio sit, numeratam fuisse, quod aliàs tanto tempore debitor literas suas apud creditorem non reliquisset, idè si veritas hujus præsumptionis à parte rei non subsit, & debitor nihil acceperit, in conscientia quoque ad nihil restituendum tenebitur.

Non

40 Non tamen idcirco ejusmodi leges in præsumptione fundatæ in foro externo, tanquam iniquæ, reprobandæ sunt: quia licet in uno vel altero particulari casu ob defectum veritatis præsumptæ materialiter injustæ esse possint; formaliter tamen, & in genere regulariter justæ sunt: nam ad tollendum aliquod malum, vel procurandum bonum in Republica (v. g. ut in exemplis propositis heredibus malignandi, & debitoribus debita injustè negandi occasio subtrahatur) leges rectè ob defectum, vel difficultatem aliarum probationum in præsumptione se fundare possunt: quia & præsumptio probationis species est.

41 Præterea etiam hic advertendum, quòd ea, quæ de *præsumptione* juris dicimus, non sint pariter de *fictione juris* accipienda: nam *præsumptio* supponit veritatem, *fictione* autem etiam cognitâ falsitate aliquid certum statuit, ut propterea lex *in fictione* fundata, si de cætero manifestè injusta non sit, etiam in conscientia locum habeat. Ita Canonicus, & alius Clericus de jure communi ex legitima causa à suo beneficio absens, qui *fictione* Juris pro præsentem habetur, optimâ conscientia tanquam præsentem fructus sui beneficii lucratur; ita rati habitio etiam quo ad effectus fori interni *fictione* Juris retrahitur, & mandato æquiparatur. *c. 10. de Regulis juris in 6. si v. g. procurator Titij sine mandato ejus fundum aliquem vendiderit, quam venditionem Titius primùm post annum, vel biennium ratam habeat, emptor non tantùm à die rati habitationis, sed primæ emptionis fructus ex tali fundo perceptos in conscientia etiam suos faciet.*

42 Altera exceptio est, quòd *lex merè pænalis* ante Judicis sententiam non obliget in conscientia, post sententiam verò latam obliget ad non resistendum, & suscipiendam

pœnam: cum enim lex debeat moribus, & natura hominum esse congrua, plerumque non foret rationabile, ut Legislator aliquem obligaret, ut sui ipsius esset acculator, reus, Judex & executor, quod natura admodum grave, & contrarium existeret.

Sed ad hujus *exceptionis* plenum intellectum sciendum est, leges pœnales alias esse *merè & pure* pœnales, alias verò *mixtas*. *Lex pure pænalis* est, quando Legislator non intendit ad culpam, vel reatum in conscientia obligare, sed tantùm ad pœnam: quod ordinariè contingit circa tales actus, qui absolute non contrariantur Juri Divino aut naturali, sunt tamen contra bonos mores politicos, & eorum intermissio confert ad Reipublicæ statum tranquillum & pacatum conservandum. v. g. ne quis noctu sine lumine ambulet, certum vestium ornatum portet, &c. sicut etiam in Religiosorum Ordinum statutis quædam continentur *merè pænalia*, quæ ad peccatum grave non obligant (neque enim consultum, imò nec semper justum aut validum est, ut in materia leviori Prælati conscientias suorum sub gravi culpa onerent) sed tantùm ad pœnam ob meliorem disciplinæ monasticæ conservationem, v. g. ne Religiosi certo tempore loquantur, opus quamvis honestum, sibi tamen eo tempore non concessum faciant &c. *Dices*, quomodo in hujusmodi actibus, vel legibus potest statui pœna, si nulla sit culpa, aut peccatum: cum tamen pœna describatur esse noxæ, delictorum & peccatorum vindicta, ac cœrcitio, *in l. aliud. 131. in principio & s. 1. ff. de Verb. signif.* Respondetur, hic quidem non intervenire culpam vel peccatum, quod significet defectum coram Deo culpabilem, intervenire tamen culpam, & peccatum significans defectum in genere moris, & contra

tra laudabilem Reipublicæ ordinationem. Aliquando verò etiam accidere potest, ut transgressio legis pœnalis inducat verum peccatum coram Deo, si scilicet fiat ex contumacia, & contentu Magistratûs cum aliorum scandalo, vel perturbatione in Republica.

Alia sunt leges *panales Mixtæ*, quando aliquid prohibetur sub culpa, & pœna; quod ut plurimum accidit in illis delictis, quæ juri divino, aut naturali adversantur, ut in furto, homicidio, & similibus. In his porro duplex est obligatio: una ad culpam etiam in conscientia: altera ad pœnam, quæ regulariter ante Judicis, & Juris sententiam non obligat in conscientia, neque tenetur aliquis sui ipsius esse accusator, Judex & executor. Dico autem *regulariter*: nam aliqua pœnæ sunt, quæ ipso jure, & ipso facto admitti criminis incurruntur; & illæ, si aliam executionem externam non requirant, statim, ut factum illud, cui talis pœna ipso jure annexa est, committitur, in conscientia locum habent, uti sunt censura & irregularitates, quæ ipso facto incurruntur, innabilitas vel impedimentum ad electionem activam vel passivam, ad contrahendum matrimonium &c.

¶ Si verò pœnæ ipso jure illatæ etiam externam aliquam executionem requirant, veluti amissio domini, confiscatio bonorum juxta *c. cum secundum leges. 19. de Hæret. in 6.* privatio beneficii aut fructuum beneficialium &c. tunc ad obligationem in conscientia producendam sententia Judicis *declaratoria* requiritur, ut rectè docet Sanch. *Lib. 2. Moralium. c. 6. num. 11.* nisi lex in specie addat clausulam: *aliâ etiam declaratione non secutâ*, ut in Concilio Trid. *Sess. 23. c. 1. versiculo. si quis autem: ibi cum* (scilicet Episcopum vel curatum non residentem legitimo tem-

pore) *pro rata temporis absentia fructus suos non facere, nec tutâ conscientia, aliâ etiam declaratione non secutâ illos sibi detinere posse.* Ex quo textu bonum argumentum delimitur, quòd sicut aliàs *exceptio firmat regulam in casibus non exceptis*, ita etiam hic exceptio specialis, & insolita clausula: *aliâ declaratione non secutâ*; circa hunc casum arguit & confirmat, quòd aliàs ad pœnas etiam ipso jure inflictas in conscientia præstandas sententia *declaratoria* requiratur.

Si *queras*, quæ sit ergò in effectu differentia, an per sententiam Judicis *condemnatoriam*, vel an per *declaratoriam* inferatur pœna, ne gratis alia pœna per Judicem, alia per ipsam legem imponatur? *¶* hanc esse differentiam, quòd pœna illata per sententiam Judicis debeatur primùm à die sententia, pœna autem illata à jure, & postea per sententiam declarata debeatur non tantùm à die declarationis, sed retrò à die commissi criminis ipso jure pœnam annexam habentis. Sed ais, ergò saltem frustraneum est illud jus retinendi pœnam, v. g. fructus beneficiales ipso jure amissos in conscientia, si post declarationem omnes etiam retrò precepti restitui debent? *¶* quòd illud jus retinendi in conscientia hoc operetur, quòd res, aut fructus ipso jure amissi non extantes, sed interim consumpti, sive eorum æstimatio aut pretium, si exinde possessor tempore declarationis non sit locupletior effectus, in restitutionem non veniant, sicut de confiscatione bonorum ipso jure statuta ob crimen hæresis, vel aliud tradit Syl. *verbo Hæresis. 1. q. 8. v. Pro his.*

Quod si pœna mortis, aut mutilationis, *44* vel alia corporis afflictiva statuta sit, non potest quidem Reus obligari, ut directe tales pœnas exequatur, v. g. ut venenum bibat, famis inedia se ipsum conficiat &c. quia

quia talis obligatio, utpote naturæ sui conservativa valde contraria, censeretur moraliter impossibilis; tenetur tamen post sententiam non resistere executioni, & debet etiam indirectè cooperari, quatenus est necessarium ad executionem faciendam, v. g. kalas ascendere, collum præbere &c. Non esset tamen gravis peccati arguendus, qui potius naturali mortis, aut supplicii horrore, quam ex contentu Magistratûs executioni minùs promptè obsequeretur.

45 Imò etiam fugientem ex carcere declinandi gravis supplicii causâ, quamvis justè incarcerationum, quàm plurimè DD. à peccato excusant: nimis enim durum videtur obligare homines in conscientia, ut media salvandi vitam suam, quæ juri divino non repugnant; licet per accedens custodes carcerum damnificarentur, tum quòd id eorum culpâ eveniret; tum etiam quòd utens jure suo non censeatur alicui injuriam vel injulitiam facere. *l. nullus videtur. ff. de Regulis juris.* Qua de re videri poterit Paulus Lay. *de Legibus. c. 15. n. 7.* & alij apud eum citati.

46 Quæritur VI. an leges tributorum, & vectigalium, quæ à Dominis Territoriorum imponuntur, obligent in conscientia? Non desunt apud Cov. *in Releç. c. peccatum. de Regulis juris in 6. p. 2. s. 5.* qui simpliciter negant, tales leges in conscientia obligare, adeoque vectigalium & tributorum defraudatores in foro interno tutos esse, & tantùm in foro externo, si deprehendantur, poenâ commissi vel confiscationis mulctari posse. Fundamentum eorum est, quòd omnes leges humanae habentes aliquam poenam annexam non obligent in conscientia: cum Legislatores annectens poenam videatur non intendere ad culpam, & reatum conscientia obligare, sed solâ

poenâ contentus esse. Verùm contraria sententia, quam tenet Cov. *c. l. num. 5.* & P. Lay. in Theol. mor. *l. 3. tract. 3. p. 1. c. 3. num. 5.* & alij communiter, probabilius, & tutior est, quòd nimirum leges tributorum & vectigalium, si justæ sint, hoc est, si late ab habente auctoritatem, si ex justâ causâ, & secundùm quantitatem communem, non iniuam, obligent in conscientia non tantùm ad solvendum, sed etiam ad non solum seu defraudatum restituendum. Ratio est: quia lex vectigalium & tributorum fundatur in justitia commutativa, ex qua Principi vel Magistratui pro sua sustentatione debetur compensatio, & reditus annuus propter onera publica & curam regiminis publici ab iis, quorum gratia sustinetur. Id quod valde efficaciter confirmatur ex sententia Christi de tributo à Judæis interrogati *Matth. 22. v. 21. Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Item ex verbis Apostoli *ad Rom. 13. v. 5. Necessitate subacti estote etiam propter conscientiam: idè enim* (nota connexionem cum eo, quod dixit de conscientia) *& tributa præstatis, Ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes; reddite ergò omnibus debita: cui tributum tributum: cui vectigal vectigal &c.* Non obstat ratio in contrarium allata: quia illud fundamentum ita generaliter positum communiter à DD. rejicitur, præsertim circa leges, quæ ex æquitate naturali, aut justitia commutativa procedunt; cum in similibus additio poenæ principalem obligationem & præceptum non infirmit, sed potius ejus gravitatem arguat, & declaret, mentem Legislatoris fuisse sub gravi culpa adstringere. Licet interim ipsa poena in conscientia ante Judicis sententiam non obliget, & quamvis in conscientia sit obligatio solvendi tributum, non

non tamen tenetur defraudans, antequam condemnetur, bona sua proprio motu in commissum dare, vel poenam statutam exsolvere.

Addunt vero præcitati DD. & cum illis Syl. verbo *Gabella. 3. num. 17.* si vectigal vel tributum communi famâ, vel persuasione populi reputetur iniquum, aut sub prætextu sustentationis congruæ, vel alterius necessitatis impositum in usus non necessarios ad nutriendam pompam superfluum, vel avaritiam cederet, non oriri conscientia obligationem. Quod si consideratis omnibus dubitetur de iustitia tributi, aut vectigalis, maxime si fuerit noviter impositum, & non antiquâ consuetudine introductum, monet Syl. d. l. n. 29. & Mol. Tom. 3. disp. 674. n. 7. & 9. ut confessarii ante factum inclinent Populum ad solutionem faciendam, ne se periculo iniustitiae erga Principem exponant, sicut & alias in dubio ad obedientiam, & reverentiam Principi præstandam inducendus est populus: post factum autem nec semper gravis peccati arguant, nec cogant restituere, quia in dubio melior esse potest possidentis conditio. Minor plerumque videtur difficultas facienda cum foederalibus & externis, quibus ob solum transitum per aliquem locum vectigalia, ac pedagia imponuntur: his enim minor est obligatio conservandi alienum Principem, quam subditis suum proprium, nisi in quantum cura alieni Principis etiam in istorum commodum redundat, videlicet ex reparatione viarum, pondatum securitate itinerum, vel quod in tali loco tuto merces emi, & vehi possint. Syl. d. l. n. 8. Ubi etiam in seq. resolvit; eos, qui exigant vectigalia à transeuntibus, teneri ad satisfactionem, si per suam negligentiam itinera & loca sui Territorii minus tuto conservant, & exinde transeun-

tibus damnum evenerit. Et generaliter communis est sententia, imponentem novam, atque injustam tributum, ac vectigalia ad restitutionem, vel aliam æquivalentem compensationem teneri. Quae de re plura apud prænominatos auctores videri poterunt.

Quæritur VII. an leges infirmantes contractus, vel testamenta, aut alias defunctorum ultimas voluntates propter omisam solemnitatem, vel aliam causam, etiam locum habeant in foro interno, ut ex tali contractu, vel testamento infirmato nihil in conscientia debeat, aut retineri possit?

In celebri hac controversia DD. tam Theologi, quam Jurisperiti in diversas sententias abierunt. Oportet autem prænotare, in quo conveniant, & in quo dissentiant, ut status questionis & difficultas accuratius percipiatur.

Conveniunt I. si contractus, vel alius actus jure nature, aut gentium valeat, eundem verò lex civilis seu positiva non approbet quidem, sed nec improbet, quod tunc non detur actio in foro externo ad multitudinem litium evitandam; sit tamen naturalis obligatio etiam in conscientia stringens, & in foro externo exceptionem pariens, eò quod jure nature talis actus, vel pactum subsistat, prout circa pacta nuda concorditer tradunt Interpretes *I. ff. ad tit. de Obligationibus. & ad tit. Decret. de Pactis.*

Conveniunt II. quod aliquando lex expressè prohibeat contractum, vel alium actum, celebratum tamen non irritet, & annuller, adeoque faciat quidem illicitum, sed non invalidum, ejus propterea observatio etiam in conscientia obliget; quod patet ex *c. ad Apostolicam. 16. de Regularibus.* ubi dicitur, quod multa fieri prohibeantur, quae si facta fuerint, obtinent

ment roboris firmitatem; sicut ibidem deciditur, quod professio religiosa non debeat fieri ante annum probationis expletum, facta tamen valeat, & sustineatur. Quod ante Concilium Trid. ita obtinuit; in eodem verò Concilio sess. 25. de Regular. c. 25. omnis professio facta ante annum 16. etatis, vel unum probationis expletum non tantum prohibita, sed etiam annullata est. Sic matrimonium contractum non pramissis in Ecclesia denuntiationibus, vel in fraudem priorum sponsalium de futuro, vel cum voto simplici castitatis, aut alio impedimento impediendo, illicitum est & peccaminosum, non verò invalidum, prout in Lib. IV. Tit. de Matrim. contrah. contra interdict. Eccles. §. I. explicatur.

Imò communiter receptum est, quòd in dubio, quando ex verbis aut circumstantiis aliter de mente Legislatoris non apparet, leges prohibitorie ita exponi possunt, ut actum solummodo prohibeant, non invalidum reddant, si de cetero juri naturæ, aut bonis moribus non repugnet, teste Suar. libro 3. de Legibus. cap. 25. & 29. per notam marginalia ad Gloss. in l. 6. C. de Pactis. n. 2. tum argumento d. c. ad Apostolicam; tum etiam ob vulgata juris axiomata, quòd abrogatio juris communis, & præsertim naturalis sit strictè interpretanda, neque in dubio inducenda; quòd infirmitas contractus sit odiosa, & præjudicans; in similibus autem, ubi jura non sunt clara, quòd *minimum*, hoc est, *minoris præjudicium*, vel *minoris pæne*, sit tenendum per regulam 30. & 49. de Regulis juris in 6. Verùm huic sententiæ obstat textus valde clarus in l. non dubium. §. C. de Legibus. Ubi Imperator expressè rescribit: ea, quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam haberi, licet Legislator fieri prohi-

buerit tantum, nec specialiter dixerit, inutile esse debere, quòd factum est. Idque confirmatur ex l. 6. C. de Pactis. ex cap. imperiali. 13. Causâ 25. quest. 2. ex cap. que contra. 64. de Regulis juris in 6. in quibus locis simpliciter asseritur: que contra legis prohibitionem sunt, inutilia, infecta, & sine viribus estimanda esse. Quare ego magis credo juri conformem doctrinam Gloss. & Hen. Can. in dicto cap. que contra. 64. de Reg. jur. in 6. quòd regulariter actus contra juris prohibitionem celebratus etiam invalidus sit, nisi speciali aliquo jure sustineatur, vel ex circumstantiis, aliisve conjecturis colligi possit, mentem Legislatoris fuisse, actum solummodo prohibere, non irritare, ut in exemplis superioribus adductis. Ad rationes in contrarium facilius est respondere, quàm ad textus juris claros pro hac parte allegatos; nam quòd dicitur in cap. ad Apostolicam. 16. de Regularibus, obtinet in casibus, in quibus habetur juris decisio, vel de mente Legislatoris præsumptio. Alia verò juris axiomata possunt intelligi, quando dubitatur, an certus aliquis contractus propter particulares circumstantias in specie cadat sub juris prohibitionem, si autem constet, esse prohibitum, jam propter cit. l. non dubium. cum concordantibus. non videtur amplius esse dubitandum de ejus invaliditate.

Conveniunt III. quòd lex humana possit invalidare actum civiliter tantum, denegando actionem, vel concedendo rescissionem ejus per officium Judicis, manente interim naturali obligatione, usque dum actus in foro externo rescindatur: veluti si minor tutore auctore hereditatem lucrosam repudiarit, aut damnosam adierit, & postea restitutionem in integrum postulet. l. 1. & seq. C. Si tutor vel curat. interven. si v. g. prohibeatur sub certâ pœnâ vendi-

venditio frumenti, aut aliarum mercium extra territorium &c. in similibus casibus is, qui accepit rem alienam, retinere potest usque dum à Judice revocetur; dummodo contra justitiam commutativam ob defraudationem justii pretii, vel metum illatum nihil peccatum sit: tunc enim in foro interno etiam ante sententiam judicis restitutio facienda est, & quidem ex sententiâ Sanch. de Matrim. lib. 4. disp. 9. num. 4. tamen si metus fuerit levior, qui in foro externo non mereatur restitutionem, modò fuerit causa, siue quâ non fuisset contractum. Ille verò, qui promisit, & necdum tradidit, nec in foro externo, nec in interno obligatur; est enim illa naturalis obligatio propter justam prohibitionem fori externi inefficax, & etiam in foro externo parit justam exceptionem contra adversarii petitionem, sicut regulariter, cui competit actio ad dati repetitionem, vel contractus rescissionem, eidem multò magis datur exceptio ad retinendum. *l. nihil interest. 112. & l. in vitus. 136. §. 1. ff. de Regulis juris & dolo petitur, quod mox restitui debet. l. dolo. 8. ff. de Doli mali, & metus exceptione.*

52 *Conveniunt IV.* quòd lex humana possit actum aliquem jure naturæ, vel gentium subsistentem ita annullare, ut nulla prorsus nec naturalis, nec civilis, siue in foro externo, siue interno obligatio inde nascatur; imò nec tutâ conscientia in tali actu persisti, aut aliquid exinde retineri possit. Ita Concilium Tridentinum annullavit coneractum matrimonii sine Parocho & testibus celebratum. Ita lex civilis irritat contractum à pupillo infantie proximo sine auctoritate Tutoris initum, *l. quod pupillus. 41. ff. de Condict. indeb. l. pupillus. 59. & ibi Gothof. ff. de Oblig. & act.* etiam jus naturæ in genere qui-

dem producit obligationem ex consensu, non simpliciter, sed quatenus consensus est *justus*: in quibus autem particularibus casibus consensus justus, vel injustus sit, lex humana declarare & decidere potest.

* Hucque referri potest privilegium S. 13 *C. Vellejani* fœminis concessum, ne pro aliis efficaciter intercedere, seu fidejubere valeant. Item constitutio S. C. *Macedoniani*, ex qua filiusfam. non tenetur reddere Mutuum acceptum, nisi cum consensu patris acceptum, vel in rem seu utilitatem ejus, aut lumpus aliàs à patre suppeditandos verum sit. *Molina de I. & L. tom. 2. disp. 30. n. 2. Less. l. 2. c. 20.*

Sed jam in quinto magna est dissensio, quando lex humana præscribit certam formam actui v. g. electioni, alienationi rei Ecclesiasticæ, testamentis, aut codicillis &c. quâ formâ non servatâ actus in foro externo invalidus reputatur, utrum in tali casu ob omisam formam actus non tantum *civiliter*, sed etiam *naturaliter* annullatus sit, ut nec in foro interno ullum effectum habeat, ut qui v. g. ex non solemnî electione dignitatem, ex mala alienatione rem Ecclesiasticam, ex imperfecto testamento hereditatem, vel legatum consecutus est, ne quidem in conscientia retinere possit?

Sanè Fachin. *l. 4. Controv. cap. 5.* acriter contendit, solemnitates testamentorum nullam vim habere in foro interno, si constet de voluntate defuncti, ad eoque institutum, vel legarium in testamento non solemnî in conscientia tutum esse, imò heredem ab intestato in conscientia obligari, ut sequatur voluntatem defuncti, quamvis deficiat juris positivæ solemnitas. Argumentum est, quòd ex voluntate defuncti etiam non solemnî, dummodo ex sana & deliberata mente procedat, jure naturæ, & ex naturali obligatione debeat uti, quod

quod defunctus voluit, licet in foro externo pro eo consequendo actio non detur: id quod non leviter hoc modo probatur. Ubi solum repeti non potest, ibi saltem naturalis est obligatio, ubi enim nulla profusus solvendi est obligatio, quocumque errore solum, repeti potest. *l. quod indebit. 7. & l. quod pupillus. 41. ff. de Condit. indeb. sed relicta in testamento non solemni, & soluta repeti non possunt. l. 2. C. de Fideicommissis. l. non dubium. 16. C. de Testamentis. ergo naturali obligatione debentur. Eandem opinionem alio fundamento adjuvat Panor. *inc. cum esset. 10. de Testamentis. & in c. quia plerique 8. de Immunit. Eccles.* quod solemnitates actuum, & testamentorum à jure civili ex præsumptione & ob evitacionem fraudis, quæ circa talia committi solet, inducæ sint; leges autem fundatæ in præsumptione locum non habeant in conscientia, quando de veritate, & enixa voluntate defuncti constat *per tex. not. ab. in l. fin. C. de Fideicom.**

His tamen non obstantibus probabilius videtur, quod docet Covar. *in dicto c. cum esset. de Testam. num. 12. & seq.* solemnitates testamentorum (idem est de aliorum actuum, vel contractuum substantialibus solemnitatibus, quibus non observatis in foro externo annullantur) etiam in foro animæ vni, & effectum suum habere, neque retineri posse in conscientia, quod ex contractu, vel testamento nullo (citra spontaneam agnitionem hæredis, de qua infra) acceptum est; è contra tutum esse hæredem ab intestato, si testamentum defuncti nullum expugnaverit, utcumque de voluntate ejus contiterit.

Ratio est I. quòd leges & præcepta Legislatorum, atque etiam judicium iusta in foro externo, etiam sint iusta in foro interno, ut superius *in quest. 5.* probavimus; neque ef-

set conveniens, ut Juxta alicui in foro externo iuste adjudicaretur hereditatem contra voluntatem defuncti in testamento non solemni expressam, & tamen in conscientia accipiens tutus non esset.

II. Lex ex domina rerum, & potest ex causa uni dominium auferre, & contra voluntatem ejus in alium transferre, ut accipiens etiam in conscientia tutus sit, sicut in jure *prescriptionis, & usucapionis* manifestum est. Ergo multò magis ex defectu solemnitatum ob publicam utilitatem introductarum poterit impedire dominii translationem contra voluntatem transferre volentis, & aliis, scilicet legitimis hæredibus, & præsertim filiis (quibus jure naturæ & gentium potius, quàm extraneis debetur, *l. cum ratio. 7. ff. de Bon. dam.*) adjudicare: cum minus præjudicii sit non acquirere, quàm acquisitum perdere.

III. Ad valorem cujusque actus etiam in foro interno duo requiruntur, scilicet *voluntas, & potentia* per *tex. inc. cum super. 23. de Offic. Deleg.* prout in Phylis non movetur ex mea voluntate lapis, si pondus virium potestatis resistat. Quidquid ergo testator in testamento non solemni voluerit, effectum non habebit, si potestas id faciendi jure prohibente non fuit, *l. hac consultissim. n. 21. §. 1. Cod. de Testamentis.* ibi: *ex imperfecto testamento voluntatem teneri defuncti non volumus, &c.*

IV. *In c. innstruit. 20. de Electione.* non obscure colligitur, quòd illegitimè natus absque dispensatione electus non possit salva conscientia dignitatem acceptare, licet hoc impedimentum illegitimæ nativitatis jure tantum humano statutum sit.

V. *In extravag. ambitiosa. de Rebus Ecclesie non alien.* non tantum alienans res ecclesiasticas sine solemnitate, sed etiam male alienatas recipiens excommunicationem incurrit; quod fieri non posset, si accipiens

in conscientia non peccaret; siquidem excommunicatio non nisi ob peccatum mortale incurritur. Quae duae postremae rationes valde obstant illis, qui putant, electionem, vel alienationem rei ecclesiasticae contra jus tantum humanum celebratam in conscientia observari posse.

Ad primum & potissimum argumentum in contrarium respondet Cov. non esse *naturalem*, sed *moralem* tantum, & *honestatis* obligationem. Mihi salvo meliori iudicio videtur etiam dici posse, non probari absolute in allegatis legibus, nec in *l. ult. C. de Fideicommissis*, quod relicta in testamento non solenni, & per errorem soluta repeti nequeant: cum regulare sit, quod ex omnibus causis, quae jure non valuerunt, vel non habuerunt effectum, soluta per errorem repeti possint. *l. ex his omnibus. 54. ff. de Conact. indeb.* * Sed hoc, quod haeres, de cuius principali praesidio agitur, possit suo juri, quod haberet contra testamentum non solenne, renunciare, & *agnoscere* (quod verbum in sensu juris significat *acceptationem, consensum* &c. prout DD. *agnoscere* & *acceptare* Legatum in testamento relicto pro synonymis accipiunt. Harp. ad §. 2. *l. de Legatis. num. 14.*) voluntatem defuncti, idque juris interpretatione ceaseatur facere solvendo minus solenniter relicta, postquam agnitionem non sit amplius locus penitentiae *juxta reg. 21. in 6. quod semel placuit; amplius assistere non potest*. Ita non obscure colligitur ex ipsis textibus allegatis, *ind. l. non dubium. 16. C. de Testament. ibi: Et si voluntas defuncti circa legata, & fideicommissa legibus subnixis non sit, tamen si haeres sua sponte agnovit, implendi eam necessitatem habeat*. similis textus est in *l. 2. C. de Fideicommissis*, ubi haeres comperiens voluntatem defuncti non solen-

nem, & tamen solvens, juris interpretatione censetur eandem approbare. Denique in *l. fin. C. eod.* quae clarius repetitur in *§. fin. l. Fideicom. haered. dicitur*, quod testator *fidem haeredis elegerit, &c.* ideoque supponendum, quod haeres de praestando fideicommissio fidem suam interpoluerit, alias enim, si contradixisset, non potuisset testator *ejus fidem delegasse*. Et hoc, si de foro *externo* loquamur.

Quantum ad forum *interium* quaestio eo recidit, an dicta *juris interpretatio*, ex qua solvens inutile relicto censetur approbare voluntatem defuncti, in effectu sit *praesumptio*, aut potius *factio*, juxta tradita superius *quest. 3.* quod cum dependeat a voluntate legislatoris, quae diversimode a DD. explicatur, ideo non est facile certum aliquid statuere. Ferme mihi videtur, dictam interpretationem in effectu *factio* comparari, quia leges citatae simpliciter volunt, ut defuncti voluntas semel agnita firma maneat, ex qualiqua obligatione inde exorta. Notum tamen contrarium erroris dammare: nam illa verba *in l. 2. C. de Fideicom. cum non ex ea sola scriptura, sed ex conscientia relicti fideicommissi defuncti voluntati facti esse videatur*; valde etiam probabiliter ac *praesumptione*, quod scilicet haeres sponte renunciaverit juri suo voluntatem defuncti sequendo, & fideicommissum inutiliter relicto praestando, intelligi possunt; qualis *praesumptio* in foro quidem externo foret *juris & de jure*, non admittens probationem in contrarium per text. in *d. l. 2. ibi: frustra ab haereditibus ea de re* (scilicet de praestito fideicommissio inutiliter relicto) *ibi: questio moveatur*; in foro autem interio cederet veritati, si tale fideicommissum haeres non cum animo renunciandi juri suo, sed mere ex errore juris solvisset.

Cete-

Cœterum verò si ponatur casus, quòd hæres non habuerit certam scientiam voluntatis defuncti, sed solummodo confisus scripturæ, aut depositioni testium (quæ à parte rei potuit esse falsa, subornata, contra vel præter mentem defuncti) non solemniter relicta per errorem juris solverit, an tunc repetitionem non habeat? id in dictis legibus non deciditur; neque etiam, an ex sola conscientia voluntatis defuncti, qui necdum solvit, ad solvendum teneatur? licet enim ex voluntate defuncti sive naturalis, sive moralis obligatio nascatur, ea tamen (sive spontanea agnitione hæredis d. l. non dubium. 16. Cod. de Testam.) inefficax est, sicut obligatio pupilli sine tutoris auctoritate. * Quod autem quidam aiunt, hanc obligationem operari retentionem per remedia juris etiam in conscientia avocabilem, puto ita intelligendum, quòd rem ex testamento non solemniter sine vi, aut fraude obtentam liceat quidem retinere, quamdiu dubium aliquod de valore testamenti, vel an hæres ab intestato secutus sit, & agnitus voluntatem defuncti, superesse potest, non autem, si manifestè constet de invaliditate testamenti, & simul de factò hæres ab intestato declaravit voluntatem suam, quòd jure ex lege sibi competente contra voluntatem defuncti uti velit, tamen decretum Judicis non intervenerit; cum enim sciam me perditurum causam in judicio, planè æquitas naturalis non admittit, adversarium justam causam foventem per molestam litem cum jacturâ temporis, expensarum, amicitiar, & animi pacationis vexare,

61 Ad alterum respondetur negando, quòd leges præscribentes actibus formas substantiales fundentur in præsumptione, licet motivum condendæ legis fuerit evitatio fraudis. Neque cessante ratione legis in particulari casu cessat lex generalis formam

actui statuens, nisi ratio generaliter cesset, sicut si matrimonium hodie post Concilium Tridentinum coram centum testibus absque Parocho contraheretur, non idèò valeret, tamen in hoc casu periculum abnegandi matrimonium cessaret. * Alias instantias, quas adducit Fach. l. cit. quòd multa negantur in foro externo, quæ non obligant in foro interno, sicut ex emplacònit de denegata actione oblationem infra dimidium justii pretij, de actione *quantum minoris*, vel *redhibitoria* ultra annum vel medium non extensa, facile est resolvere ex superius dictis, quòd nempe aliud sit ad minuendas lites actionem in foro externo denegare, & aliud ipsum actum ejusque obligationem annullare.

§. IV.

De promulgatione, acceptatione, & abrogatione Legum.

SUMMARIÆ.

63. Scriptura non est de Substantia legis.
64. Publicatio legum qualiter fiat.
65. Scientes legem non obligantur ante lapsum 3. mensium.
66. Constitutiones inferiorum ligant etiam ante duos menses.
67. Leges Pontificie Romæ tantum promulgata quæ sensu de Stylo ligent ubique.
68. Legum effectus an dependeat à populi acceptatione.
69. Contra legem dissimulante legislatore non acceptam currit consuetudo.
70. Legem abrogare quis possit?
71. Statuta inferiorum à S. Pontifice confirmata quis possit abrogare?
72. Derogatio legis quid sit?
73. Declarare legem quis possit?
74. Regule quædam utiles circa declarationem & interpretationem legum.
75. Mens legis præferenda est verbis.
76. Epikia, seu interpretatio ex bono & æquo cui competat?
77. Equitas rigori juris præferenda.
78. Epikia non admittitur circa solemnitates substantiales actuum.

79. Cessante ratione legis, quando cesset ipsa lex?
 80. Odis restringenda, favores ampliandi.
 81. Correctio juris strictè accipienda.
 82. Ex paritate rationis potest aliquando fieri extensio juris.
 83. Verba legis non faciliè improprianda.
 84. Jura juribus concordanda.
 85. Dispensatio quid?

63. Quamvis absolutè ad substantiam legis non desideretur, ut in scripturam redigatur, & lex vel constitutio positiva tantum accidentali, & extrinsecà denominatione *sus scriptum* dicatur ad distinctionem juris consuetudinarii, quod absque constitutione per mores hominum inducitur, sicut cum communi tradit Harp. *ad §. 9. Dist. de l. N. G. & C.* * requiritur tamen, ut sive per scripturam publico loco affixam, sive per præconis proclamationem ita publice, ut in hominum ex lege obligandorum notitiam devenire possit; *cur enim culpabimus eos, inquit Imperator in Nov. 66. cap. 1. qui postea ignoraverint constitutiones.* Porò de promulgatione legum Imperialium habetur *in d. 66. Nov.* quòd non obligent, nisi postquam fuerint promulgatæ in cujusque Provinciæ Metropoli; & insuper duo menses elapsi, ut intra hoc temporis spatium sufficiens notitia haberi possit.

64. Quare tamen aliquis priùs in notitiam talis legis devenerit, tamen ante lapsum duorum mensium ad ejus observationem non adstringetur. Quod generaliter obtinet, quoties Legislator ad obligationem suæ legis vel longiorem, vel breviorum terminum non præscripsit, prout in Concilio Trident. *Sess. 24. de Reform. Matr. cap. 1. in fine* statuitur, quòd irritatio matrimonij clandestini primùm post 30. dies à die promulgationis vim habeat.

Non ignoro, quòd multi DD. contrarium doceant apud Barb. *in cap. 2. hoc tit. num. 6.* existimantes, quòd lex sive impe-

rialis, sive alia habens certum tempus annexum, obliget eos, qui ante finitum illud temporis spatium notitiam legis acquisiverunt per textum *in cap. 1. de Postulat. Præl. ibi: sufficit, ut ad constitutionis observationem teneatur, qui noverit eam solemniter editam, aut publicè promulgatã &c.* Cui addi potest *regula 31. juris in 6. quòd certius certiorari ulterius non debeat.*

Sed recto juris, & verborum sensui magis consona est nostra sententia, quam præter alios etiam docet Nav. *de Constitutionibus cons. 1. n. 8.* Menoch. *de Arbitr. Judic. lib. 2. casu 185. n. 7.* etenim *in cit. Nov. 66.* dicitur, *leges primùm post duos menses valere: in citato loco Concilij: quòd decretum de reformatione matrimonij primùm post 30. dies robur habere incipiat: in bulla Pii IV. super declaratione temporis ad observanda decreta Concilij Trid. jure communi sancitum est, ait Pontifex, ut constitutiones nove vim non nisi post certum tempus obtineant &c.* Quæ sanè verba in propria significatione satis indicant, quòd tempus legi adjectum universim sine distinctione tam respectu scientium, quàm ignorantium obligationem suspendat. Accedit, quòd mens Legislatoris tempus legi adjectis fuerit, tollere confusionem in populo, ne aliqui propter scientiam priùs, aliqui propter ignorantiam ferius obligentur; quæ confusio minimè tolleretur, si tempus adjectum respectu scientium obligationem legis non remoretur.

Ad Contraria respondetur, ea procedere ex supposito jam negato, quòd lex ante lapsum temporis obligare inceperit: neque enim *in cap. 1.* propositum fuit summo Pontifici nostram quæestionem decidere, sed aliam: nimirum, quòd ad obligationem legis sufficiat promulgatio in communi, & non requiratur, ut singulis per mandatum speciale

ENGEL
 1720
 720

66 ciale inſinuetur. Deinde *illud cap.* loquitur de conſtitutione alicujus Cardinalis; quã in re eſt advertenda communis doctrina, tradita à Panor. *in cap. 2. hoc tit. num. 7.* quòd in conſtitutionibus Legislatorum inferiorum à ſummo Principe non habeat locum illa *Novell. 66.* ſed ſi tempus certum expreſſum non habeant, obligent ſcientes ita, ignorantibus verò poſt tempus arbitrarium, quo rationabiliter poteſt præſumi de ipſorum notitia, & poſt quod tempus non debuiffent conſtitutionem ignorare, ſicut dicitur *in cap. 1. de Conceſſ. præbend. in 6.*

67 Speciale eſt de ſtylo Curie Romanæ circa Bullas ſummi Pontificis, quòd vim habeant obligandi, quàmprimùm in eadem Curia Romana publicantur, & in *arce campi Flore,* ac ad valvas Baſilicæ Apoſtolorum afixæ ſunt, & in Cancellaria Apoſtolica pro publicatis habentur, teſte Barb. *d. l. num. 9. cum citatis ibidem.* Attamen hic ſtylus limitandus eſt, ut in primis poſitiſimum procedat circa cauſas beneficiales & ſimiles, in quibus S. Pontifex liberam poteſtatem habet, non autem circa ea, quæ proximè conſcientiam tangunt, ut circa cenſuras Eccleſiaſticas, jurisdictionem Confeſſariorum in foro pœnitentialem, &c. nam ſimilia debent etiam in partibus innotefcere & publicari, ne ignorantibus peccati arguantur, vel periculum animarum incurrant. *arg. cap. tum infirmitas. 13. de Pœnit.* Præterea ſi v. g. circa beneficiales cauſas aliquid novi Romæ conſtituatur, habeat quidem effectum, ſi cauſa ex partibus Romani perveniat; ſi verò in partibus præfertim ultramontanis agitur, ſecundùm jus ordinarium, & conſuetudines ibi vigentes judicabitur, ſi talis bulla ibidem publicata, & recepta non ſit: nam ſtylus Curie non in omnibus extenditur extra Cu-

riam, maximè cum naturali æquitati ſit conveniens, ut leges non publicatæ, adeoque ignoratæ, non ligent, & Pontifex per generales leges non intendat ſemper particularibus locorum ſtatutis, & conſuetudinibus derogare, niſi exprimat. *cap. 1. hoc tit. in 6.*

De acceptatione legum quotidiana quæſtio & controverſia eſt, an legis effectus & obligatio à populi acceptatione dependeat, & qualiter illud accipiendum ſit, quod vulgò circumfertur, legem non acceptatam non obligare: Enimverò aliqui cum Nav. *hoc tit. conſil. 1. q. 5.* ſimpliciter aſſerunt, vim & ſubſtantiam legis à populi acceptatione pendere, & omnes leges habere tacitam conditionem: *ſi accipientur;* pro quibus facit textus *in cap. in iſtis. 3. §. leges diſt. 4. ibi: leges inſtituuntur, cum promulgantur; firmantur, cum moribus utentium comprobantur.* Item *in l. de quibus. 32. ff. de Legibus, iſta leges, ait JC. nulla ex cauſa nos tenent, quam quòd iudicio populi receptæ ſint.*

Verùm rationi magis conſentaneum eſt, quòd, cum populus in omnibus juſtis præceptis obedientiam Legislatori tam in foro interno, quàm externo debeat, ut in *priore §. demonſtratum,* non ſit in poteſtate populi, an legem acceptare, vel rejicere velit: non acceptari autem aliquando legem poſſe vel ex ignorantia, quia v. g. Romæ tantùm lata per Ordinarios locorum in partibus nunquam promulgata fuit; vel ex cauſa, quia continet aliquod notabile gravamen, propter quod utiſiter in ſingulis locis obſervari non poteſt, & inſuper Legislator, qui non ignorat, vel facile ſcire poteſt neglectum ſuæ legis, ſaltem tacitè connivendo acquieſcit. Vid. etiam text. *in cap. ſiquando. 5. de Reſcriptis.* ubi declarat S. Pontifex, quòd juſte ſuſpendatur executio Mandati Apoſtoli-

sollici, si videatur continere aliquod notabile gravamen, usque dum S. Pontifex ea de re certioratus obligationem aut remittat, aut repetat. Similes textus sunt *in c. pastoralis. 8. de Fide instrum. cap. cum teneamur. 6. de prabendis.*

Non obstant, quæ in contrarium allata sunt; nam ille textus *in d. g. leges.* in primis est Gratiani, cujus autoritas non est decisiva. Deinde explicari potest de confirmatione legum *extrinseca*, & accidentali, non *intrinseca* & substantiali, quatenus scilicet leges moribus utentium receptæ extrinsecam suam perfectionem, & vigorem consecutæ sunt, non verò quod ante hanc receptionem vim propriam obligandi ex se non habuerint. Alter textus *in l. de quibus. 32. ff. de LL.* procedit de illo antiquo tempore, quando potestas leges ferendi, & magna pars imperii penes populum Romanum fuit; postea verò, quando populus *lege Regia* potestatem suam in Principem transtulit *juxta l. 1. ff. de Constitut.* nulla fuit relicta populo autoritas legem, aut ferendi, aut approbandi. Maxime autem in causis Ecclesiasticis & spiritualibus *dicta lex. 32. locum non habet*: quia in istis potestas ferendi legem immediatè à Christo, Apostolis, eorumque Successoribus data est, & nunquam penes populum fuit.

69 Illud quoque circa acceptationem legum advertendum est, quòd si lex dissimulante Legislatore non observata sit, lapsu 10. annorum aboleatur: sed hoc, si nunquam recepta sit; si verò aliquando recepta, & postea per contrarium usum intermissa, ad eam tollendam, si *eccl. statuta* sit, 40. annorum spatium requiritur. *Laym. in Theol. mor. in act. 4. cap. 3. num. 4. Garc. de Benef. p. 7. cap. 1. num. 27.* Qua de re inferius *in Titulo de Consuetudine* plura dicemus. Sin autem Legislator inleat & urgeat,

legem suam recipi, non obstante gravamine à populo proposito, nec iniquitas legis manifesta sit, secundum obedientiam ei debitam parendum erit: sæpe enim homines veteres corruptelas, & malas consuetudines difficulter relinquunt, non tamen propterea semper eis indulgendum, si aliud pro Republicæ utilitate expedire Principi videatur.

Inter Abrogationem, Derogationem, Declarationem legis, & dispensationem in lege differentia facienda est. Nam *abrogatio* significat totalem cassationem & substitutionem legis. * Fit autem *abrogatio* aliquando per consuetudinem contrariam, de qua inferius: aliquando per ipsum Legislatorem, vel successorem ejus ob mutatas circumstantias temporum, rerum, & causarum: *nonnunquam enim*, ait Joannes XXII. *in extravag. 2. de Verb. signific. quod conjectura profuturum credit, sequens experientia nocivum ostendit, idè non debet reprehensibile judicari, si Canonum Conditor Canones à se, vel suis Prædecessoribus editos revocare studeat, si obesse potius viderit, quàm prodesse.* Dico etiam per successorem posse revocari constitutionem antecessoris: idque tametsi haberet clausulam: *hæc immutabili, & in perpetuum valitur à lege sancimus &c.* cum enim par in parem, aut antecessor in successorem æqualis dignitatis, non habeat imperium, vel jurisdictionem, idè etiam lex aliqua successori ab antecessore præscribi non potest, à qua ei recedere non liceat. *cap. innotuit. 20. de Elect.*

Et hoc non tantum de constitutionibus imperatoris, aut pontificis, sed etiam inferiorum Principum, & Legistratorum accipiendum est, prout superius diximus, statutum prædecessoris Episcopi, vel Capituli sede vacante posse à successore Episcopo revocari.

Sed quid, si talia statuta inferiorum Legislatorum à Summo Pontifice, vel Imperatore confirmata sint, anne nihilominus ab inferioribus revocari poterunt? Distinguedum putat Decius, *in cap. cum accessissent. §. hoc tit. num. 18.* an statuta inferiorum sint *contra jus commune*, in quibus propterea ex defectu potestatis statuendi confirmatio superioris fuit necessaria; vel an statutum fuerit *propter jus*, & per se validum, ac confirmatio superioris tantum accidentaliter, & corroborativa? Illo casu censet, statutum ab inferiore amplius revocari non posse, cum per confirmationem, à qua totam substantiam accepit, facta sit lex superioris, cui inferior derogare non potest. *Clement. ne Romani. 2. in princip. de Elect.* secus verò in casu posteriori, in quo statutum substantialiter est inferioris. Sed quia huic distinctioni obstat textus in eodem *cap. cum accessissent.* ubi suppressio *Primitivus* in Ecclesia Cathedrali, & ejus fructuum inter Canonicos distributio fuit statutum Capituli *contra jus commune*, teste Gloss. *ibidem in V. confirmatum:* cum jure communi non liceat Capitulo præbendam canonicalem, præsertim verò dignitatem suppressere, & tamen hoc statutum, licet à Summo Pontifice necessario confirmatum, potuit à Capitulo ipso facto contraveniendo revocari; idcirco circa primum distinctionis à Decio assignatæ membrum aliâ distinctione utitur Abbas *in dicto cap. cum accessissent. n. 2.* quam etiam probat Fag. *in eodem cap. n. 12.* nimirum, si statutum confirmatum à superiore concernat favorem publicum, vel aliorum, quàm statuentium, non possit revocari ab inferiore: possit autem, si concernat principaliter favorem ipsorum statuentium, ut *in d. cap. cum accessissent. n.* ubi reditus dignitatis suppressæ acceverunt reliquis Capitularibus: eo enim casu sit re-

vocatio ad illum modum, quo quilibet potest favori, aut privilegio suo renunciare.

Derogatio significat particularem legis immutationem, quæ se habet vel ex parte ipsius legis, quando Legislator unum legis articulum mutat, vel à generali constitutione certos casus speciales excipit; vel ex parte subditi, quando eidem Legislatori rescriptum, privilegium, aut dispensationem contra legem concedit.

Declaratio est vera legis interpretatio secundum mentem Legislatoris. Hæc etiam aliquando inferioribus in lege superioris competit. Sic summus Pontifex, quamvis inferior sit jure divino & naturali, & illud abrogare, vel in eo dispensare nequeat, declarare tamen potest, & verum ejus sensum exponere. Licet verò etiam alij viri docti possint interpretationes legum Divinarum, & humanarum facere, eæ tamen probabiles solummodo sunt, non autoritativæ & decisivæ, sicut Summi Pontificis.

Cæterum circa hanc privatam interpretationem, quam faciunt privati DD. aliquot utiles regulæ traduntur, quæ tum in iudiciis, tum in scholis frequentissimè adduci solent. Ut I. quod *interpretatio* legum potius menti, quàm verbis Legislatoris convenire debeat: *non enim debet intentio verbis, sed verba intentioni deservire. cap. secundo requirit. 21. de Appell. Et scire leges non est verba callere, sed vim & potestatem. l. scire. 17. ff. de Legibus.* Textus notabilis *in l. scire. 13. §. 2. ff. de Excus. tutorum.* ibi: *sed etsi maximè verba Legis hunc habeant intellectum, tamen mens Legislatoris aliud vult.* Unde *in l. contra legem. 29. ff. de Legibus* in fraudem legis facere dicitur, qui *salvis verbis legis mentem ejus circumvenit;* ut in vulgari exemplo, si prohibitus noctu ambulare sine lumine, lumen quidem deferat, sed ita absconditum, ut à

aut à nemine agnoscat &c. & in *cap. ult. de R. I. in 6. certum est, ait Pontifex, quod is committat in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatē.*

II. Juxta verosimilem mentem legislatoris leges universales, vel admodum rigorosae nonnunquam benignā aliquā interpretatione secundum bonum & equum * explicandae sunt, & ab his aliqui casus in specie excipiendi ob rationabiles consideraciones, de quibus si Legislator interrogatus fuisset, implemet excepisset, non enim possunt omnes casus legibus comprehendi, sed illi, qui plerumque & ordinariē accidunt, *l. non possunt. 12. l. nam ad ea. 5. ff. de Legibus. atque ista interpretatio secundum bonum & equum, Epiecia, aut praesumpta mens Legislatoris vocatur.*

Huc etiam pertinet textus in *l. placuit. 8. C. de Judiciis*, ubi Imperator rescriptit, quod in omnibus causis potior esse debeat aequitatis, quam stricti juris ratio. Verum quia in *l. 1. C. de Legibus* idem Imperator interpretationem inter aequitatem & jus strictum sibi reservavit; & in *l. prospexit. 12. in fine ff. Qui & aequibus manumissis*, Juris C. vult legem etiam duram observandam esse, si ita scripta sit; & Aug. in *c. 3. dist. 4. ait: non de legibus, sed secundum leges judicandum esse; ideo Fach. lib. 1. Cont. 3.* sequenti distinctione rem componit; vel enim verba legis, ejusque mens adeo clara sunt, ut salvā ratione recti sermonis non possint aliam interpretationem habere? & servanda est lex, quamvis dura: vel verba legis sunt generalia, quae in particularibus casibus, salvā verborum generalitate, & ratione recti sermonis, possunt habere interpretationem ex bono & aequo? & procedit *d. l. placuit*: vel denique dubitatur, quid justum, quid aequum sit? & juxta *d. l. 1. C. d. LL. Princeps consulendus est.*

Præterea in legibus, quae formas substantiales actibus praescribunt, ex communi DD. sententia Epiecia aut interpretatio contra verba & formam legis admitenda non est: quia rigor talium legum bonum publicum concernit, nisi aliter mens legislatoris colligi possit. Ita docent non valere matrimonium etiam quacunquē urgente necessitate sine Parocho & testibus contractum. Barb. ad Concil. Trid. sess. 24. c. 1. n. 160. Sanch. de Matr. l. 3. disp. 17.

III. Similiter ob cessantem rationem legis recte nonnunquam fit interpretatio ex mente legislatoris cessare ipsam legem, *c. cum cessante. 60. de Appell. l. adigere. 6. ff. de Jure patronatus*. Quod tamen ita intelligendum est, ut si totalis & adaequata (non particularis, aut impulsiva solum) legis ratio generaliter cesset, tunc etiam lex generaliter cessare dici possit; si verò ratio in particulari tantum casu cesset, frequens est, ut praesertim in legibus formas substantiales praescribentibus, vel aliās conformitatem publicam respicientibus obligatio legis adhuc etiam in illo particulari casu perseveret. Si verò ex non observatione legis, cujus ratio in particulari cessat, nullum oriatur in communi scandalum, ut maxime accidit in legibus falsa praesumptione fundatis, dicendum etiam est, talem legem in particulari casu, praesertim verò in conscientia non obligare.

IV. Leges poenales, odiosae, aut magnum praesudicium afferentes sunt strictae interpretationis, & non ulterius, quam secundum verborum strictam proprietatem sonant, etiam ex paritate rationis extendendae: è contra leges favorabiles ampliori interpretatione ad juvandae. *c. in poenis, 49. c. odia. 15. de Regul. jur. in 6.*

V. Etiam leges exorbitantes à jure communi, & aliarum legum correctoriae strictè

interpretandæ sunt, neque regulariter cen-
setur plus de priori lege mutatum, quàm ex-
pressum. *l. precipimus. 32. C. de Appell.*
& si ex pluribus prioris legis articulis unus
solus mutatus, aut una sola exceptio addi-
ta, in reliquis lex inmutata manet juxta di-
ctum Gloss. communiter receptum *in l. in
his. 15. ff. de Legibus: quod exceptio fir-
met regulam in casibus non exceptis.*

82 VI. Ex paritate rationis, rerum, perso-
narum, & aliarum circumstantiarum, quod
decisum est in uno casu, per interpretatio-
nem etiam ad alios casus dubios, & non de-
cisos extendere oportet juxta vulgare, quod
ubi eadem est ratio (adequata scilicet sine
apparente disparitate) eadem sit juris con-
stitutio. *l. non possunt. 12. cum l. seq. & l.
ideo. 27. ff. de LL.*

83 VII. Verba legis accipienda sunt secun-
dum propriam significationem, & non im-
propriam, nisi aliter constet de mente Le-
gislatoris. *l. non aliter. 69. ff. de Legatis 3.*
in dubia autem, & ambigua significatione
verbi præferenda est, quæ communi homi-
num acceptioni, vel menti legis aut æquitati
magis correspondet, vel ad pœnas & odia
minuenda, favores autem ampliandos ma-
gis convenit.

84 VIII. Correctio jurium non facile admit-
tenda, sed si Canones, aut leges inter se di-
screpantes proferantur, nec ex contextu de
manifesta correctione appareat (solet enim
quandoque jus pœterius derogare priori)
de aliqua conciliatione seu concordia cogi-
tandum *cap. cum expediat. 29. de Elect.*
in 6. Quid autem, si inter jus Canon. &
Civile discrepantia sit? superius in proœ-
mio *sub. num. 19.* dictum est.

85 Demùm *consuetudo*, præsertim secun-
dum quam jam aliquando in contradictorio
judicio judicatum est, optima legum inter-
pres censetur. *l. si de interpretatione. 37.
ff. de Legibus.*

Dispensatio est relaxatio legis in aliquo
speciali casu, vel particularibus personis
publica auctoritate facta. Hæc regulariter
illi tantum competit, qui supra legem est,
scilicet Legislatori, vel successori ejus; in-
ferioribus tamen etiam nonnunquam vel ex
speciali privilegio; aut consuetudine, aut ex
præsumpta mente superioris ob magnam
causam, & datâ morali impossibilitate su-
periorum ad eundem conceditur. Qua de re
inferius hoc eodem libro *in Tit. de Majori-
ritate, & obedientia.* plura dicemus, præ-
sertim *in §. 4.* ubi de potestate dispensandi,
quæ competit Episcopis, agemus. De dis-
pensatione etiam circa impedimenta Ma-
trimonii dicemus in *Lib. IV. Tit. XVI. de
Matrim. contract. contra interdict. §. 3.
n. 11.* Et ad dispensationes pertinent multa,
quæ paulo post *in seq. titulo. de Rescri-
ptis.* & *infra Lib. V. de Privilegiis.* trade-
mus. In aliis quoque specialibus titulis de
particularibus dispensationum casibus tra-
ctandi occasio se offeret.

Si denique casus aliquis in materiâ di-
spensationis difficilior emerferit, videri
poterit Thomas Sanchez. *de Legibus lib.
6. Paulus Layman. in Theol. Moral. lib.
1. tract. 4. cap. 22.*

§. IV.

TITULUS III.
De Rescriptis.

SUMMARIÆ.

1. Rescriptum quid?
2. Rescriptum aliud Gratiæ aliud Justitiæ.
3. Differentia inter Rescripta, Privilegia, & Mandata.
4. In quibus conveniant rescripta gratiæ, & justitiæ.
5. Excommunicatus an & quale rescriptum impetrare possit?
6. Rescripta constant narratione, supplicatione, & conclusionem.

7. Rescripta

7. Rescripta Pontificia habent tacitam conditionem, si preces veritate nitantur.
 8. Narrativa qualiter probanda, & ibi quod narrata à Papa non probent, si de super non fundetur principale intentio eius.
 9. Narrata, super quibus fundatur intentio Papae, qualiter probanda.
 10. Narratorum probatio quando non requiratur, & ibi de clausula: si est idoneus.
 11. Exponitur text. in c. super literis. h. t.
 12. An etiam conveniat rescriptis gratiae.
 13. Error latinitatis quando vitiet rescriptum.
 14. Fratres & Filii qui appellentur à Papa.
 15. Raptura quando vitiet rescriptum.
 16. Rescripta non valent in prejudicium reip. vel tertij.
 17. Rescripta gratiae & iustitiae in quibus differant.
 18. In Rescriptis gratiae attenditur tempus datae, in iustitiae, praesentatae.
 19. Rescripta iustitiae sunt inter partes communia.
 20. Rescripta gratiae non expirant morte concedentis.
 21. Rescripta quatenus transeant in Successorem.
 22. Rescriptum posterius non faciens mentionem de priori quando validum.
 23. Rescripta iustitiae & gratiae quando de Jure communi, & ex concordatis Germani, praesentanda.
- R**escriptum in genere describi potest cum Hostiensis in *Summa hoc tit.* quod sit illud, quod à Papa vel Principe rescribitur ad consultationem, relationem, vel supplicationem alterius. Sunt enim rescripta directe in favorem tantum privatorum, qui ea à Principe impetrant, ordinata: quaedam tamen etiam in consequentiam jus commune faciunt, quando nimirum Princeps super dubio aliquo juris articulo à privatis consultus suam sententiam edicit. *c. in causis 19. de Sent. & rejud. ult. in princ. C. de LL. ex qualibus Rescriptis Decretales Pontificiae, & Codex Justinianus majori ex parte compositi sunt.* At in praesenti titulo de illis potissimum rescriptis negotium est, quae ad supplicationem pro impetrando beneficio, vel alia gratia, aut pro obtinenda causae judicialis delegatione conceduntur.
- Hinc rescripta communiter per interpretes in duas classes distinguuntur, quod scilicet alia sunt *rescripta gratiae*, quae dantur

ad beneficia, & similes gratias; ac alia *rescripta iustitiae*, quae dantur ad lites & decisionem, vel delegationem causarum. * Faciunt quidem Doctores in rigore differentiam inter *rescripta, privilegia, & mandata*, quod *rescriptum* proprie sit ad juris observantiam, quo praescribitur forma, causam secundum jus decidendi: *privilegium* vero contra jus, & *mandatum*, quo jubet Pontifex alicui provideri de beneficio vel praebenda, sicut pluribus explicat Petrus Rebuffus in *Praxi beneficiorum. tit. Differentia inter privilegium, rescriptum, & mandatum*: sed recte etiam ista communi *rescriptorum* appellatione veniunt, & ad praedictas duas species, rescripta nimirum *iustitiae & gratiae* reducuntur, ut per eundem Rebuffum in *tit. Divisio rescriptorum* apparet. Si utriusque rescripti, *gratiae* scilicet & *iustitiae* convenientias ac differentias enarravero, totam rescriptorum materiae complexus ero.

Conveniunt igitur rescripta iustitiae, & gratiae l. quod ea impetrare possit omnis, qui jure prohibitus non est, sive sit sui, sive alieni juris, liber, vel sub potestate dominica, patria aut Praelati constitutus; non reperitur autem facile aliqua prohibitio teste Sylvest. in *verbo rescriptum n. 2.* nisi circa haereticos *l. 2. in princ. C. de Summa Trinitate & excommunicatos. c. dilectus. 26. hoc tit. c. ult. de Procuratoribus.* * Et rescriptum impetratum ab excommunicato super alio, quam excommunicationis, vel appellationis pro sui defensione articulo, sicut & processus, & quidquid inde secutum est, ipso jure nullum & invalidum habetur *c. 1. hoc tit. in 6.* Quod etiam in excommunicatis non denuntiatis post Concilium Constantiense procedere dicendum est, quia in eodem Concilio ipsis excommunicatis nulla gratia facta est, ut in *Tit. de Sententia excommunicationis*, explicabim⁹.

Sed

Sed hodie de stylo Curia Romanae plerisque rescriptis solet inferi absolutio à censuris quoad effectum illius rescripti duntaxat consequendum. Videatur *Barb. in Eod. c. 1. hoc tit. in 6.*

6 *Convenit* II. quod utrumque rescriptum tribus partibus constet, *narratione, supplicatione, & conclusione.* Priores duae partes supplicanti respiciant; *conclusio* vero ad ipsam rescribentem, sive concedentem refertur; quam ultimam partem practici vocant *dispositivam*, eod quod ibi rescribens faciat dispositionem cum clausulis sibi placidis.

7 *Convenit* III. in *narrativa*, & ejus probatione: nam rescripta pleraque pontificia diriguntur ad Ordinarios locorum, vel si sint rescripta justitiae, ad ipsos judices delegatos, ut super veritate narratorum cognoscant: etenim rescripta pontificia, etsi non semper expressè, semper tamen tacite annexam habent clausulam: *si preces veritate nitantur. c. 2. hoc tit.* rescripta vero Caesarea (si de jure communi loquamur) non aliter valent, quam si hanc clausulam expressam habeant. *L. fm. in princ. C. de Divers. rescriptis.* Quando ergo, & qualiter rescriptum impetrans narrata in eo probare debeat, videamus.

8 Sciendum *in primis*, quod narrativa alia sit Summi Pontificis, seu rescribentis, & alia ipsius supplicantis. Quantum ad narrative rescribentis habetur in *Clem. un. de Probat.* narrata etiam Summi Pontificis nihil probare, si super iis non fundetur intentio, hoc est, si incidenter tantum quaedam narraverit, nec propter talia narrata rescriptum dederit. Sic si quem sub titulo cujusvis dignitatis honoret, seu quovis modo tractet, per hoc in dignitate illa ipsum approbare non intelligitur, aut quicquam ei tribuere novi juris, *Clem. si summus. 4. de*

Sententia excom. Similiter si Papa in aliquo privilegio, vel scriptura non facta principaliter super exemptionis causa, aliquam Ecclesiam ad jus, & proprietatem Romanae Ecclesiae pertinere dicat, non propterea illius Ecclesiae exemptio est probata, nisi aliter demonstretur. *c. si Papa ro. de Privilegiis in 6.* quia hujusmodi qualitates praesumuntur rescribenti in supplicatione suggestae; neque etiam ab ipso supplicante probandae erunt, si ad causam principalem rescripti, vel litis non faciant.

Quod si vero super narratis fundetur intentio Papae, sive Rescribentis, tria membra distinguenda sunt: vel enim rescribens narrat de illis; quae proprie ad suam scientiam pertinent, vel de facto alieno, motu tamen proprio, vel de facto ad instantiam, & praeviam narrationem supplicantis. *Primo casu*, si v. g. narret de facto proprio, aut alieno secum gesto, vel de facto sui antecessoris, vel de jure, quod totum in scrinio pectoris habere censetur, *c. 1. de Constitut. in 6.* haec narrativa alia probatione non indiget; imò regulariter probationem in contrarium propter auctoritatem narrantis non admittit, nisi probatio sit talis, quae non impugnet narrationem, sed tantum doceat de jure probantis, v. g. si Papa beneficium conferat, quod narrat per resignationem sibi factam vacare, non prohibeor probare, quod hoc beneficium ad me, & non ad resignantem pertineat. *Secundo casu*, quando Papa, vel alius rescribens motu proprio narrat de facto alieno, fidem facit praesumptivè, ita tamen, ut probatio in contrarium admittatur, quae incumbet illi, qui tale rescriptum impugnare contendit: quia pro impetrante est praesumptio ex auctoritate narrantis. *Gloss. in Clem. unica. in v. sec. ff. narramus. de Probationibus. Mynsing. Cent. 5. observ. 34. n. 10.* *Tertio casu*, quando narratio rescri-

scribentis processit ad præviam insinuationem, vel suggestionem supplicantis (quod in dubio prælumitur, & arguunt illa verba de stylo Curie in literis Apostolicis pontificis: *ut asseritur*) ex se nihil probat, sed probanda est à supplicante. Si tamen ex narratione referentis appareret, narrata non simpliciter ab ipso impetrante asserta esse, sed eum solummodo retulisse, ita ab aliis asseri, sufficeret assertionem communem, sive famam; licet de veritate dubiam, probare.

Hæc porro *narratio* in hoc ultimo casu comprehensa etiam *narrativa supplicantis* dici potest, eaque, ut dictum, regulariter ab ipso supplicante ad consequendum effectum rescripti probanda est, prout exemplum habetur *in cap. Susceptum 6. hoc tit. in 6.* ubi si Pontifex provideri mander de beneficio, quod impetrans narravit per mortem vacare, & alius super eodem beneficio posterior impetret rescriptum, narrando illud vacare per resignationem, & non per mortem prioris beneficiati, posterior impetrans & narratum probans præ altero prioris assequetur.

10 Sunt tamen casus, in quibus probatio narrativa non requiritur; ut *primo*, si supplicans narraverit se idoneum ad beneficium, & impetraverit beneficium cum clausula: *si fuerit idoneus*; præsumetur idoneus, nisi aliud in contrarium ostendatur, *cap. Audum. fin. de Præsumptionibus*. Sed hoc Doctores intelligunt de idoneitate intrinseca, quæ consistit in dispositione animi, & devotione, non autem si beneficium quasdam qualitates extrinsecas, certam nimirum literarum scientiam, vel gradum requireret, circa quæ alia probatio necessaria foret. Barb. *in eodem cap. fin. num. 2. Secundo*, si supplicans duo narraverit, v. g. dicendo eum, cuius beneficium petit, esse illegitimum, & beneficium ipsum violenter oc-

cupasse, & Pontifex utrumque narrationis punctum sub alternatione repetat, scilicet, si possessor sit illegitimus, vel beneficium violenter occupaverit; sufficere per impetrantem alterutrum probari, quamvis in probatione unius defecerit. *c. inter ceteras. 4. hoc tit. Tertio* in remedio recuperanda possessionis, et si spoliatus narraverit rei spoliata dominium, vel jus in beneficio violenter ablato pertinere ad se, sufficere probare spoliium, sine probatione domini, aut juris, propter privilegium spoliati, nec audietur pars adversa ante restitutionem volens probare liberam cessionem juris post spoliationem factam, quia non est verisimile, quod liberè renuntiet, qui renuntiat spoliatus. *c. 2. de Restit. spoliat. vid. Joan. Hon. h. t. n. 8. & seqq.* ubi multa allegat.

Convenit IV. in dispositione *capituli II li. super literis. 20. hoc tit.* ubi deciditur *questio* non tantum in jure Canonico, sed etiam Civili *ex l. 2. §. 5. C. si contra jus, vel utilitatem publicam* moveri solita, quid sentiendum sit de rescriptis *obreptitiæ*, vel *subreptitiæ* impetratis? Hæc autem verba quamvis promiscuè à Doctoribus accipiantur, magis tamen communiter *obreptitiæ* impetratum dicitur, quod est impetratum per fallam narratam; *subreptitiæ* vero, quod est impetratum per tacitam, sive occultatam veritatem, circumstantiam, aut qualitatem, quæ rescribenti exprimi debuisset. Barb. *in eodem cap. super literis. n. 3.*

In hac igitur questione ex sententia Pontificis (quæ etiam ad Jus Civile accommodari poterit, cum ibidem tam clara decisio non habeatur) distinctio facienda est, utrum narrata falsitas, vel occultata veritas fuerit per malitiam, & dolum, vel utrum per ignorantiam, aut simplicitatem? *Priori* casu mendax precator, ait Pontifex, & Imperator *in d. l. 5. carere* debet penitus im-

ENGEL IN DECRET. LIB. I.

G

petra-

petratis, & nullum commodum ex talibus literis consequi. Quod Doctores communiter intelligunt, ut licet rescriptum habuisset plura capitula separata, & dolosa ob- vel *subreptio* fuisset causa tantum partis rescripti, sive unius, aut alterius capituli, nihilominus in poenam mendacii in totum vitietur, & corruat rescriptum, propter illa verba generalia: *penitus, & nullum commodum &c.* quæ exceptio propterea etiam specialis esse potest ab illa regula, quod in his, quæ separantur, utile per inutile non vitietur. Panorm. *in eodem c. super literis. n. 2.* Barb. *ibidem n. 4.* Imò aliquando non tantum effectu suæ petitionis carere debet mendax precator, sed etiam, si nimia inveniatur mentientis improbitas, arbitrio Judicis condignâ poenâ munitari *in d. l. 5.* ab Imperatore jubetur.

Altero casu, quando falsitas expressa, aut veritas occultata fuerit per ignorantiam, vel simplicitatem, rursus subdistingendum est, an talis fuerit suggesta falsitas, aut veritas occultata, quæ etiâ fuisset tacita, vel narrata, nihilominus rescriptum saltem in forma communi concessum fuisset; & tunc Judex in tali rescripto datus non sequens formam in literis appositam secundum ordinem juris communis in causa procedere debet: veluti si quis per ignorantiam, vel simplicitatem narrasset Papæ, quod in suâ patriâ omnes causæ summariter expediantur, & ideo Papa delegasset causam cum clausula: *processus summarit, & appellatione remotâ &c.* si illa narratio falsa esset, tunc à delegato non forma hujus rescripti, sed ordinarius processus juris observandus foret. Si verò cognitâ ob- aut *subreptione* nullas rescribens literas dedisset (ut si quis post desertam appellationem, aut transactionem interpositam literas, & delegationem causæ impetret, nullâ desertionis, vel trans-

actionis factâ mentione) Judex in rescripto datus non debet ulterius procedere, quam ut partibus ad suam præsentiam convocatis de precum qualitate, & veritate cognoscat, ac si falsas noverit, rescriptum invalidum declaret, nec se amplius in causa intromittat.

Hæc porro decisio propriè quidem tantum de rescriptis *justitia* loquitur, & ideo non desunt, qui velint, aliud in rescriptis *Gratie*, & privilegii obtinere, ut in his quæcunque ob- vel *subreptio* etiam per simplicitatem, aut ignorantiam facta rescriptum vitiet, & inutile reddat. *argum. cap. non potest. 21. & c. si metu. 23. de Præbendis. in 6.* ubi rescriptum gratia ad beneficium obtinendum irritum declaratur, si impetrans quantumcunque modicum beneficium prius habitum retineat, licet summus Pontifex illis, qui modicum beneficium habent, aliud superaddere soleat; neque ibi distinguitur, an per ignorantiam, vel malitiam hæc reticentia contigerit. Ita docet Gloss. *in eodem cap. si metu. in verbo taceatur.* Sed probabilius videtur cum Joan. Honorio *hoc tit. n. 8.* Prospero Fagnano *in d. c. super literis, num. 54.* quod prædicta decisio literis quoque gratiosis conveniat, eatenus saltem, ut gratia per ignorantiam, aut simplicitatem *subreptitiè* obtenta non vitietur, si rescribens alias non oblatante *subreptione* concessisset. Idque ex diversis juris Canonici textibus non obscure colligitur, nimirum ex *cap. dudum. 14. vers. considerantes. de Præbendis in 6.* ubi valere dicitur rescriptum Papale super beneficio, licet taceatur, quod sit de collatione Episcopi, vel alterius habentis privilegium conferendi illud, quod tamen hodie in Germania non procederet propter Concordata, in quibus S. Pontifex pollicetur, quod non velit turbare ordinariam col-

latio-

lationem, qua de re plura inferius in *Tit. de Præbend.* ubi ex Instituto de Concordatis Germaniæ. Deinde in *e. si pro Clericis. eodem tit.* tacitus defectus Ordinum necessarios ad beneficium non vitiat rescriptum, si impetrans intra tempora à jure statuta potest ordinari. Item in *cap. gratia. hoc tit. in 6.* dicuntur valere literæ à Papa impetratæ super beneficio, licet mentionem non fecerint de alio beneficio, quod impetranti absenti, & ignoranti interim per Episcopum collatum est.

Ad textus contrarios responderi potest dupliciter: vel quod procedant, si non ex ignorantia, sed ex proposito, & dolo ob: vel subreptio contigerit, *arg. à contrario. in d. cap. gratia.* vel quod procedant in illis circumstantiis, & qualitatibus, quæ de jure, consuetudine, aut stylo Curia Romanæ, vel Imperatoris specialiter exprimentur, prout in *lib. IV. Decretal. de Matrim. contracto contra interd. Eccl. §. 3. n. 10.* dicemus, circa dispensationes in impedimentis Matrimonii certas circumstantias esse S. Pontifici explicandas, quibus tacitis dispensatio invalida censetur; sicut late tractat Sanch. *de Matrim. lib. 8. disput. 21. & seqq.*

Cæterum licet aliqui inter causas beneficiales, & privilegia differentiam facere velint, ut privilegia etiam non dolosa subreptione obtenta indistinctè invalida sint; rectius tamen hanc differentiam reprobat Fagnanus *cit. l. num. 79.* eò quod in materia subreptionis beneficia, & privilegia parificentur, & utraque ad rescripta gratiæ pertineant teste Innoc. *in cap. cum dilecta. 22. hoc tit. num. 3.*

Demum & illud adhuc observandum est, quod si falsa narratio, sive ex proposito, sive ex ignorantia facta nec directè, nec indirectè concernat materiam in rescripto contentam,

aut ejus causam, ut si impetrans rescriptum justitiæ falso dixerit, se nobilem, graduatum &c. non vitietur rescriptum. Innoc. & Host. *in cap. ex literis. 6. de Transactionibus.*

Conventum V. RESCRIPTA gratiæ & justitiæ, quod vitientur, vel saltem falsificata censeantur propter manifestum latinæ censeantur propter manifestum latinæ censeantur propter manifestum latinæ errorem: cum enim multo in Officialium manus transeant, non est verisimile, eos patientem errorem incorrectum reliquisse. *cap. ad audientiam. 11. & ibi Gloss. & DD. hoc tit.* Quod ex eadem ratione etiam de rescriptis secularium Principum intelligunt Panorm. & Barb. *in eod. cap. in fin.* Non obest. *L. qui habebat. 54. ff. de Manumissis testamento. l. si in nomine. 4. & l. errore. 7. C. de Testamentis.* ubi error scribentis non præjudicat reliquæ dispositioni, quando de voluntate disponentis apparet; quia hoc procedit in testamentis, vel aliis instrumentis contractuum, quæ alicui tabellioni, vel privato sine accedente revisione aliorum Officialium scribenda committuntur, in quibus propterea facillè aliquis error intervenire potest.

Deinde, licet multi Doctores cum Gloss. *in d. cap. 11. & Romano Consilio 376. n. 11.* teneant, ex manifesto latinæ errore resultare de falsificatione literarum præsumptionem juris, & de jure, contra quam non admittatur probatio propter illa verba generalia *in cit. cap. posita: fidem te volumus habere;* videtur tamen satis probabilis & æqua sententia Laurentii, quem allegat Gloss. *cit. l. hanc præsumptionem esse juris tantum,* & illa verba: *fidem te volumus habere:* intelligi, quamdiu aliunde de veritate literarum non apparet. Cur enim non evenire possit, ut quod in Curia Romana ab uno privato scribitur, quamvis aliorum manus pertranseat, non ita tamen accuratè quoad singula verba, ob multitudi-

nem rerum, & occupationum observetur, & supponatur secundum solitam formam scriptum esse? Quo sensu etiam accipi possunt leges praeallegatae, & facit textus in l. *illicitas* 6. §. *veritas*, ff. de Officio Praesidis. quod *veritas rerum gestarum erroribus vitari non debeat*. Praeterea, si latinitas in rescripto sit minus elegans, vel dubia, & excusabilis, vel apud alios authores, & scriptores ita nonnunquam, quamvis barbarè, usitari solita, aut sit defectus unius literae, vel syllabae, non ideo rescripto fides deroganda est. c. *indignum*, 13. dist. 38. c. *ex parte*, 11. de Fide instrumentorum. d. l. *qui habebat*, 54. ff. de Manumissis testamentis.

14. *Conveniunt* VI. quod, cum Apostolica sedes in suis literis consuetudinem hanc teneat, ut Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos *Fratres*, ceteros autem Reges, Principes, vel alios cujusvis ordinis *Filios* appellet, & cum uni tantum personae literae scribuntur, nunquam sit usus pluralis numeri, idè si in aliquibus rescriptis haec observata non fuerint, & inferiori Episcopo, vel saeculari Princeps *Frater* appelletur, aut singulari personae *vos*, sive *vestes* scribatur, tale rescriptum, sive *gratia*, sive *justitia*, falsum reputabitur. c. *quam gravi*, 6. de Crimine falsi. ubi Summus Pontifex in fine monet, literas Apostolicas diligenter inspiciendas esse, tam in bulla, filo & charta, quam in stylo, seu modo dictaminis à curia usurpato, ne falsae pro veris admittantur: uti etiam in c. *licet ad regimen*, s. *eadem* cit. plerosque modos, quibus literae, & bullae falsificari possunt, enarrat.

15. *Conveniunt* VII. in illa quotidiana & practica quaestione, an & quando rasura, vel deletio literarum in rescripto inventa illud vitiet, vel saltem de falsitate suspectum reddat? Cujus quaestiones decisio non tantum

rescriptis, sed aliis etiam scripturis, & instrumentis, accommodari poterit. Dicendum proinde, quod regulariter quidem ex rasura, vel deletione literarum oritur falsitatis praesumptio. d. c. *licet ad regimen*, 5. de Crimine falsi. c. *cum olim*, 12. in fine de Privilegiis. c. *cum venerabilis*, 7. de Religiosis domibus. l. 3. & ibi DD. C. de Edicto D. *Adriani tollendo*.

Sed ab hac regula aliquot sunt exceptiones; ut I. si rescriptum fuerit clausum, & signatum coram Ordinario exhibitum, tunc enim potius praesumetur rasura in Cancellaria, quam ab imperante facta fuisse. Ita Joann. Honorius hoc tit. num. 20.

II. Si rasura non sit in loco substantiali, hoc est, in tali rescripti vel instrumenti articulo, unde potissima quaestio dependet; quod plerumque accidit, si rasura sit in parte narrativa facti, non in dispositiva juris, & referentis. c. *ex literis*, 3. de Fide instrumentorum.

III. Si rasura sit modica paucarum literarum, quae non mutet ordinem, sive ordinarium sensum.

IV. Si ex antecedentibus & consequentibus, vel alijs consimilibus instrumentis factis constet, rasuram suspectam non esse, neque aliter scribi debuisse.

V. Si rescriptum, vel instrumentum reperitur penes adversarium litis, rasura vel deletio in dubio de ojus censetur contigisse. Ba. dus in l. 1. C. de Fide instrumentorum. Joan. Honorius cit. l.

VI. Si scriptura abrasa in parte substantiali per manum cognitam ejusdem Notarii vel scriptoris, qui primum rescriptum vel instrumentum conscripsit, restituta sit. Sed quia non pauci dextere aliorum manus in a quibus praesertim verbis imitari noverunt (quae causa etiam fuit, quod hodie *comparatio literarum* semiplenam tantum

nim probationem in iudicio faciat, *au-
rhorat. at si contractus. C. de Fide instru-
mentorum. Ideo Panorm. in c. cum vene-
rabilis. 7. de Religiosis domibus. n. 8.* pu-
tat, hanc cautulam esse adhibendam, ut No-
tarius, vel scriptor in eadem charta attestet-
tur, rasuram, & scriptura repositionem
sua manu factam esse, circa quam Panorm.
cautelam accuratè observat Mascardus *de
Probat. vol. 3. conclus. 1251.* quòd saltem in
instrumentis publicis super contractibus,
& similibus negotijs confectis debuerit illa
rasura, reparatio Scripturae, & cautela fuisse
de corpore instrumenti, id est, facta in
continuo, antequam testes, & partes instru-
mento praesentes discederent, & alijs so-
lennitatibus instrumentum expeditum esset:
nam, quod ex post facto per solum Notari-
um adscribitur, non statim publicam fi-
dem meretur, quae potissimum praeter per-
sonam Notarii alijs etiam solennitatibus ad
publicum instrumentum requisitis tribuitur.

16 *Conveniant VIII.* RESCRIPTUM quodcum-
que *gratia*, aut *justitia* invalidum cense-
ri, si in praedictum vel Reipubl. vel alicuius
tertij non facta speciali de illo praedicti
mentionem impetratum sit. Ita *in l. fin.
C. Si contra jus &c.* monentur Iudices, ut
nullum rescriptum, quod generali juri, vel
utilitati publicae adversum videatur, pro-
ferri possint. Ita *in cap. cum ordinem. 6.
hoc tit.* dicitur, quòd Cistercienses Re-
ligiosi (idem est de alijs) non teneantur re-
spondere rescriptis Apostolicis contra sua
privilegia impetratis, si eorum privilegio-
rum mentionem non faciant. Ita demique
rescripta inutilia censentur, quae contra
transactiones, vel appellationes desertas, vel
lite pendente, nisi circumstantijs omnibus
expressis, & per viam restitutionis in integ-
rum impetrantur. *l. chusae, 16. C. de Trans-
actionibus. l. 1. 2. & 3. C. Ut lite pendente.*

Verum RESCRIPTA *gratia* & *justitia* ut
in multis conveniunt, ita in multis quoque
discrepant, ac inter plurimas differentias,
quas colligit Petrus Rebuffus *in Praxi Be-
neficiorum in tit. Differentia inter re-
scripta gratia & justitia*, notabiliores
sunt sequentes.

I. Quòd discrepent ratione formae extrin-
secae, quòd rescriptis *gratia* apponatur fi-
lum sericum, literis verò *justitia* filum ca-
nabis, in quo plumbum pendet. Unde *in d. c.
quam gravi. 6. de Crimine falsi.* dicitur,
ad deprehensionem falsi filum Bullarum
diligenter inspiciendum esse.

II. RESCRIPTA *justitia* tantum ab ipso
Domino, seu Principali in negotio, super
quo rescriptum desideratur, vel saltem man-
dato ejus, aut per conjunctam personam, item
& superiorem Praelatum valent impetrari.
*c. nonnulli. 28. §. fin. hoc tit. Clem. 1. Eo-
dem;* in rescriptis verò *gratia* ad beneficia,
vel privilegia pro alio obtinendis mandatū
non exigitur. *Gloss. fin. in d. c. nonnulli.*

III. RESCRIPTA *gratia* per sub-aut ob-
reptionem obtenta sunt nulla ipso jure; re-
scripta verò *justitia* tantum ope exceptio-
nis, & si adversarius contra ea non exceperit,
censentur in eadem consentisse. Rebuffus
d. h. num. 1. & 12.

IV. In RESCRIPTIS *gratia* attenditur tem-
pus *datae*, hoc est, quòd effectus earum de-
pendeat ab eo tempore, quo tales literae *da-
tae* sunt. Sicut exemplum habetur *in c. si eo
tempore. 9. hoc tit. in 6.* Si eo tempore,
inquit Pontifex, quo tibi de beneficio cum
cura, vel sine *cura* provideri mandavi-
mus, ad obtinendum *curatum* benefi-
cium idoneam non habebas et atem (scilicet
25. annorum) tibi, licet nunc legit-
ima effectus sis et atis, auctoritate literarum
hujusmodi, (cum tempore data ipsarum
adhuc non esses idoneus) de beneficio

curam animarum habentē, nequaquam poterit provideri, beneficium autem sine cura, (cum ad ipsum tunc sufficientem aratam haberes,) per eas licite poteris obtinere. Simile exemplum est in *cap. e am te. 7. hoc tit.* ubi rescriptum gratiæ ad beneficium pro executione directum ad unum ex Canonicis, ad quem collatio illius beneficii pertinebat, debet per illum executioni mandari, etiam si tempore, quo ipsi rescriptum offertur, sit factus Episcopus, si tempore *datæ* fuerit adhuc Canonicus.

Secus est in rescriptis *justitiæ*, in quibus tempus *presentatiæ* inspicitur. *c. ut debitus. 59. & ibi DD. de appellat.* ubi ordinarius Judex non tenetur superfedere processu, licet pars eorum eo conventa dicat, se rescriptum *justitiæ*, sive delegationem causæ ad alium Judicem à superiore impetrasse, antequam literæ fuerint actualiter delegato Judici presentatae. Item ponamus in rescripto *justitiæ* fuisse delegatum constitutum à S. Pontifice quemdam Prælatum Ecclesiasticum, eum verò suæ prælaturæ ante *presentatiæ* literas renuntiassè, vel illà privatum fuisse, ulterius officium delegationis suscipere non poterit; quia tempore *presentatiæ* dignitate excidit; officium autem delegationis alijs committi, vel ab alijs recipi non potest, quàm in dignitate, personatu, seu Cathedralis Ecclesiæ canonicatu constitutis. *c. statutum. 11. hoc tit. in 6.*

I 9 V. RESCRIPTA *justitiæ* singulare habent, quòd rescriptis *gratiæ* non æquè semper accommodari possunt, quòd Judici presentata, & citato adversario ad respondendum contra ea, fiant inter partes communia, ita quidem, ut impetrans reo invito non possit illis amplius renunciare, aut declarando restringere: sed si rescriptum habeat plures articulos, poterit adversarius illo rescripto in alijs articulis etiam contra impetrantem

uti *cap. 1. & 2. de Mutuis petit.* Joann. Honor. *hoc tit. num. 14.*

VI. RESCRIPTA *gratiæ* perpetua sunt, 20 aded ut nec ipsa gratia, nec potestas data gratiæ executoribus morte concedentis etiam re integrâ, sive antequam gratia executioni mandari cœperit, expiret. *cap. si cui nulla. 36. de Præbendis in 6. c. decet. 16. de R. I. in 6. cap. si super. 9. de Officio Delegati in 6. Gonzal. ad Reg. 8. Cancell. Gloss. 12. num. 44. Gutier. pp. l. 1. quest. 64.* Quod tam in beneficijs, quàm privilegijs, dispensationibus, aut alijs gratiosis licentijs, & facultatibus valdè notandum est. Et dicam inferius in *Lib. V. in Tit. de Privilegijs. §. 3.* RESCRIPTA verò *justitiæ* intra annum presentanda sunt, postquam copiam Judicium habuerit impetrans. *cap. si autem. 9. cap. plerumque. 23. hoc tit.* & re integrâ morte concedentis expirant. *c. gratum. 20. cap. licet. 30. de Officio Delegati.* Ne tamen ex hac extinctione partes detrimentum patiantur, facta est regula Cancell. 12. *De Revalidatione literarum. & c.* in qua novus Pontifex revalidat *literas gratiæ, & justitiæ per prædecessorem intra annum ante diem obitus concessas, & debitis temporibus earum executoribus non presentatas, ut per executores prædictos, vel ab eis subdelegatos perinde ad ipsarum executionem procedi possit, ac debeat, ac si executio hujusmodi temporibus prædictis inchoata fuisset.* Quare ex hac regula executor literarum *gratiæ* (intellige si gratia sit nondum facta, sed facienda. ut mox dicam) & *justitiæ* non potest quidem sede Papali vacante procedere, quia literæ expirarunt, poterit tamen novo Pontifice electo inchoare suum officium sine aliarum literarum impetratione. tunc enim reviviscunt regulæ Cancell. & cum regulis literæ. Glossa Alphons.

phonf. ad d. reg. 12. apud Joann. à Chokier.

Sed circa id, quod dictum est, delegatam gratia executionem non expirare etiam re integrâ morte concedentis, videtur esse quedam aperta contradictio inter d. cap. si super. 9. de Officio delegati in 6. cap. si cui nulla. 36. vers. secus. de Præbend. in 6. Placet breviter conciliatio Gloss. in eod. c. si cui nulla. in v. moriatur. quòd d. cap. si super. procedat, si gratia & beneficium certum de factò conferatur certæ personæ per superiorem, aut Summum Pontificem, & tantum ejus executio alteri committatur, quo casu gratiatio est jus ad illud beneficium quæsitum; secus verò juxta d. cap. si cui nulla. si per Summum Pont. nulla adhuc sit facta actualis gratia, & provisio de certo beneficio, sed tantum datum mandatum de providendo, & faciendæ gratia, ubi se facultas obtulerit; quo casu, quia gratiatio nullum jus ad certum beneficium quæsitum est, talis executor comparabitur alijs delegatis, quorum officium re integrâ morte concedentis expirat; nisi delegatio favorem actualem ipsius delegati concernat, ut si ipsi in genere detur jus conferendi beneficia ad Sedem Apostolicam devoluta, vel reservata talibus personis, quas ipse dignas judicaverit, sicut in sepe d. cap. si cui nulla. habetur.

21 VII. RESCRIPTA gratia ad beneficia Ecclesiastica successoribus, vel hæredi non profunt: nam in beneficijs non datur hæreditaria successio. cap. ex transmissa. 7. de Filijs Presbyterorum. neque beneficium aliter, quam per canonicam institutionem obtineri potest. cap. 1. de R. I. in 6. Dico: ad beneficia ecclesiastica: rescripta enim privilegiorum (si privilegia aliàs realia, & non merè personalia sint, de qua distinctione in tit. de Privilegijs, dicitur) ad succes-

sores transeunt, nisi privilegiatus tempore dati privilegij jam fuisset mortuus, tunc enim hæredi non prodesse. L. Neratius, 191. ff. de R. I non enim videtur Princeps, inquit ibidem l. C. beneficium, sive privilegium, quod ei, quem vivere existimabat, concessit, defuncto concessisse: hoc est, quatenus illud ad hæredes sit extendendum, ut explicat Gottofr. & tradit Panorm. in cap. significavit. 36. hoc tit. num. 7. Verùm rescripta justitiæ saltem re non amplius integrâ, & quando in judicio producta sunt, eorùmque autoritate citatus adversarius fuit, transeunt in, & contra successorem universalem sive hæredem. arg. à contrario in d. c. significavit. Si verò res adhuc integra sit, non transeunt in successorem, nisi fuerint impetrata sub nomine dignitatis, vel contra dignitatem in re, vel causa non tam personam, quam v. g. Episcopatum, Prælaturam, Principatum, concernente. c. dilecti. 17. de Foro comp. sicut clarè docet Innoc. in cap. gratum 20. de Officio Delegati. Videatur etiam Panorm. in d. c. significavit.

VIII. RESCRIPTUM justitiæ ab adversario secundo impetratum, si non faciat mentionem de priori, & insuper de notabilioribus ejusdem clausulis, est nullum, & invalidum quidem. c. caterum. 3. hoc tit. sed ex probabiliori sententia tantum ope exceptionis, & si primus impetrans contra exceperit: si enim primus impetrans suo rescripto uti intra annum neglexerit, secundum valebit, etsi de primo mentionem non faciat c. si autem 9. c. plerumque. 23. hoc tit. quod fieri non posset, si rescriptum secundum ipso jure nullum esset, juxta vulgatam regulam, quod ab initio non valet, tractu temporis convalescere non potest. cap. non firmatur. 18. de R. I in 6. RESCRIPTUM autem gratia ab adversario secundo impetra-

tum

tum contra id, quod prius obtinuit, si non faciat de meo priori mentionem, censetur subreptitè obtentum, & sicut alia rescripta gratiæ subreptitia, ipso iure nullum, *c. constitutus. 19. hoc tit. c. cum olim. 12. de Sent. & re jud.* Prosper Fagnanus in *d. c. ceterum num. 5.* neque rescribens censetur derogare juri, aut privilegio alterius jam prius quaesito, nisi id in specie exprimat; vel nisi prior gratia sit generalis & secunda specialis, cum in toto jure generi per speciem derogetur. *c. 1. hoc tit.* ut si uni sit data facultas conferendi omnia beneficia certi loci, & alteri perpetua collatio specialis unius, vel alterius beneficii illius loci sit concessa. Prædictis non obstat *cap. ribi. 12. in fine. hoc tit. in 6.* ubi etiam posterior impetrans rescriptum gratiæ sine mentione prioris, potest eo uti, quando prior in utendo suo rescripto fuit negligens: quia in facti specie illius *cap. rescripta duobus concessa*, ut uterque in aliqua Ecclesia reciperetur in Canonicum, non videntur contraria, quando Ecclesia priores Canonicos admittere potest, licet circa præventionem his suboriat.

23 IX. Hinc DD. insuper differentiam inter rescripta justitiæ & gratiæ addunt: quod rescripta justitiæ juxta dicta præsentanda sint intra annum: Rescriptis verò gratiæ non sit certum tempus ad præsentandum assignatum, *cap. si autem. 9. & ibi DD. h. 1.* Fatentur tamen, etiam rescripta gratiæ aliquando vim suam amittere, & posteriorem impetrantem beneficium præferri, si prior suo rescripto per negligentiam, aut malitiam uti longius postposuerit. *arg. c. si Clericus. 11. de Præbend. in 6.* tempus autem præsentationis esse superiori arbitrium, concedunt *G. off. in d. c. si Clericus. 11. in v. negligentiam. P. norm. in d. c. si autem n. 4. Staphil. de Li-*

teris gratiæ. tit. quibus modis expi-

rent.
In Concordatis Germania. §. de Cetero, habetur: quod si beneficium vacaverit in mense Papali, & intra tres menses a die notæ vacationis in loco beneficii non apparuerit, quod alicui de illo Apolto icathoritate provifum sit, ex tunc, & non antea Ordinarius, vel alius, ad quem illius dispositio pertinet, providere possit.

Quia verò circa illa verba: *si non apparuerit intra tres menses a die notæ vacationis in loco beneficii, &c.* frequens dubium occurrebat, et ordinarij Collatores illa in præjudicium collationis Papalis interpretabantur, ideo Gregorius XIII. in bulla *Que in Ecclesiam &c.* 41. super iisdem verbis declarationem edidit his formalibus: *Nos indignum rati, quod temporaria mora, quod ad perscrutandum accuratius talium (scilicet providendorum) precebitatem, industriam, & alia requisita intercedere pro utilitate Ecclesie necesse est, locum injuris aperiat, attendentes que verba prædicta: IN LOCO BENEFICII cum verbis: NOTÆ VACATIONIS, quæ prætinus antecedunt, conjungi, & ad illa duntaxat referri, ac voluntatem concedentis, seu sumque concessionis, & literarum prædictarum sic esse: ut dispositio beneficii intra tres menses a die notæ VACATIONIS IN LOCO BENEFICII, à Sede prædicta fieri, neque gratia facta alicubi apparere debeat, quemadmodum re inter Juris utriusque Interpretes jam pridem controversa summâ ratione judicatum appareret. Vix enim est, ut in verbis non modo infestis, aut prohibitis, quod fere semper aliquo modo contingit, sed etiam expeditis quis ex tam longinquis Regionibus ad dictam sedem profectus, & in ea ad expediendum negotium vel*

paulis

paulisper moratus in easdem se recipere
tanti à temporis angustia possit. Quocirca
aquitate & iustitia suadentibus presen-
tium auctoritate declaramus, concessi-
onem Nicolai Papae (qui crexit Concor-
data Germaniae) & literas predictas lo-
cum omnino non habere, quod Ordinarii,
aut alii Collatores predicti post lapsum
trium mensium ex die notae vacationis
in loco beneficii disponere possint de ullis
beneficiis predictis, alias sub concessione,
& literis predictis comprehensis extra
Rom. Curiam in mensibus predictis quo-
quo modo vacantibus, vel vacaturis, de
quibus intra dictum tempus trium men-
sium per Romanum Pontificem ac dictam
Sedem qualiscunque gratia, vel dispo-
sitione, aut concessio facta fuerit. Ne ta-
men cuiquam licitum sit, factam à Sede
predicta dispositionem in longum obtege-
re, illi, quibus deinceps gratia huiusmo-
di conceduntur, etiam concessionum fide-
dem, & testimonium intra tres menses
à die notae vacationis in loco beneficii hu-
jusmodi, vel dictis collatoribus signifi-
care, vel in ipso beneficii loco publicare,
quoquo modo teneantur.

Sed quomodo dicit Pontifex, quod
propter difficultatem itineris, distantiam
loci &c. multoties contingat, ut in tantâ
temporis angustia (videl. 3. mensium com-
putandorum à die notae vacationis in loco
beneficii) impetrans ad sedem profectus ex
longinquis regionibus, & ibidem ad expe-
diendum negotium vel paulisper moratus
ad easdem se recipere non possit; & tamen
mox subiungit, quod intra tres menses à die
notae vacationis in loco beneficii ordinario
Collatori significare collationem, vel in ip-
so beneficii loco publicare quoquo modo te-
neatur. Doctores, quos videre potui, ita
declarationem explicant, quod valeat colla-

tio Pontificia, dummodo intra tres menses
à die notae vacationis in loco beneficii sit fa-
cta, & provifus teneatur intra eisdem tres
menses provisionem Ordinario significare,
aut publicare in loco beneficii, si commodè
possit, & temporis angustia non coarctetur.
Georg. Branden. *super Concord. German.*
post quest. 12. not ab 1. num. 6 & not ab 2.
num. 4. Paulus Laym. Theol. Mor. lib. 4.
tract. 2. cap. 10. n. 3. Henricus Wagnereck
in Exegefi Tit. de Præbendis. super §. 5.
Concord. pag. 120. Forſan etiam inſinuare
voluit Gregor. non eſſe captandum ab Or-
dinariis illud verbum: ſi non apparuerit.
&c. quaſi requiratur perſonalis apparitio
provifii coram Ordinario intra tres menſes,
ſed ſufficere, ut ſignificationem, vel publi-
cationem quoquo modo, id eſt, prout com-
modiùs poteſt, etiam per literas exequat.

An autem omittens ſignificationem vel
publicationem provifionis coram Ordinario
intra tres menſes cadat propterea jure ſuo?
non eſt ſatis in *d. Bulla Gregoriana* expreſ-
ſum, nec invenimus haectenus authorem, qui
id affirmaret, bene autem qui neget, Bran-
den. *d. Not ab. 2. num. 5.* ubi expreſſe ſen-
tit, propter omiſſam publicationem intra
tres menſes non eſſe provifionem à Grego-
rio annullatam: quod confirmari poteſt ex
eo, quod reſcripta gratiae ex ſua natura ſint
perpetua, cum deceat, conſeſſum à Princi-
pe beneficium eſſe manſurum. *c. decet. 16.*
de R. I. in 6. Joan. Honor. ad hunc tit.
num. 11. Et ſi conſentientibus DD. reſcri-
pta gratiae longè ſunt favorabilia reſcri-
pta iuſtitiae, ſeu ad lites, inconveniens vi-
deretur, ut reſcripta iuſtitiae retinerent ef-
fectum ſuum per annum. c. ſi autem. 9. c.
plerumque 23. h. tit. reſcripta autem gra-
tiae intra tres menſes amitteret. Adde, quod
ex communi ſententia non niſi ex cauſis à
jure expreſſis privationem beneficii obtenti in-
ducatur.

ducatur. *Garc. de Benef. p. 11. cap. 10. in princ. Honor. ad tit. de Præbend. p. 3. num. 1.*

Dices, si provisus potest impunè negligere publicationem intra tres menses, ergo ille terminus gratis fuit positus in Bulla Gregoriana, cum tamen verba Papæ aliquid operari debeant. *c. si Papa. 10. de Privileg. in 6.*

Responderi potest. 1. cum hæc constitutio provideat utilitati Ecclesiarum, quæ nonnunquam ex diuturniori vacatione damnatum accipiunt, *c. ne pro defectu. 41. de Elect. cap. quam sit. 6. Eodem tit. in 6.* & idèõ aequitati naturali sit consona, obstringet provisus etiam in foro interno, ut, si commodè possint, provisionem intra tres menses Ordinario notificent, juxta receptam doctrinam, quòd lex justa in foro externo obliget etiam in interno. DD. communiter cum D. Thoma. *1. 2. quest. 96. art. 4.*

2. Quòd negligenti publicationem poscit etiam in foro externo pœna arbitraria dictari, juxta receptam pariter doctrinam, quòd ubi lex prohibet actum sine determinatione pœnæ, pœna sit Judici & Superiori arbitraria. Julius Clarus *Lib. 5. Sentent. 9. § 3. & ibi additio prima, Menoch. de Arbitr. c. 381.*

3. Quòd culpari graviter non posset ordinarius Collator, si elapsis tribus mensibus, & nullà sibi de provisione Papali factà noticiã beneficium conferret, præsumendo, vel provisum aliquem non esse, vel saltem non intra tempus legitimum, quamvis ad hoc præceptis & festinus esse non debeat, ne litem seminet inter eum, cui ipse contulit, & provisum Apostolicum, qui si ex post facto apparuerit, & causas rationabiles non factæ publicationis celeris attulerit, haud dubiè illo, qui collationem ab ordinario ac-

cepit, potior erit, dummodo intra legitimum tempus Romæ provisus fuerit. Si verò justam causam non habuerit, sed ex negligentia, vel malitia publicationem longius distulerit, erit in superioris arbitrio, uter in beneficio præferendus, juxta dicta in principio hujus quæstionis. Nec videtur multum obflare, quòd in di. Bulla Gregor. XIII. *Que in Ecclesiam. in princ.* redarguantur Ordinarii, qui elapsis tribus mensibus mox beneficia non apparentibus provisus Apostolicis conferre contendebant; quia ex contextu sequenti colligi potest, quòd Ordinarii non tantum conferrebant, sed nulum prorsus Apostolicæ provisioni post trimestre tempus sibi oblata, & quacunque de causa eousque dilata locum faciebant. Consultius tamen fuerit, ut jam præmonitum, ordinarium collatorem post lapsum trium mensium non illicè ad collationem procedere propter multa inconvenientia, quæ inde sequi possunt, sed potius adhuc per tempus Vicarium in beneficio deputare.

Demùm an iste terminus trium mensium computandus à die notæ vacationis in loco beneficii pro exhibitione provisionis Apostolicæ præfixus, habeat etiam locum circa provisionem aliorum beneficiorum, non solum in mensibus, sed quomocunque servatorum? ex sapè dicta Bulla Gregor. satis decidi non potest, quia contextus est solum de beneficiis vacantibus in mensibus Papalibus. Interim quia ratio Bullæ est generalis: ne cuiquam licitum sit, factam à sede dispositionem in longum obtegere: & tendit in utilitatem Ecclesiarum, quibus citius de Rectoribus provideretur, tollit incertitudinem Juris conferendi, & nihil disponit contra jus commune, profectò erroris damnari non posset, qui id ipsum probabiliter affirmaret, ex vulgato juris axioma: ubi eadem est ratio, eadem est juris dispositio;

tio; & quoties aliquid lege introductum est, bona occasio est cætera, quæ tendunt ad eandem utilitatem, vel interpretationem, vel jurisdictionem supplere. *Text. in l. non possunt. 12. §. l. nam ut ait. 13. ff. de LL.*

TITULUS IV. De Consuetudine.

SUMMARIA.

1. Consuetudo jus non scriptum.
2. Traditio & consuetudo qualiter differant.
3. Traditiones in Ecclesia magnæ auctoritatis ad probandam fidem.
4. Iudei cur tolerentur à Deo?
5. Consuetudo, & Prescriptio qualiter differant.
6. Consuetudo quatuorplex.
7. Consuetudo valet etiam contra legem.
8. Ad Consuetudinem requiritur actuum frequentia.
9. Actus mere facultatis non inducunt consuetudinem, vel prescriptionem.
10. Actus an debeant esse in contradictorio iudicio obtemperari?
11. Consuetudo debet esse rationalis.
12. C. fin. h. t. explicatur.
13. Parochi sine approbatione Episcopi secundum consuetudinem saltem facti ab inferioribus Prelatis expositi, an validè administrant? Communis error jus facit. *ibid.*
14. Quantum tempus requiratur ad consuetudinem inducendam.
15. Consuetudo dicitur tantum improprie prescripta, nec in ea Titulus, aut bona fides requiritur.
16. Fallit in Legibus obligantibus sub peccato.
17. Lex mixta potest per consuetudinem fieri mere penalit, & contra.
18. In Sacramentalibus, & impedimentis matrimonii dirimentibus qualiter admittatur consuetudo remissivè.
19. Consensus superioris in ipsa lege, vel Canone datum an sufficiat ad Consuetudinem?
20. Consuetudo non debuit fuisse interrupta.
21. Consuetudo debet esse circa talia, quæ possunt prescribi.
22. Lex generalis tollit Consuetudinem generalem contrariam, sed non particularem, nisi exprimat.
23. Clausula: nulla obstante Consuetudine, intelligitur de presenti, non de futura.

Postquam hæc de *jure scripto* multa explicavimus, superest, ut etiam quædam scitu necessaria de *jure non scripto*, seu *consuetudine* adjungamus.

Diuturna consuetudo, ait Juris Conf. in *l. 33. ff. de LL. pro jure. & lege in his, quæ non ex scripto descendunt, observari solet.* & *Isidorus in cap. 5. dist. 1. consuetudo*, inquit, *est jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur.* Est igitur consuetudo jus non scriptum de moribus hominum tractum. Non tamen repugnat consuetudini, si ex post facto in scripturam redigatur, prout *jus feudale* adhuc hodie consuetudinarium dicitur, & illi *Libri feudorum*, qui in Corpore juris Civilis habentur, *consuetudines feudales* appellantur: sufficit enim, quod tale jus in primo sui initio non ex scripto, sive præcepto alicujus legislatoris, sed ex usu, & moribus descenderit, neque postea tanquam nova lex per aliquem legislatorem præceptum sit.

Differt *CONSUETUDO* à *TRADITIONE*, quod illa regulariter introducat & constituat novum jus, hæc verò supponat jus antiquum, & potius vices promulgationis subeat: cujusmodi sunt illa, quæ circa jus Divinum, & sacras leges ab Apostolis & Ecclesia accepimus. *Tenete traditiones*, ait Apostolus 2. * *ad Thessalon. c. 2. v. 14. quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* Unde graviter errant hæretici, qui *traditiones* Ecclesiæ contemnant; sine his enim difficulter sanè sacra Biblia esse sacram Scripturam à Deo descendentem probare possent. In ipsa quidem sacra Scriptura sæpius ita legitur: *hec dicit Dominus, verbum Domini stat in æternum &c.* si quis tamen (quod absit) de his ipsis verbis dubitaret, profectò præter aliqua motiva credibilitatis intrinseca maxi-

- ma probatio ex autoritate Ecclesie, ejusque traditione petenda foret, nam utique hæretici ex ore Dei ea non audiverunt. Zoëf. *h. t. n. 15. ubi n. 18.* allegat dictum Tertull. *lib. 2. de Corona militis. si legem postulas, Scripturam nullam* (intellige originalem immediatè à Deo scriptam, & nostris temporibus extantem *invenies; traditio tibi præ tenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.* & S. August. *Evangelio,* inquit, *non crederem, nisi me Ecclesia Catholica moveret auctoritas.* Vid. Bellarm. *Controv. tom. 1. de Verbo Dei lib. 4.* * Hinc etiam planè credibile est, quòd Deus gentem Judaicam non penitus deleri, sed toto orbe dispergi voluerit, cum ritus Judaici Evangelicam veritatem adumbrent, & gens Judaica, quæ ita constanter suam progeniem, & traditiones suas à Moyse, & Patriarchis derivat, testimonium assiduam præbeat S. Scripturæ, ne ab atheis hominibus tanquam figmentum explodatur. *Quid est aliud hodie gens ista,* ait D. August. *contra Faust. cap. 23. nisi quadam seriniaria, bajulans legem, & Prophetas ad testimonium assertionis Ecclesie, ut nos honoremus per Sacramentum, quod nunciat per literam.*
- 5 Differt quoque CONSUETUDO à præscriptione, quòd hæc sit inter privatas particulares personas, cum unius damno alterius lucro, illa verò sit usus, & observatio totius populi vel communitatis cum æquali omnium damno vel lucro, licet interim etiam consuetudo alicubi dicatur *præscripta,* de quo tamen inferius dicemus.
- 6 Est autem consuetudo triplex, una *secundum legem,* quæ lex superioris in usum deducitur. *c. in istis. 3. §. leges. dist. 4.* vel inter diversas interpretationes, quæ ad illam legem adferri possent, ad certum modum observatur, in qua locum habet, quod

dicitur, consuetudinem esse optimam legum interpretem. *l. si de interpretatione. 37. cum l. seq. ff. de Legib. Altera præter legem,* procedens in illis casibus, qui à jure scripto decisi non sunt. * Tertia *contra legem,* quæ lex scripta vel usu non recipitur, vel recepta denuò abrogatur, & tollitur, quæ & *desuetudo* appellari solet. Non obstat *cap. 2. & 4. dist. 11. lex. 2. C. Quæ sit longa consuet.* in quibus consuetudo legi repugnans reprobari videtur: nam interpretatio illorum textuum potest sumi *ex cap. cum tantò. 11. hoc. tit. Consuetudo longæva,* inquit ibidem Pontifex, *licet non sit vilis auctoritatis, non tamen est usque adeò valitura, ut juri positivo debeat præjudicium generare, nisi* (hic notetur interpretatio) *fuerit rationabilis, vel legitime præscripta.*

Potè ad consuetudinem *præter,* & *contra* legem (nam de illa, quæ *secundum legem* est, parum difficultatis esse potest) sequentes condiciones requiruntur, * I. quòd actus, ex quibus inducitur consuetudo, fuerint sæpius frequentati, & ita notorii, ut in majoris partis populi notitiam devenierint. *l. 1. c. Quæ sit longa consuetud. Panorm. in cap. ult. h. t.*

Quotnam autem actus ad inducendam consuetudinem desiderentur, non est una omnium sententia. Plerique cum lex actuum pluralitatem requirat *in dicta l. 1.* pluralis autem locutio in dubio ad duo restringatur. *c. pluralis. 40. de R. I. in 6.* duos saltem actus necessarios statuunt. Sed rectius id arbitrio Judicis relinquitur, qui, cum de consuetudine quæstio movetur, ex qualitate actuum judicare debet, an majori parti populi innoverint, & ita quidem, ut non tantum aliqui, vel singuli actum resciverint, sed ut etiam alii de populo aliis non contradicentibus eundem actum imitati fuerint.

erint. Quod satis colligitur ex dicta l. i. ibi. *probatu his, que frequenter servata sunt, causa cognita statuet &c.* Menoch. de Arbitr. lib. 2. cas. 31. Mynsing. Cent. 6. observa. 41. n. 7. Notat quoque Abb. in cap. ult. h. t. num. 7. & 19. si actus perpetuitatem habeat, unicum sufficere posse; veluti cum pons publico loco edificatus à populo toleretur.

9 Debent tamen tales actus fieri cum animo obligationis, aliàs enim locum habebit, quod dici solet: *in actibus mere, & libere facultatis non induci consuetudinem, vel prescriptionem arg. l. 2. ff. de Via publica. & c. Abbate. 25. de V. S. Gloff. & Abb. in d. c. fin. h. t. Suarez. de Leg. lib. 7. c. 14. n. 5. Laym. Lib. 1. tract. 4. c. 24. sub n. 2. Arnold. Rath. in tr. de Usucap. c. 4. assert. 5.* Censentur autem actus mere facultatis, qui nullam juris ne putativam quidem obligationem, aut necessitatem habent, sed pro eujuslibet arbitrio fieri, vel omitti possunt. v. g. auditio Missæ die non festivo, peregrinatio ad loca sancta &c. qua de re etiam inferius in tit. de Prescript. dicendi occasio recurret.

10 Item quaeritur, an tales actus debeant esse in contradictorio iudicio obtenti? Rationem dubitandi facit l. cum de consuetudine. 34. ff. de LL. Cum de consuetudine, ait ibidem Juris Conf. considerare quis videtur, illud explorandum arbitror, an etiã contradicto aliquando iudicio firmata sit. Nihilominus verius est extrajudiciales actus sufficere, quia etiam in eis consensus, & usus populi verificatur. Dicta autem lex 34. loquitur de confirmatione, non de introductione consuetudinis, id est, quòd allegans consuetudinem, quam aliàs tanquam rem facti per testes probare deberet, releveretur ab onere probandi, si talis consuetudo jam aliquando in iudicio recepta, &

pro ea iudicatum sit. Imò si indifferenter actus judiciales ad introducendam consuetudinem requirerentur, tunc iure Civili lapsu 10. annorum consuetudo contra legem introduci non posset, quia sententiæ judiciales contra legem latæ sunt ipso iure nullæ, & possunt usq; ad 30. annos nullitatis argui.

II. Requiritur ad introducendam consuetudinem, ut sit *rationabilis*: nam & consuetudo procedens, & ratio, que illam suavit, custodienda est, referibit Imperator in sepe dicta l. 1. C. Que sit longa consuet. & textus sunt in l. quod non ratione. 39. ff. de LL. cap. ult. hoc tit. c. 2. eodem in 6. Ea autem consuetudo *rationabilis* non est, quæ vel juri naturali, aut divino adversatur, adeoque periculum salutis inducit. d. c. ult. hoc tit. c. fin. de Prescript. vel iure Canonico reprobat, prout in Sacris Canonibus sæpius hæc, vel similia verba leguntur: *nulla obstante consuetudine, qua potius corruptela est dicenda. c. cum venerabilis. 7. hoc tit. c. 1. eodem in 6. vel ad peccandum occasionem, & viam aperit. cap. ex parte. 10. cum suo summario. hoc tit. c. finali. de Prescript. vel denique Ecclesiis aut aliàs communi Reipubl. utilitati perniciofa est. c. 1. hoc tit.*

Dices, omnem consuetudinem contra legem introducendam esse *irrationabilem*, hoc ipso, quòd lex debeat esse *rationabilis*, & proinde, quòd contra legem rationabilem inducitur, irrationabile censeri debeat. hoc argumentum solvendum esse ex iis, quæ superius in Tit. de Constitution. de abrogatione legum diximus, quòd nimirum omnis lex debeat esse rationabilis secundum considerationes, & circumstantias ejus temporis, quo fertur, & secundum mores certi saltem populi, non autem quòd debeat esse rationabilis secundum omnes considerationes, & circumstantias etiam in futurum emergentes,

res, vel secundum omnes populos. Videatur *textus in cap. alina mater. 24. de Sentent. excom. in 6. in Extravag. un. Joan. XXII. de Torneamentis. & in Extravag. 2. & 3. de Verb. signifi.* Imo facilius tolli, quam introduci posse legem, notavit Suarez *de Legibus. lib. 7. c. 18. num. 9.* quod ad introductionem requiratur positive, ut ad publicam utilitatem conferat, ad ejusdem vero abrogationem sufficiat, ut publicæ utilitati non adverteretur.

¶ Dices iterum, *inc. fin. hoc tit.* ait Gregorius Papa, quod *consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen valitura contra legem, nisi sit rationalis &c.* si consuetudo *rationalis* non est, inquit, *authoritatem* aliquam habere non potest; si sit *rationalis*, hoc ipso etiam *contra legem* valebit, consequenter vel priora, vel posteriora verba *citati c. gratis & superflue* ponuntur. Diversas solutiones ad hanc objectionem adfert Glossa *in dict. c. fin. in V. vilis auctoritas.* & Panorm. *in eodem c. fin. n. 4.* Mihi videtur fuisse sensus summi Pontificis, consuetudinem aliam *facti*, aliam *juris* adstruere, ideoque consuetudinem in prioribus verbis sumere latius pro quolibet usu longævo, qui ante cognitionem superioris habeat *authoritatem de facto* apud eos, apud quos viget, non autem *de jure*, nisi sit *rationalis*. Unde etiam propter illam *authoritatem facti*, quam habet consuetudo contra legem (dummodo ejus irrationabilitas, & peccatum manifestum, ac notorium non sit) excusantur legis humane transgressores à peenâ fori externi, & plerumque etiam à reatu conscientie, si communem observantiam & utrum bonâ fide imitentur, usque dum consuetudo (*de facto* nimirum talis) à superiore tanquam irrationabilis tollatur.

¶ Non malè quoque dici potest, tali con-

suetudini *de facto* addi nonnunquam per accidens aliquem legis effectum propter communem hominum utilitatem; velut si confessarii sine approbatione Episcopi exponantur ab inferioribus Prælatibus secundum consuetudinem loci, validè absolvent, etsi supponeretur illa consuetudo esse tantum *de facto* talis, dummodo illius validitatem populus bonâ fide crederet, nec esset à superiore causâ cognitâ sublata, communis enim error jus facit. *arg. l. Barbarius. 3. ff. de Offic. Prat.* quando enim Prælati sunt in longissimi, & multò magis, si in immemorialis temporis possessione exponendi Parochos, & Vicarios ad Parochias suis Ecclesiis unitas, tales expositi habent titulum non tantum coloratum, sed etiam verum administrandi Parochialia, & communi hominum existimatione (ut suppono) habentur pro legitimis Parochis, aut Vicariis; licet verò approbatio Episcopi ex Concilio Trident. requisita deficiat, quia tamen iste defectus juris naturalis, aut divini non est, sed Ecclesiastici, per ea, quæ docet Chassaing. *de Privil. Regular. tract. 5. cap. 2. propos. 1.* Imò jus approbandi ad curam animarum etiam inferioribus Prælatibus ex Privilegio, vel præscriptione competere potest, teste Panorm. *in cap. cum non liceat. 12. circa fin. de Præscript. Barb. de Offic. Episc. alleg. 72. n. 185. & alleg. 127. n. 12.* lex Ecclesiastica propter communem hominum utilitatem, & salutem animarum, suppleret jurisdictionem, ita ut etiam secutâ sententiâ Judicis, qui approbationem deinceps ab Episcopo peti juberet, priores tamen absoluti-ones, & alia actitata Parochialia retractari non deberent. Vid. Laym. *in Theol. mor. lib. 1. tract. 4. cap. 22. n. 9.* Tanner. *de Penit. disp. 6. quest. 9. dub. 3. sub num. 53.* Tru- lench. *in Praxi res. Sacram. lib. 4. cap. 9. dub. 5. num. 23.* idèd antè sententiam non

font Parochianis periculosi scrupuli injiciendi, & pendente lite nemo est commodo suae possessionis privandus. *cap. 1. & 2. Ut lite pendente.*

Requiritur III. ad consuetudinem constitutendam diuturnitas temporis, quo aliquid observatum, vel practicum est.*

14 Sed circa hoc requiritum distinguere oportet inter statum *Popularem*, & *Monarchicum*. In statu *Populari*, ubi summa Imperii & potestas leges ferendi est penes populum, certum tempus non requiritur, sed sufficit populi contentus. *l. de quibus. 32. ff. de Legibus.* In *Monarchico* autem statu, ubi superior populi est Princeps & Legislator, plerique Recentiores fatentur, non esse jure determinatum certum tempus, & ideo Judicis arbitrio relinquendum censet Menoch. *de Arbitr. lib. 2. cas. 83. n. 6.* qui juxta levitatem, vel parvitatem materiae, super qua consuetudo introducta praetenditur, etiam contra Ecclesias aliquando decem, aliquando 40. & aliquando tempus immemorabile determinare debeat: Interim juxta communem de jure *Civili*, sive praeter, sive contra legem introducatur consuetudo, *decennium* requiritur: hoc enim jure consuetudo *longa* dicitur. *C. Quae sit longa consuetudo.* longum autem tempus 10. annorum censetur. *C. de Longi temp. praescripti.* Neque hic distinguendum est inter *praesentes*, & *absentes*, sicut in praescriptione, cum populus, vel civitas nunquam dici possit *absesse*. De jure *Canonico*, si praeter jus introducenda sit consuetudo, *decem anni* desiderantur; si *contra jus*, *quadragesima*, sicut contra alia jura Ecclesiastica. *Gloss. in cap. fin. h. t.*

Quod si lex nunquam ab initio usu recepta sit, eam tam jure Canonum, quam Civili aboleri lapsu decennii tradunt *Garc. de Benef. p. 7. cap. 1. n. 137.* *Navar. in Man.*

confess. cap. 23. n. 40. & 41. *Laym. in Theol. mor. lib. 1. tract. 4. cap. 3. n. 4.* *Loes. h. t. num. 14.* *Eraf. Chokier. de Jurisd. Ordin. in exempr. p. 1. quest. 50. n. 26.* Consuetudo autem *interpretativa* legis, nec jure Canonico, nec Civili certi temporis lapsum requirit, sed sufficit actuum frequentia secundum certam interpretationem practicata; veluti si dubitetur, in quibus consensus, vel consilium Capituli ab Episcopo requiri debeat, quod in jure non satisclare expressum est. *Menoch. d. l. num. 10.* *Panorm. in c. cum dilectus. 8. hoc tit. num. 7.*

Ceterum consuetudo licet jure Canonico dicatur praescripta *in d. cap. ult. hoc tit. & c. 3. eodem in 6.* id tamen in rigore accipiendum non est, sed potius late, & improprie, sicut de jure Civili potius consuetudo *longa*, & *longeva*, vel *diuturna*, quam *praescripta* dicitur: etenim in praescriptione longi temporis ordinariè *titulus* requiritur, & etiam in praescriptione longissimi temporis, si jus resistat praescribenti. *cap. 1. de Praescript. in 6.* in consuetudine verò consensus populi & rationabilitas consuetudinis, sive praeter, sive contra legem introducatur, loco *tituli* est: quia illi tituli *empti*, *donati*, *privilegii* &c. ordinariè inter privatos tantum procedunt, toti autem populo haud facile accommodari possunt. Imò tamen si lex haberet aliquam clausulam consuetudini adversantem v. g. *nulla imposterum valitura consuetudine* &c. tamen ex nova rationabili causa, à Legislatore verisimiliter non praevisa, à Legislatore consuetudo introduci posset; quia haec ipsa clausula juris tantum humani, & positiva est, unversim autem contra legem humanam consuetudo rationabilis admittitur *in saepe dicto c. ult. hoc tit.* *Panorm. ibidem num. 20. & 24.* Deinde etiam in praescriptione *bona fides* requiritur, & nulla valet quan-

quancumque temporis absque bonâ fide præscriptio. *cap. ult. de Præscript.* sed, cum *bona fides* nihil sit aliud, quam *ignorantia probabilis juris alieni*, consuetudo autem contra jus, & legem superioris etiam ex certâ scientiâ illius juris cæteris paribus introduci possit, *Gloss. in dicto cap. ult. in verbo præscripta. hoc tit.* idè bona fides ordinariè non requiritur, sed iterum supplet causæ rationalitas.

16 Illæ tamen leges festorum, decimarum, jejuniorum &c. eatenus *bonam fidem* requirunt, ut transgressores talium legum à peccato excusentur, aliàs ex actibus illorum peccaminosis nulla induceretur consuetudo. Unde in talibus vix aliter quàm tempore immemoriali consuetudo introduci potest, attendendo scilicet non actus primorum, qui legem fortassis culpabiliter non servârunt, sed sequentium: qui bonâ fide imitati sunt exemplum suorum majorum, supponentes, suos antecessores legitimam causam, vel remissionem ad non servandam legem habuisse. *Syl. verbo. Consuetudo. num. 12. & Panorm. in cap. 1. de Treuga, & pace. n. 4.*

17 Adnotavit etiam Suarez. *de LL. d. L. 7. c. 19. n. 11.* & ex eo Laym. *in Theol. mor. d. tract. 4. c. 24. sub n. 12.* quòd per desuetudinem ex lege humana mixta possit fieri purè poenalis, & cessante reatu conscientie manere sola poena fori externi, & si fortasse, inquit Suar. *multa leges Civiles imponentes exactiones, vel prohibentes venari, licna scindere, vel aliquid ex regno extrahere, licet in principio directiva fuerint, potuerunt usufieri merè poenales, & quasi naturam mutare, quia non aliter sunt observata.* & vice versa etiam abrogatâ poenâ v. g. Censurâ ipso jure annexâ, poterit manere sola obligatio quoad culpam, vel neutrum.

18 Demum etiam in Sacramentalibus, &

aliis ad Sacramentorum substantiam non pertinentibus, consuetudinem etiam contra jus commune induci posse, v. g. ut secundæ nuptiæ benedicantur &c. tradit Laym. *d. n. 12. cum citatis ibidem. arg. c. de trina. 80. dist. 4. de Consecr. & c. 2. de Temp. ord. in.* An autem impedimentum dirimens matrimonii consuetudine introduci, vel tolli possit? vid. Laym. *d. l. n. 13.* Sanch. *de Matrim. lib. 7. disp. 34.* ubi plures utriusque sententiæ auctores referuntur.

IV. Extra statum popularem requiritur consensus superioris; cum enim consuetudo sit lex, aliter quàm cum autoritate ejus, qui habet potestatem legis condendæ, introduci non potest. Sed hic quaeritur, an in singulis particularibus casibus requiratur scientia, & tolerantia superioris, vel utrum sufficiat consensus ille generalis, qui in utroque jure in ipso titulo *de Consuetudine* omnibus consuetudinibus rationalibus datus est? Verius & communius receptum est, hunc generalem consensum sufficere, & consuetudinem etiam ignorante superiore introduci posse: tum quòd *in c. fin. hoc tit.* solum requiratur, ut consuetudo sit *rationalis, & præscripta*, præscriptio autem etiam contra ignorantem procedat: tum etiam ex textu *c. 1. de Constitut. in 6.* ubi dicitur, quòd Papa plerumque ignoret statuta, & consuetudines locorum. Panorm. *in eodem c. fin. n. 13.* Putant quidem aliqui, quòd si sciente & patiente legislatore actus contra legem fiant, tunc minus spacium ad introducendam consuetudinem requiratur: sed id de lege aliquando recepta non admittit Panorm. *c. l. n. 14.* eo quòd lex recepta debeat per præscriptionem aboleri, scientia autem ejus, contra quem præscribitur, de jure non minuat præscriptionis tempus; quo facit etiam textus *in c. cum jam dudum. 18. de Præbendis.* quòd *multa per*
patt-

patientiam tolerantur, quæ in iudicium aduſa tolerari non debent; admittit verò in c. 1. de Treuga & pace. n. 4. vers. Ego sic distinguere. &c. in lege recipientia, ita ut tunc non requiratur certum tempus, sed sufficiat binus, aut trinus actus publicus in contrarium sciente, & non contradicente legislatore factus, quòd hoc casu non agatur de tollenda (ubi præſcriptione opus est) sed impedienda obligatione legis, quam legislator tolerans actus contrarios remississe præsumi potest, præsertim lapsu longi temporis scil. 10. annorum accedente, ut superius dictum.

20 V. Requiritur, ut consuetudo ante completum præſcriptionis tempus, vel per ipsum populum, exercendo actum contrarium etiam unicum; vel per superiorem, puniendo transgressores legis, non sit interrupta: aliàs enim post talem interruptionem de nouo inchoanda foret. Si verò tempus consuetudinis jam esset completum, unus actus in contrarium non noceret, sed deberet consuetudo tolli eo modo, quo mox dicemus. Abbas in dicto c. final. num. 19. Paulus Laym. de Legibus. c. ult. n. 14.

21 VI. Demum requiritur, quòd consuetudo sit circa talia, quæ præſcribi possunt: sicut ergo Laici spiritualia jura præſcriptione ex defectu possessionis acquirere non possunt, ita nec consuetudine etiam immemoriali. Quare illa regula, quæ traditur à Gloss. & DD. in c. super quibusdam 36. de Verb. signifi. quòd acquisibile per Privilegium possit etiam acquiri per consuetudinem, vel præſcriptionem temporis immemorialis, tantum procedit in iis, in quibus non datur incapacitas possessionis. Plerumque etiam concurrat ad impediendam tali casu consuetudinem, quòd ea rationabilis non sit, vel in detrimentum Eccle-

siarum tendat. Gloss. & Panor. num. 15. in d. c. fin. hoc. tit.

Tollitur consuetudo semel legitime constituta & introducta non per unum solum actum contrarium, sed per consuetudinem, aut legem contrariam. * & quidem lex generalis tollit consuetudinem generalem contrariam, sed non particularem, quæ in uno, vel altero particulari loco viget, nisi id ipsum exprimat. per textum not. in c. 1. de Constitutionibus. in 6. Probabiliter autem censetur satis exprimere per clausulam illam generalem: nulla obstante consuetudine &c. ut enim ista clausula habeat aliquem effectum, debet posse intelligi non de consuetudine generali, utpote quæ etiam sine hac clausula per legem generalem abrogatur; sed etiam de particulari, cum omnis consuetudinis sit derogativa, sicut aliàs dicere solemus, qui omne dicit; nihil excludit &c. Quod tunc minus dubii habere videtur, si lex addat; nulla obstante consuetudine, privilegio, vel statuto &c. tunc enim cum Statuti, & Privilegiis quæ particulares & privatæ leges sunt) quoque meminere, utique etiam consuetudinem particularem intellexit. * Cæterum hanc clausulam: nulla obstante consuetudine; magis communiter DD. cum Gloss. in Clem. statutum. 7. de Elect. in verb. Consuetudine. accipiunt de consuetudine præſente, quæ viget tempore novæ legis conditæ, non autem de consuetudine impoſterum inducenda. Gloss. in d. Clem. statutum. v. Consuetudine de Elect. Laym. d. c. 24. n. 7. vers. Tunc verò. Si tamen lex consuetudinem improbaret tanquam prorsus irrationabilem & corruptelam, tunc ex defectu rationabilitatis contraria consuetudo, nisi ex nova causa, introduci non posset, ut paulò superius in 2. & 3. requisito dictum.

TITU.

ENGEL IN DECRET. LIB. I.

TITULUS V.
De Postulatione Prælatō-
rum.

SUMMARI A.

1. Postulatio quid?
2. Qualiter differat ab electione.
3. Postulatio non acquiritur ius, nec potest simpliciter consentire.
4. Postulatio potest revocari nondum presentata superiori: & quid si presentata postulato, ique consenserit?
5. Expense intuitu postulationis vel electionis factæ an & quando repetantur?
6. Postulatus quot vota habere debeat, & ibi. quid si postulatio concurrat cum electione?
7. Votum confundens electionem cum postulatione quando reprobetur?
8. Postulatio quomplex, & ad quem spectet eius admissio?
9. In postulatione non requiritur accurata observatio, quia propter de Elect.
10. Postulantes indignum privantur iure eligendi pro ea vice.
11. Postulatio vel electio auctoritate Pape cassata inducit reservationem beneficii.

In IV. Titulis precedentibus quædam veluti Prolegomena de Jure Divino, naturali & humano præmissa sunt. Nunc Compiler transeundo ad magis particularia incipit agere de Jure personarum Ecclesiasticarum, scilicet de earum constitutione, & obligatione. Quia verò in Hierarchiâ Ecclesiæ militantis alii sunt subditi, alii Prælati, qui aliis, & dignitate, & potestate præminent, primò de Prælatorum creatione, quæ vel per *Postulationem*, vel *Electionem*, vel etiam *Translationem* fieri solet, tractatur.

Est igitur *Postulatio* alicujus personæ ad Prælaturam, sive dignitatem erga superiorem destinata petitio, ut eam dispensativè admittere velit; per quæ ultima verba *principalis* differentia inter electionem & po-

stulationem denotatur. Nam electio est personæ habilis ad dignitatem: postulatio verò est personæ aliquo impedimento laborantis, & propterea dispensatione opus habentis. Ex quo mox altera differentia consequitur, quòd electus electionem de cætero Canonice simpliciter acceptare valeat, atque inde jus acquirat, ut ei confirmatio à superiore ex justitia debita sit; *postulatus verò non nisi sub conditione dispensationis obtinendæ in postulationem consentire possit. Passerin. in *Tract. de Elect. cap. 24. quæst. 8. n. 13. & quæst. 14. n. 50.* & ipsam quoque postulationem à superiori admitti res gratiæ potius, quàm justitiæ sit, nec injuria fiat postulato, si etiam non vocatus rejiciatur, cum denegare gratiam in potestate superioris sit. *cap. 3. & penult. h. tit.* unde & in terminis juris postulatio *admitti*, electio *confirmari* dicitur: quod enim *confirmatur*, jus aliquod præexistens supponit; habet tamen ea admissio vim electionis, & confirmationis. Passer. *d. l. 9. 3.*

Aliquando tamen, sicut ob justam & præsertim publicam causam dispensatio in votis, irregularitatibus, & similibus nunquam ex officio debita esse potest, ut in *Libro III. in Tit. Ne sedes vacante.* dicemus; ita etiam admissio postulationis, si ea secundum formam juris concorditer facta sit, vel necessitas, & utilitas Ecclesiæ exigat. Quamvis etiam hoc casu postulanti- bus, vel postulato non tam propria actio contra denegantem admissionem, quàm imploratio officii apud superiorem judicem competere videatur. Panorm. in *cap. bona. 3. h. t. n. 14.* Laym. in *99. Cas. de Præl. Eccl. Disting. & disp. 9. 8.* Glossa in *d. c. bona. V. gratia.*

Est & *tertia* differentia inter postulatio- nem, & electionem, quòd electio post publicatum scrutinium ab eligentibus revocari, vel

ti, vel mutari non possit. *c. publicato. 58. de Elect. & dicitur Tit. seq.* Postulatio autem utcumque fuerit publicata, vel etiam ad superiorem destinata, damno suo actualiter superiori præsentata non sit, revocari possit: quia, ut dictum, per eam nullum jus acquiritur postulato, & gratiam petere nemo cogitur. Si verò actu superiori præsentata foret postulatio, non aliter quam cum consensu eius revocari possit. *Holt. h. l. n. 12. Joan. And. & Pan. in cap. bona. 4. h. t. Passer. d. cap. 24. q. 9. ubi num. 17.* querit, an revocari possit, si postulatio saltem ipsi postulato præsentata, ab eoque consensus illi conditionatus deluper præstitus fuit? Ratio dubitandi est, quòd illa præsentatio, & consensus videatur habere naturam pacti irrevocabilis. Sed quia DD. generaliter admittentes revocationem hanc exceptionem non statuunt, nullum se legisse testatur *Passer. d. l.* qui hoc dubium tractaret, ideò videtur hic affirmativam supponere. Neque consensus postulati requiritur per modum pacti, sed tanquam conditio, sine qua non potest postulatio superiori præsentari. Planè idem sensisse *Panorm. in d. cap. 4. h. t. num. 11.* satis colligitur, dum ibidem docet cum *Innoc. & aliis*, quòd si postulatus fecisset aliquas expensas intuitu postulationis, licet cum consensu, & præcitu postulantium, non possit eas à postulantibus, vel Ecclesia propter revocationem & variationem postulationis repetere: tum quòd suum, non Ecclesie negotium, & quidem factis ambitiosum, contendendo ad dignitatem sibi non debitam, gesserit: tum quòd sibi imputare debeat expensas factas, cum nullum jus ex postulatione se habere, ac postulantes variare posse sciverit, aut scire debuerit. Ergo supponit *Panorm.* quòd etiam post consensum postulati detur variatio: quis enim faciat expensas ad prosequendam

postulationem, nisi prius, imò hoc ipso facto in eam consenserit? Quamvis circa hoc punctum expensarum cum consensu postulantium factarum æquius censetur *Passer. d. q. 9. n. 20.* cum *Sylv. & aliis* earum refusione Postulantibus incumbere; tum quòd earum causa fuerint: tum quòd postulatus cum consensu postulantium faciens sumptus in prosecutione postulationis, ipsorum quoque postulantium negotium gesserit, nec propterea de ambitione notandus sit.

Quandonam autem universim prosequentes, vel impugnantes electionem, aut postulationem valeant expensas repetere, videatur *Gloss. fin. in c. cupientes. 16. in v. judicabit. de Elect. in 6.* Breviter dicendum, quòd illi tantum ordinariè consequantur expensas, qui obtinent contra electionem minus Canonicam, vel damnosam Ecclesie: quia isti censentur utile negotium Ecclesie gerere. Cæterum verò, qui succumbunt in impugnatione, vel electionem aut postulationem propriam prosequuntur, regulariter non repetunt: quia vel negotium Ecclesie non utiliter, vel suum tantum negotium gessisse censentur, nisi Regularis sit, cui, cum bona propria non habeat, ne jura sua, aut Ecclesie pereant, ex bonis Ecclesie succurrendum est. *arg. c. ex parte. 11. de Accusat.* Item si electio, & postulatio in concordia facta sit, possunt ipsi eligentes, & postulantes sumptibus Ecclesie petere confirmationem electionis, & admissionem postulationis.

Quarta quoque differentia est circa numerum suffragiorum: etenim in electione semper sufficit, ut major pars Capitularium in electum consentiat. *c. quia propter. 42. de Elect.* postulatio verò, si concurrat cum electione, & aliqui ex Capitularibus postulent, aliqui eligant, hoc habet speciale, ut non sufficiat, quòd major pars postu-

laverit, sed requiritur, ut postulantium numerus sit duplo major, quam eligentium, & ita duæ tertie Capitularium v. g. ex 30. 20. stent pro postulato, alias rejecto postulato electio etiam à minori parte Capituli (dummodo illa superet unam tertiam) confirmabitur. *c. scriptum. 40. & ibi Gloss. & Pannon. de Elect.* Sentiunt tamen DD. quòd *de c. scriptum.*, admittens electionem minoris partis, quando pars major non elegit, nec postulavit indignum, sit quedam specialis decisio contra communes juris in materia electionis regulas, fundeturque potissimum in consensu Capitularium, qui simul postulationem, & electionem superiori presentarunt, atque eo ipso consentire censentur, ut vel postulatio ipsorum admittatur, vel aliorum electio confirmetur; ut proinde in arbitrio Confirmatoris positum videatur, ut consideratis circumstantiis, & qualitatibus personarum vel postulationem admittat, vel electionem confirmet, vel utramque rejiciat, adeò ut ne electo quidem in casu isto jus aliquod ante acquiratur, quam confirmationis assensus accesserit. Ita Laym. *in qq. Can. de Præl. Eccl. Dilinga. disp. 9. 7.* & nota Gloss. *in d. c. scriptum V. Confirmes.* Passer. *d. c. 24. q. 15. n. 61. & seqq.* arg. *tex. in d. c. scriptum.* ibi: *& si partes consenserint, procedas hoc modo.* Si verò postulatio cum electione non concurrat (quod tunc evenire potest, si omnes Capitulares postulationem, sed circa diversas personas, instituant) prævalebit pars major Capituli, quamvis ex duabus tertis non constet: quia regula est generalis, quòd major pars Capituli totum Capitulum representet, à qua regula tantum excipitur hic casus specialis, si postulatio cum electione concurrat, proinde in aliis regula firma manet.

7 Potest hic adnotari, quòd *in c. un. h. tit. in 6.* reprobentur tales eligendi, aut postu-

landi formæ, & actus inde secuti annullentur: *eligo postulando, & postulo eligendo:* aut *eligo postulandum, sive postulo eligendum;* eò quòd contineant verborum contrarietatem; sicut & alias si postulandus eligatur, electio canonica non est, utpote facta de persona ob defectum canonicum indigna. *c. cum Wintonensis. 25. c. congregato. 53. de Elect.*

Item *in eodem cap. un.* etiam hæc forma rejicitur: *eligo & postulo, prout de jure melius fieri potest;* nisi quando probabiliter dubitaretur, utrum quis sit eligendus, vel postulandus: cum forsan de defectu ejus aliqua conjectura, sed non veritas haberetur, quo casu sic postulatus, vel electus antequam consensum suum præstet, alterutram viam postulationis, vel electionis amplecti debet, neque unà vià electa ad aliam redeundi potestatem habet. Utrum autem e contra, quando certò eligibilis postulatur, actus sit nullus, non secus ac si postulandus eligatur? pro utraque sententia allegat Passer. *d. cap. 24. quest. 12. num. 24.* & ipse arbitrio confirmatoris remittit. Posset addi ratio differentie, quòd si postulandus eligatur, injuria fiat Ecclesie, dum eligentes volunt inhabili jus ad Prælaturam tribuere: in altero autem casu injuria, si qua est, potius personam postulati, quam Ecclesiam respiciat.

8 Postulatio solet à DD. dividi in *solemnem, & non solemnem.* Solemnis est, quæ dirigitur ad eum, qui potest in impedimento postulati dispensare. Hinc est, quòd licet confirmatio electionis de jure ad proximum superiorem pertineat (nisi quòd hodie in *Concordatis Germanie* confirmationes Episcoporum sint S. Pontifici reservatæ) admissio tamen postulationis etiam ipso jure plerumque ad S. Pontificem spectet, cum ipsi regulariter soli (nisi inferior speciali privi-

privilegio, vel consuetudine munitus sit) dispensandi potestas competat.

Et huic *solemni* postulationi propriè conveniunt ea, quæ hæcenus dicta sunt. Cumque ejus admissio pendeat merè ex gratia superioris, ut sæpius repetitum, ideo neque formam *cap. quia propter. de Elect.* accurate per omnia observare esse de necessitate, quamvis tutius fateatur, docet Passer. *d. cap. 24. quest. 5.* nisi ut in postulationibus Regularium vota secreta dentur: quia Concilium Trident. *sess. 25. de Rec. cap. 6.* ex identitate rationis etiam de postulatione S. Congregatio interpretata est.

Postulatio *non solemnis* est, in qua non petitur dispensatio contra jus, & relaxatio legis, sed licentia solum, & consensus superioris, veluti si Abbas, vel Præpositus, aut privatus Religiosus in Episcopum, vel in alterius, quam sui proprii Monasterii Prælatum assumatur cum licentia illius superioris, cui immediatè subest; & propterea talis postulatio non est tam postulatio, quam electio, & nihil intèrest, an Capitulares electionis vel postulationis vocabulo utantur: nam sacri Canonibus Regularibus concedunt, ut non tantum ad alia Monasteria, quam propria, sed etiam ad Episcopatus Ecclesiarum Cathedralium, quamvis sæcularium, eligi, vel assumi liberè, & licitè possint, dummodò ex post facto consensus superioris accedat. Et quidem si privatus Religiosus sit, qui eligitur, consensus sui Abbatis (sine quo Religioso consentire irritatur electio, non tamen requiritur consensus Capituli) si Abbas, consensus Episcopi, vel si exemptus fuerit, consensus S. Pontificis, vel Legati ejus de latere requiritur. *cap. Religiosus. 27. cap. si Abbatem. 36. de Elect. in 6. Clem. 1. eodem tit.* Aliud est, si Episcopus unius diocesis eligatur in alterius diocesis Episcopum, vel Archiepiscopum:

talis enim à vinculo spiritualis conjugii, quo adstrictus est suæ Ecclesiæ Cathedrali (quod vinculum non est propriè inter Abbatem & Monasterium) tantum à S. Pontifice absolvi, & proinde solemniter postulari debet. *cap. ult. h. tit. c. inter corporalia. 2. Vers. sicut autem. de Translatione Episc.*

Demum quia postulantes indignum privantur pro ea vice potestate postulandi, & eligendi, ut cum Innoc. *in cap. 1. & Panorm. in cap. ult. h. t.* notant communiter DD, omnis autem postulatus defectu Canonico laborans videatur indignus, ideo hæc in tres regulæ traduntur: *Prima* est, quòd si postulatus sit indignus indignitate indispensabili, ut quia criminosus, impoenitens, hæreticus, infamis, omninò illiteratus &c. tunc privatio electionis, & postulationis pro ea vice ipso jure inducatur. *Secunda* est, si indignitas sit quidem dispensabilis, attamen non solear dispensari, (quòd ex stylo Curia defumendum est) tunc postulatio non est ipso jure nulla, sed per sententiam annullanda, neque pœna privationis ipso jure incurritur, nisi quòd in *Extravag. ad Regimen. 13. de Præbendis inter Com. & Concord. German. §. 2.* dignitates illæ, in quibus postulationes, vel electiones factæ tanquam minus canonice auctoritate Papæ, ad quem spectat earum admissio, vel confirmatio, rejiciuntur, Sedi Apostolicæ referuntur. *Tertia* denique regula ex præcedentibus inferitur, quòd illi proinde postulabiles censeantur, qui tali defectu canonico laborant, in quo possit & solear dispensari: uti est vinculum alterius Ecclesiæ, Ordinum, vel ætatis defectus, &c. Panorm. *in d. cap. fin. num. 8. Barb. Jur. Eccles. univers. cap. 19. num. 6. Laym. d. loco. quest. 2. Passer. d. cap. 24. quest. 12. num. 28. & seqq.*

TITULUS VI.
De Electione, & Electi
Potestate.

SUMMARIUM.

1. Quid sit Electio?
2. Alia est activa, alia passiva.

Postulatio, de qua dictum, est modus extraordinarius creandi Prælatos, qui innititur gratiæ; subsequitur ordinarius, qui Juri innititur, nempe *Electio*. Et quia hæc Jus tribuit electo, etiam de electi potestate agitur.

1. Electio describi potest, quod sit *Persona idonea ad Ecclesiam vacantem per vota Capitularium, seu eligentium canonica vocatio*. Dico *persona idonea*: ut differat electio à *postulatione*, quæ est de persona impedimento canonico laborante, ut *precedenti tit.*: diximus. Dico, *per vota Capitularium*, ut differat electio à collatione, institutione, commenda, præsentatione & aliis similibus modis acquirendi beneficium: qui in *Lig. III.* tractantur; quare potissima vis, & ratio electionis in votis Capitularium, seu eligentium consistit. Et hæc sunt duplicia: * *alia activa*, scilicet illorum, qui eligere possunt; & *alia passiva*, illorum, qui possunt eligi, & dignitatis electivæ capaces sunt, velut in Trident. *Sess. 25. de Regul. c. 2.* statuitur: ut Religiosus contra voluntatem superioris proprietarius biennio activâ, & passivâ voce carere debeat; quod de voce in Capitulo intelligendum est. Si verò aliquis simpliciter tantum per Canones voce privetur, id in dubio de activa tantum, quæ propriè vox est, non etiam de passiva accipitur: sicut exemplum habetur in eodem Trident. *Sess. 22. de Reform. c. 4.* & ibi tradit Barb. *m. 14.* de illis, qui in
2. sunt duplicia: * *alia activa*, scilicet illorum, qui eligere possunt; & *alia passiva*, illorum, qui possunt eligi, & dignitatis electivæ capaces sunt, velut in Trident. *Sess. 25. de Regul. c. 2.* statuitur: ut Religiosus contra voluntatem superioris proprietarius biennio activâ, & passivâ voce carere debeat; quod de voce in Capitulo intelligendum est. Si verò aliquis simpliciter tantum per Canones voce privetur, id in dubio de activa tantum, quæ propriè vox est, non etiam de passiva accipitur: sicut exemplum habetur in eodem Trident. *Sess. 22. de Reform. c. 4.* & ibi tradit Barb. *m. 14.* de illis, qui in

Subdiaconatus saltem Ordine constituti non sunt, ut vocem in Capitulo non habeant. Videamus igitur de *voce activa*, & *passiva* eligentium, de *modo*, & *forma* electionis, ac demum de illis, quæ ad electionem factam consequuntur.

S. I.

Quinam vocem activam in Electione habeant?

SUMMARIUM.

1. Jus eligendi competit propriè illis, qui sunt de Collegio, & quibus modis possit acquiri extraneis?
2. Qualiter acquiratur consuetudine, vel præscriptione.
3. Qui sunt in quasi possessione juris eligendi, debent admitti ad electionem; & quot actibus acquiratur quasi possessio?
4. Laici sunt incapaces juris eligendi, & admitti faciunt electionem nullam, nisi habeantur ex privilegio Papæ.
5. Novitii, & Conversi nequeunt eligere, nisi Monasterium constaret ex Conversis.
6. Qui non est saltem Subdiaconus, hodie eligere non potest, & an id quoque procedat in Monasterio?
7. Censuris Ecclesiasticis ireriti, an & quando eligere possint; & quid hodie post Concilium Constantiense.
8. Religiosi proprietarii nequeunt per biennium eligere.
9. Indignum eligentes quo sensu pro ea vice jure eligendi priventur.
10. Absentes an & qualiter per Procuratorem, vel per literas eligere valeant.
11. Absentes qui vocandi ad electionem, & vel unus vocandus non vocatus potest irritare electionem.
12. Unus residuus de Collegio retinet jus eligendi, & qualiter possit electionem instituire.
13. Jus eligendi amittitur lapsa tempore a jure præfinito; & quod sit illud, ac qualiter computetur.
14. Electio facta post terminum an subsistat; & an Episcopus possit prolongare, vel restringere terminum juris?
15. Episcopo non utente jure electionis ad se devoluto, id non devolvitur ad Capitulum, sed ad superiorem.

De

DE jure communi illi solum eligere possunt, & vocem activam habent, qui sunt membra illius Collegij, cui jus eligendi competit. *cap. ult. 16. quest. 7. cap. 1. h. t. c. cum Ecclesia. 3. de Causa poss. & propriet.* Alij vero extranei non nisi speciali jure hanc eligendi potestatem consequuntur.

Et quidem personæ Ecclesiasticae, quæ de corpore, vel gremio Collegij non sunt, possunt acquirere jus eligendi. I. Ex privilegio S. Pontificis, qui pro plenissima sua in omnibus Ecclesiis, & beneficiis potestate eligendi jus concedit, & aufert, ut ex diversis juris Canonici locis, præsertim verò ex Regulis Cancellariæ doceatur.

II. Ipsi eligentes possunt in aliquem extraneum. v. g. Episcopum compromittere, & totum jus suum eligendi, saltem pro una vice, in eum conferre, ut ille solus valeat eligere, & constituere Prælatum in Ecclesia vacante. *cap. causam. 8. h. t.* Univerfim autem, & in perpetuum jus electionis Capitulares à se abdicare, & in alium transferre non possunt: quia jus electionis non tam favore eligentium, quam ipsius Ecclesiæ, cui melius per electionem, quam aliam provisionem consultum est, conceditur.

III. Ex unanimi consensu possunt eligentes etiam extraneum Clericum secum ad Capitulum, & electionem admittere. *c. scriptum 40. h. t.*

IV. Patronus Ecclesiasticus potest sibi in fundatione Ecclesiæ Collegiatae jus eligendi reservare: quia in fundationibus Ecclesiarum honestæ conditiones admittuntur, ut major sit hominum ad Ecclesias fundandas promptitudo. *c. præterea. 23. de Jure patron. cap. 4. de Condit. appof.* Si in fundatione nihil reservatum sit, vel si ex Ecclesiâ simplici patronata facta sit Ecclesia Collegiata, tunc patroni consensus non in ipsa electione, sed primum post illam, & qui-

dem magis de honestate, quam necessitate requiretur. *Text. & DD. c. nobis. 25. de Jure patron.*

V. Consuetudine vel præscriptione etiam jus eligendi acquiritur. *c. cum Ecclesia. 3. de Causa poss. & propriet.* spatio scilicet 40. annorum: quia præscriptio, & consuetudo contra Ecclesiam, & Canones est. Atque præscribens jus eligendi etiam jus postulandi præscripsisse censetur, quamvis intra tempus præscriptionis nunquam se casus postulationis obtulerit, ex generali regula, quòd illi, qui eligere, etiam postulare valeant. *cap. 4. de Postul. Prælat.* Non obest, quòd præscriptio sit strictæ interpretationis; non extendatur de casu ad casum; nec censeatur plus præscriptum, quam possessum &c. nam ista locum non habent in his, quæ connexa sunt, & ad unum finem tendentia: de connexis enim idem est iudicium; unde & qui in quasi possessione juris eligendi est, per consequens etiam, & connexionem jus postulandi possidere intelligitur.

Sed utrum ad præscriptionem istam juris eligendi titulus requiratur, *dubitari solet?* Quidam affirmant, eò quòd præsumptio juris sit contra præscribentem, quo casu aut tempus immemorabile, aut titulus requiritur. *cap. 1. de Prescript. in 6.* Probabilius tamen videtur cum Panor. *in d. cap. cum Ecclesia. n. 3.* solum exercitium eligendi cum lapsu temporis quadragenarii absque alio titulo sufficere; tum quòd in eodem *c. cum Ecclesia.* præter tempus, & possessionem nullius tituli mentio fiat, cum tamen ibidem tam super petitorio (in quo regulariter necesse est monstrare titulum) quam possessorio actum fuerit: tum quòd in *incorporalibus juribus* plerumque scientia, & patientia adversarii loco tituli habeatur. *L. si quis diuturno. 10. ff. Si servi-*

tus vendic. L. si ego. 11. ff. de Publiciana in rem act. Citatum verò *cap. 1. de Prescript. in. 6.* accipiendum est non de simplici solum præsumptione, quæ est contra præferentem, sed de præsumptione cum forti resistantia propter grave præjudicium, vel inconvenientiam ex præscriptione emanantem, ut si contra Parochum decimæ præscribantur, sicut explicat Covar. *Var. Resol. c. 17. n. 7.*

Coeterum etiam ante completum præscriptionis tempus illi, qui in pacifica possessione juris eligendi sunt, ad electionem admitti debent: quia pendente lite non debet aliquis commodo suæ possessionis privari. *dict. c. cum Ecclesia. §. c. 1. & 2. Ut lite pendente &c.* Putat quoque Gloss. *in sape d. c. cum Ecclesia. in V. trium Episcoporum*, quasi possessionem juris eligendi per unum etiam actum acquiri, adeo ut accedente lapsu 40. annorum, quibus fortè electus vixit, ipsum jus præscriptum censetur, nisi ex adversa parte probari possit, illum primum actum vi, aut precario exercitum fuisse, ad exemplum servitutis rusticæ ducendi aquam per fundum alienum, cujus possessio uno actu acquiritur. *L. 1. §. quaesitum. ff. de Aqua quotid. & strva.* Quod sane non est absque difficultate, cum jus eligendi magis assimilari videatur servitutibus discontinuis, itineri, actui, & similibus, in quibus frequentia actuum ad acquirendam possessionem requiritur. *L. 1. §. hoc interdicto. ff. de itinere, actuque privato.* Et maxime si de consuetudine loquamur, satis receptum est, ad eam introducendam actuum pluralitatem desiderari, & colligitur ex *d. c. cum Ecclesia.* ubi prætendentes præscriptionem juris eligendi tres actus possessorios allegarunt. Similes textus sunt in *c. cum olim. 7. de Causa poss.* ibi: *duobus Archidiaconis. & in c. quere-*

lam. 24. in fine. h. t. ibi: pensio annuatim per multa tempora persoluta &c. Et ideo ad acquirendam quasi possessionem eligendi, præsentandi, conferendi, &c. duos saltem actus desiderat Roman. *Consil. 70. n. 13.* Flores de Mena *Quest. var. quest. 2. n. 25.* citati apud Barb. *in collect. ad d. c. cum Ecclesia. n. 10.* Ipse tamen Barbosa *d. l. cum pluribus*, quos allegat, & ut asserit, communiore sententia, censet ex unico etiam actu quasi possessionem juris eligendi, & præsentandi, & similibus jurium incorporalium acquiri; quod Innoc. *in cod. c. cum Ecclesia. num. 5.* & Panorm. *ibidem num. 22* intelligunt circa incorporalia jura, quæ non solent alicui facile concedi, nisi quasi ex debito, quod ut plurimum iudici arbitrium existimant. Verum ad complendam præscriptionem juris eligendi satis aperte consentit Barbosa *d. l. num. 11. vers. tertio responderi.* plures actus possessorios debuisse juxta textus præallegatos intervenisse: non enim videtur satis continuata possessio, quæ non nisi semel exercita fuit, & tamen ex ipsa rei natura importat actus reiterabiles; neque satis potest argui patientia adversarij, quando occasio impediendi non fuit, dum scilicet electus, in cujus electione prima vice possessio cepta est, 40. annis vixit, & interea nullus alius casus electionis evenit.

Notanter autem hætenus de extraneis Clericis locutus sum, quatenus illi jus eligendi acquirere possunt. Laici verò juris eligendi, sicut & aliorum jurium spiritualium regulariter incapaces sunt. *c. decernimus. 2. de Judicis.* ideoque inprimis ex conventionem vel pacto Capitularium admitti nequeunt; imò qui laicales personas, sive ab usum secularis potestatis ad eligendum admiserint, faciunt electionem nullam, per triennium ab officio, & beneficio, conse-

quenter etiam à jure eligendi suspenduntur, *c. quisquis 43. c. Massana. 65. h. tit.* quam tamen suspensionem non esse latam, sed ferendam sententiam putat Joan. Andreas *in eodem c. 43. in fine.* & ibi etiam Gl. & Innoc. *in V. suspendantur.*

Licet verò secularis potestas quandoque electionibus rectè & laudabiliter assistat contra alios, qui eorum electionem turbare nituntur; præsentiam tamen physicam in ipso actu & loco electionis, licet citra votationem, exhibere non debet, aliàs ex multorum sententia, quam pluribus propugnat, & à S. Congregatione confirmatam refert Fagnan. *in c. quisquis num. 32. & seq.* electio invalida reddetur. Ratio est, quòd sola etiam præsentia Principis, vel secularis potestatis, vel nunc, vel successu temporis eligentibus formidinem incutere, & libertatem eligendi forsitan contra intentionem Principis tollere valeat, nec sit conveniens coram seculari Principe tractatum, & serutinium habere de meritis & defectibus eligendorum. Si autem persona Laici intervenientis non esset formidabilis, sed necessaria pro teste, vel Notario, magis communiter receptum est, admitti posse. Fagnan. *id. l. num. 20.* Si per violentiam se intruserit secularis potestas, non obstabit electioni, præsertim si protestatio aliqua à Capitularibus interponatur.

Deinde nec consuetudine, nec præscriptione etiam temporis immemorialis jus eligendi seculares acquirunt, quia possessionis incapaces sunt, sine qua non currit præscriptio, sicuti in simili alibi diximus de præscriptione jurisdictionis Ecclesiasticæ, juris conferendi beneficia, juris decimandi & similia. Illa tamen consuetudo non est prorsus improbanda, quòd mors Prælati nunciari debeat Principi, aut Patrono seculari, ejusque consensus aut pa-

tius patrocinium, ac defensio peti ad novam electionem instituendam. Item ut electio facta Patrono aut Principi infirmetur, ejusque consensus desuper requiratur, quem tamen negare non potest, nisi ob Canonicum impedimentum electi. Hostien. *h. tit. §. quis possit eligere.* Text. *in c. cum inter. 18. junctà Gl. in V. vice Regià. & c. Sa. crosavita. 51. h. t.* Innoc. *in c. quod sicut. 28. eodem.*

Ex privilegio etiam S. Pontificis secularibus jus eligendi competere potest, quia non excedit potestatem S. Pontificis Laicos secundum quid Clericis æquiparare, & ad jura spiritualia habilitare, prout de facto ad jus patronatus (quod spirituale est, & absque iunonia vendi non potest. *c. de jure. 16. de Jure patronatus*) omnes seculares habilitati sunt. Difficilius autem jus eligendi, quàm præsentandi conceditur; quia jus eligendi est potentius, & majus jus tribuit electo, ac plerumque est circa Prælatos Ecclesiasticos, quorum autoritas in spiritualibus non debet à secularibus dependere.

Porro etiam inter eos, qui de corpore & Collegio Ecclesiæ vacantis, sunt, qui vocem activam in electione non habent, ut I. Novitii, licet quoad privilegium Canonis, & fori accenseantur corpori Monasterii, jus tamen eligendi non habent, antequam tacitam vel expressam professionem emiserint, *c. ex eo. 32. in Ecclesiis. h. tit. in 6.*

II. Conversi Laici, qui Ordines Clericales non habent, unà cum Clericis Religiosis ad electionem admitti non debent. *d. §. in Ecclesiis.* ubi Gl. *in V. cum Clericis.* notat, si in aliquo Ordine vel Hospitali solis essent Laici conversi, illis non denegandum fore jus eligendi sibi Superiorem.

III. Nec ipsi Clerici eligere possunt, nisi ad minus in sacro Suddiaconatus Ordine

ENGEL
 1720
 III
 720

constituti sint, ut enim tantò majus ad suscipiendos Ordines sacros incitamentum sit, & præcludatur via post plurimum annorum fructus Ecclesiasticos perceptos deferendi statum Clericalem, statuitur in *Clem. 2. de Ætate & qual. &c.* & in Trident. *s. s. 22. de Reform. c. 4.* ut nullus in Cathedrali, Collegiata, seculari, vel Regulari Ecclesia vocem in Capitulo habeat, qui saltem in subdiaconatus Ordine constitutus non sit. Existimant quidem aliqui has constitutiones non procedere circa illas Regulares Ecclesias, in quibus vi Regulæ Ordinis omnes omnino Religiosi, etiam si in sacris Ordinibus non sint, ad Capitulares actus, & electionem admittuntur, eò quòd lex generalis non tollat statuta particularia, nisi in quantum exprimit. *cap. 1. de Const. t. in 6.* Sed vereor, ne contrarium communi tam inter DD. quàm usu (in illis saltem locis, ubi Tridentinum observatur) receptum sit, & generaliter de electione Abbatum tradit Tambur. *de Jure Abbatum tom. 1. disp. 5. quest. 8. num. 8.* quia statutum illud Regulæ nihil continet speciale, sed ante Tridentinum & Clementinas fuit juri communi conforme. *c. Abbatem 3. cum seq. causa. 18. q. 2.* ergò per contrarium jus commune sublatum intelligitur. Nihil tamen obest, quin consuetudine alicujus loci adhuc jus antiquum in Monasterijs præsertim retineri valeat secundum ea, quæ de auctoritate consuetudinis tradidimus: quia potissima intentio Concilij fuit, providere Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis secularibus, ut Canonici sacros ordines suscipere, quò minus post plurimum annorum perceptos fructus beneficio & Clericali renuciare valerent. Nec est irrationabile, etiam juniorum vota audire, quibus teste S. Patre Benedicto Deus sapiens suam mentem reyclat.

IV. *Eligere* non possunt, qui censura, excommunicationis, suspensionis, interdicti, aut irregularitatis notati sunt *c. un. Ne sede vac. in 6. c. cum dilectus. 8. vers. quia nobis. de Consuetud. c. cum inter. 16. h. t. c. is qui. 18. §. is verò. de Sent. ex com. in 6.* Verùm hic aliqua advertenda sunt, & imprimis, quòd *excommunicatio* tantum *major* privet electione, *minor* autem privet voce passivâ tantum, non activâ *c. ult. de Clerico. excom.* Cui non resistit. *c. illa. 39. h. tit.* ubi dicit Innocentius III. Se ex plenitudine potestatis suppleri defectum, si quis esset, quòd electio ab excommunicato minore excommunicatione celebrata fuisset: nam communis est DD. interpretatio cum Gl. *in eodem c. in V. suppletis.* quòd hæc suppletio defectus non fuerit simpliciter necessaria, sed superabundans ad omnem dubitationis scrupulum tollendum, & quòd tempore Innoc. III. non fuit satis in jure expressum, id Greg. IX. *in d. c. ult.* apertius declaravit.

Deinde *suspensio à beneficio* non impedit jus eligendi: quia eligere propriè loquendo non est effectus beneficii, sed potius actus officij, aut jurisdictionis. *Suspensio* autem *ab officio* propriè impedimentum electionis ponit, & quò minus actus officij rectè exerceri valeant. Gl. *in c. cum Wintonensis. 25. V. admiserunt. & ibidem Panorm. num. 10. h. tit.*

Interdictum quoque *locale* non videtur obstat electioni, quia importat solum administrationem prohibitam quorundam Sacramentorum, & sepultura Ecclesiastica, de quibus non est electio, sed *interdictum personale*, quòd importat suspensionem. *arg. c. cum inter. 16. h. tit.* qui verò violat interdictum locale in loco interdicto sine speciali privilegio celebrando, efficitur irregularis, & ab electione tam activa quàm passiva

passiva remouetur. *cap. is qui 18. §. is ve-
ri. de Sent. excom. in 6.*

Demum hodie post Concilium Constanz-
tense, & Extravag. Martini V. *Ad euitan-
da.* (de qua in *Lib. V. de Sent. excom.*
pluribus agemus) excommunicati, suspen-
si, & interdicti, nisi sint denunciati, aut
notorii Clericorum percussores, sicut ab
aliis fidelibus requisiti officium suum etiam
in spiritualibus exercere, & cum eis com-
municare possunt, ita pariter ad electionem
activam non improbabiler admitti posse
videntur. Nec obstat, quod in d. Con-
cil. Constantiensi ipsis censuratis nulla gra-
tia sit facta: quia electio activa non tam gra-
tiam & favorem eligentis: quam principa-
liter favorem electi & Ecclesie concernit.
Zoel. h. tit. num. 10.

8 V. Eligere per biennium nequeunt, Re-
ligiosi proprietarii, sive qui votum pauper-
tatis violabile, retinendo aliqua bona contra
voluntatem superiorum expressam, vel sal-
tem rationabiliter praesumptam convincun-
tur. Trident. *Sess. 25. de Regul. c. 2.* qua de
re infra in *Lib. III. in Tit. de Statu Mona-
chorum.* tractabimus.

VI. Qui indignum scienter elegerunt per-
dunt pro ea vice jus eligendi: & si electio in
Cathedrali Ecclesia celebrata sit, insuper a
beneficiis, quae in eadem Ecclesia obtinent,
per triennium ipso jure suspensi sunt. *c. cum
in cunctis 7. §. Clerici. h. tit. c. si compro-
missarius. 37. eodem in 6.*

9 Quod autem dicitur eligentes indignum
pro ea vice jure eligendi privatos esse, hanc
interpretationem habet, quod illa vice,
qua hic & nunc electio de indigno a majori
parte Capituli celebrata publicata, ac insu-
per publicae seu communis electionis decre-
tum (de quo in §. 3. n. 39.) desuper forma-
tum est (tunc enim proprie perfecta est, &
dicitur electio. *s. Perpetuo. 7. h. tit. in 6.*)

tota potestas Capitularis in minore parte
eligentium resideat, ita ut hi, si concordati
fuerint, suam electionem renovare & pub-
licare, vel novo scrutinio in aliquem di-
gnum convenire valeant. Videatur text. Gl.
& Panorm. *in c. congregato. 53. h. tit.* Si
verò contingeret, hunc a minore parte ele-
ctum non acceptare, mori vel occulto impe-
dimento laborare, & ita nova electio for-
manda esset, jam alii Capitulares, qui prius
indignum elegerunt, excludi amplius non
possent. Gl. *in c. cum Wintonensis. 25. V.
tertia. h. tit. & in c. si electio. 26. V. in-
tegrum. eodem in 6. Laym. in 99. can. Di-
ling. disp. de Prael. Eccles. quaest. 64.* Si
denique omnes omnino Capitulares in indi-
gnum scienter consenserint, jus eligendi
pro ea vice ad superiorem devolvitur, *c. bo-
nae. 23. h. tit.* Panorm. *in d. c. cum Win-
tonensis 25. v. 6. h. tit.* Est tamen hic no-
tabile, quod cum aliis contra alios docet
Passerinus in *Tract. de elect. c. 29. n. 94. &
segg. c. c. 37. n. 25.* quod haec poena priva-
tionis ob electionem indigni tantum habeat
locum in electione ad Episcopatum, non
verò ad inferiores dignitates, praesertim
Regnarium, sed tales eligentes puniendi
sunt alia poena arbitraria. *arg. c. si com-
promissarius. 37. h. tit. in 6.* Item *d. c.
29. num. 97.* tradit Passerinus, quod poena
eligentium indignum duntaxat intelliga-
tur de indigno ex his 3. causis, scilicet ob defe-
ctum *Naturalium, scientiae, & morum,* secus
verò si fuerit indignus, vel intelligibilis ex
alia causa, v. g. quia est corpore vitiatum,
neophytus, bigamus, vel alias irregularis
absque delicto, &c.

VII. Eligere non possunt *absentes*, qui so-
personaliter in loco electionis non compa-
rent, si iustum aliquod veniendi impedi-
mentum non habeant: si verò iusto aliquo
impedimento detenti sint, Procuratorem

ad dandum votum constituere possunt. Et hic Procurator regulariter debet esse unus de Collegio, sive Capitulo, ac petentibus reliquis Capitularibus in animam principalis jurare, quod is personaliter accedere non valeat. *c. quia propter. 42. §. illud autem. h. tit.* Dico, petentibus reliquis: quia Capitulares, si velint, possunt acceptare Procuratorem etiam à non impedito, & etiam aliquem extraneum Clericum, qui non sit de Capitulo, cum hac dispositio juris sit in ipsorum favorem, cui propterea renuntiare non prohibentur. Panor. *in d. §. illud autem. c. si quis justo. 46. §. absens. h. tit. in 6.*

Porrò Procurator simpliciter constitutus non potest alium suo, & alium principalis nomine eligere, eadem enim conscientia, quâ tenetur digniorem suo nomine, tenetur etiam eligere nomine principalis, nisi habuerit mandatum speciale de certa persona eligenda: quia tunc non tenetur suum iudicium conformare iudicio principalis. *d. c. si quis justo. §. porrò. & ibi Gl. in V. nihil agit. h. tit. in 6.* Per literas autem absens suum votum dare non potest, quamvis nullus sit à Capitulo, qui Procuratoris officium subire velit, & Capitulum nolit extraneum admittere: quia de forma scrutini est, ut vota dentur sigillatim & secretò in ipso scrutinio; tales autem literæ deberent imprimis legi, & tanquam propria manu scriptæ cognosci à Capitulo; & deinde votum suum in literis exprimens ipsum scrutinium præveniret. *d. c. si quis justo. 46. §. absens.* Docet tamen Laym. *in Quest. Canon. de Prælat. Ecclesiast. quest. 44.* in electionibus Regularium, in quibus forma scrutini exactè non servatur, sed schedulæ obsignatæ in unam urnam conjiciuntur, nihil obitare, suffragium ita scriptum ab absente, vel infirmo ad Capitulum

Sed & illud observatione dignum est, quòd à S. Congregatione decisum referunt Garc. *de Benef. p. 5. c. 4. n. 200.* & ex eo Barb. *ad Trident. Sessi. 25. de Regul. c. 6.* quòd in electionibus Regularium (in quibus per *d. c. 6.* Trid. sub poena nullitatis statuitur, ut fiant per votum a secretis, quæ cum nominibus eligentium nunquam publicentur) non possit constitui procurator de conventu cum speciali mandato de certa persona eligenda, sed bene cum mandato generali de persona incerta, quæ ipsi Procuratori digna visa fuerit.

Cæterum ad electionem vocandi sunt omnes Capitulares etiam absentes, qui debent vocari, & volunt, ac commodè possunt interesse. *d. c. quia propter. 42. h. tit.* nisi essent valde remoti. *c. cum inter. 18. h. tit.* quandonam autem dicantur valde remoti, ex consuetudine locorum delumendum erit; quæ aliquando habet, ut omnes, qui in eadem Provincia, imò in eodem Regno sunt, vocentur; alias ex eo, ac commodè ob distantiam loci in termino electionis comparere valeant. *Gl. in d. c. 18. in V. remoti & c. in Genesi 55. h. tit.* Quòd si vel unus, qui de jure aut consuetudine vocari debuisset, vocatus non sit, potest agere de contemptu, & irritare electionem, nisi ob bonum pacis velit expressè, aut tacitè renunciare juri suo, & electioni consentire. *c. quod sicut. 28. c. bone 36. h. t. n. 56. & seq.*

Si verò aliqui vocati nolint interesse, aut ob impedimentum non possint, tunc totum jus eligendi apud residuos presentes est, idque etiam apud unicum, sicut alias Collegii aut Universitatis alicujus jura etiam in uno conservantur. *arg. l. sicut. 7. §. 2. ff. Quod cujuscumque Universit. nom.* hic autem unicuique licet seipsum ob notam ambitionis elige-

eligerenequeat, potest tamen alium idoneum ex suo vel alio Capitulo nominare, & superiori presentare ad confirmationem, vel certè in superiorem ipsum, aliumve Clericum unum vel plures compromittere, ac jus eligendi conferre, à quibus deinde etiam ipse, si idoneus fuerit, eligi poterit. Laym. de Pralatis Eccles. quest. 36. cum Panorm. & Innoc. in c. cum nobis. 19. h. t.

12 VIII. Demùm eligere nequeunt Capitulares, si tempus electioni à jure prescriptum per negligentiam elabi patiantur: ne enim ex defectu Pralati damnum temporale aut spirituale Ecclesie eveniat, statutum est in c. ne pro defectu. 41. h. t. ut in Ecclesiis Cathedralibus & Regularibus intra tres menses nova electio instituat. Porro cum ibidem tantum de Cathedralibus & Regularibus Ecclesiis mentio fiat, communis est DD. sententia, quòd electio in Ecclesiis Collegiatis, in quibus seculares Presbyteri degunt, sicut aliorum beneficiorum etiam dignitatum in Ecclesiis Cathedralibus existentiis electio vel collatio, terminum sex mensium habeat. cap. 2. de Consec. Præbende ex ea etiam specialitatis ratione, quòd in Ecclesiis Collegiatis sede quoque completa potissima jurisdictio in Clericos seculares competat Episcopo, ut proinde ejus sedis vacatio non tam periculosa sit Ecclesie, quàm in Ecclesiis Cathedralibus & Regularibus. Notat tamen Panorm. in d. c. ne pro defectu. 41. num. 5. quòd si Prælati alicujus Ecclesie Collegiate etiam secularis haberet ex jure speciali jurisdictionem generalem sicut Abbas, tunc in tali Ecclesia ex identitate rationis deberet observari trimestris. Si ergo prædictum trimestris, aut semestris Capitulares negligenter elabi permittant, privantur pro ea vice jure eligendi, quòd ad superiorem, ad quem alias electionis confirmatio pertinet, devolvitur,

qui Deum præ oculis habens, ait Pontifex in d. c. ne pro defectu non debet differre ultra tres menses cum consilio Capituli sui, & aliorum virorum prudentium viduat Ecclesia de persona idonea, ipsius quidem Ecclesie, vel alterius, si digna non reperiat in illa, canonice providere, si canoniam voluerit evadere electionem. Atque hæc electio competit Episcopo seu superiori jure devoluto, confirmatio autem jure proprio. Sed an uno actu vel diversis electio devoluta & confirmatio electi expedienda? diversæ sunt DD. opiniones apud Panorm. in d. cap. ne pro defectu. 41. num. 4. quia tamen ante confirmationem Prælatorum solent præmitti certa examina, edictalis citatio contradictorum, si qui fuerint, ideò vix commodè uno actu res expediri posse videtur, quin potius prius faciendæ electio, & postea præmissis præmittendis confirmatio.

Dixi: si per negligentiam tempus elapsum sit; aliud est, si ob justum impedimentum. v. g. belli, pestis &c. electio retardata fuerit. d. c. ne pro defectu. ubi Gl. in V. justo impedimento. Imò tametsi ex propria Capitularium culpa tale impedimentum proveniret, ut quia suspensionis, vel aliam censuram contraxerunt, à quâ absolutionem intra trimestris obtinere non poterunt, tempus electionis stante tali impedimento non computatur. c. quia diversitas. s. de Consec. Præb.

Currit etiam terminus electionis non præcisè à die vacationis, quo Prælati mortui est, sed à die scientiæ, quo mors ejus (qui fortè in remotis agebat) Capitulo per certum nuntium innotuit, d. c. quia diversitas. in fine. Sed & si electio effectum non habuerit, ut quia electus acceptare noluit, vel ante confirmationem mortuus est, aut renuntiavit, vel occultus ejus

defectus Canonicus obstanti electioni proditus est, conceditur Capitularibus à die renuntiationis, mortis, vel detecti impedimenti integrum tempus ad novam electionem faciendam, dummodo nihil fraudulenter egerint in praemissis. *c. si electio. 26. h. t. in 6.* ubi Gl. *in V. si fraudulenter.* ponit exemplum, si v. g. ultimâ die trium mensium Capitulares, qui haecenus convenire non potuerunt, studio eligant talem, quem sciunt dissenfurum, & non accepturum electionem, ut tempus tantum electionis renoveretur, quæ fraus ipsis patrocinari non debet, sed potius devolutio electionis ad superiorem fieri, ita tamen si fraus & dolus contra Capitulares perspicue probatus fuerit, in dubio autem dolus non praesumitur. *L. dolum. 6. C. de Dolo.*

14. Quid autem dicendum, si Capitulares post lapsum terminum de facto aliquem elegerint, an hæc electio prorsus nulla à superiore declarari debeat? *¶* de rigore juris esse invalidam, utpotè factam eo tempore, quo jus eligendi à Capitularibus ablatum ipso jure ad superiorem devolutum est. *c. licet. 3. de Suppl. negl. Pralat.* de æquitate tamen sustineri posse à superiore, si nemo se opponat electioni, & electus aliàs idoneus sit. *c. literas. 4. de Suppl. negl. Pralat.* Cum ergò Episcopus vel alius superior jus confirmandi habens possit tolerare electum post terminum elapsum, non videtur improbable, quin eodem modo possit jus ad se devolutum Capitularibus cedere, illisque tempus sibi competens ad eligendum assignare, ut non tam jure proprio, quam superioris nomine eligant. Restringere autem terminum electionis à jure Capitularibus indultum inferiori S. Pontifice, nisi ex publica causa, & ob moram Ecclesie valde damnosam non posset, quia jus commune tollere, & juris beneficio aliquem privare,

ad solum Legislatorem ordinariè spectat.

Quòd si Episcopus jure electionis ad se devolutio non utatur intra trimestre *juxta c. ne pro defectu. 41. h. tit.* devolutio ulterius non fiet ad Capitulum ejus, sed ad proximum superiorem, scilicet Archiepiscopum, vel alium, si Episcopus sub Archiepiscopo non sit: quamvis aliter se res habeat in aliis beneficiis non devolutis, sed immediatè ad collationem Episcopi pertinentibus, ut docet Panorm. *in c. cum in cunctis. 7. §. Clerici. & in d. c. ne pro defectu. 41. num. 6. h. tit.*

§. II.

De Electione passivâ, & quinam ad dignitates Ecclesiasticas eligi possint, vel non.

SUMMARIÆ.

16. Laicus eligi non potest.
17. Eligendus quos ordines habere debeat.
18. Electus post electionem contrahens impedimentum, quò minus debito tempore ordinari possit, an confirmandus?
19. Eligendus in Abbatem debet esse expressè vel tacite professus, nisi Ecclesia sit simul Cathedralis.
20. Eligi potest etiam ex alieno gremio, idque consuetudine introduci.
21. Electionem faciendam ex alieno gremio an possit Episcopus statuere, vel jubere?
22. Eligendus debet esse ejusdem Ordinis.
23. Censurati, irregulares, & infames non possunt eligi, & ibi, an moralis bigamia, vel viduitas corrupta possit eligi in Abbatissam?
24. Illegitimè nati sunt ineligiblees, & quid de legitimatis?
25. Quid de hereticis, eorumque fautoribus & descendentibus, nempe schismaticis, & ordinatis ab illis?
26. Neophyti non possunt eligi.
27. Nec Simoniaci.
28. Etas quæ requiratur in eligendo?
29. Scientia quæ
30. Episcopus unius Ecclesie non potest eligi ad aliam, sed postulari, secus in Abbate ejusdem Ordinis.

Plures

16 Plures sunt, qui à sacris Canonibus electionis passiva, & ad dignitates electivas inhabiles declarantur, quos per ordinem enumerabimus.

I. Sicut aliorum beneficiorum nullus Laicus, qui tonsuram aut clericales Ordines non habet, capax est, ita & multò minus ad Prælaturam sive dignitatem Ecclesiasticam eligi valet; & licet in quibusdam Episcopatus Germaniæ Laici, & Aethiopi Episcopatus teneant, id tamen de facto solum, ac per potentiam, & intrusionem hæreticorum, non de jure contingit. Item non excedit potestatem S. Pontificis, quam habet in omnibus beneficiis, alicui Principi, vel alteri Laico domino fructus de Episcopatu vel Prælatu aliqua ad tempus vitæ concedere, qui tamen propterea non erit propriè Prælati illius Ecclesiæ dicens. Sed & Commendatarii Episcopi vel Abbates, qui plerumque Principes vel magni domini sunt & quidem sæculares, tonsuram saltem Clericalem aut Minores Ordines accipere debent.

17 II. Eligendus ad Cathedralē Ecclesiam, vel Episcopatum non sufficit, quòd Clericus sit in Minoribus, sed ex Trident. Sess. 22. de Reform. c. 2. debet in sacro Ordine Subdiaconatus saltem sex mensibus prius fuisse. Imò juxta Bullam Gregorii XIV. qua incipit: *Onus Apostolica servituti* &c. ajunt ob pluralem Ordinum mentionem ibi factam requiri, ut prius constitutus fuerit 6. mensibus in omnibus, sicut refert Barb. in Collect. ad d. c. 2. Trident. n. 2. Loquor de eligendo ad Episcopatum, aliud est, si per dispensationem alicui in Commendam concedatur, ut dictum.

Circa Abbatis, vel Regulares dignitates non habetur in jure expressum, quòd eligendus ad eandem debeat esse in majoribus Ordinibus, sed sufficit, si sit annorum 25. in-

choatorum, & ut primo anno numerando à die adeptæ possessionis, vel quo adipisci potuit, sacerdotium suscipiat. c. 1. de Etate & qualitat. c. cum in cunctis. 7. §. inferiora. h. tit. cap. licet Canon. 14. c. commissi, 35. eodem in 6. Est tamen hic annus non continuus, sed utilis, qui non currit justè impedito. Si verò cessante impedimento elapsus fuerit, ipso jure privatio dignitatis inducitur; nec ita privatus per novam electionem assumi poterit, ne conflictio juris eludatur. d. c. commissi.

Sed quid, si electus post electionem in tale impedimentum incidat, quod ultra annum & diutius duraturum sit, anne dignitate privandus erit? n. si impedimentum tantum sit, ut physicà vel morali certitudine sit perpetuum, vel plures annos sine certo fine duraturum, privari posse electum. d. c. 1. de Etate & qualitat. in casu tamen necessitatis, quo aliquis æquè idoneus haberi non posset, dispensativè admitti valeret in Abbatem etiam non sacerdos. c. tuam. 10. d. tit. de Etate & qualitat. & quia hoc ita jure communi decretum est, ideo in tali casu dispensationem competere Episcopo cum Hostien. tenet Panor. in d. c. tuam. in fin. Extra casum necessitatis autem solum S. Pontifex, qui supra Canones est, dispensare deberet. Si verò impedimentum sit physicà vel morali certitudine tantum temporale, licet ultra annum extendatur, dummodo non ad multos annos, non erit electus dignitate privandus, arg. d. c. commissi. §. l. 1. in 6. & Clem. 2. de Etate & qualitat. Alia autem distinctione utitur Gl. in d. cap. 1. de Etate & qualitat. in V. amittant. & ibidem Fagn. num. 34. cum Innoc. Hostien. & alijs. An nimirum post electionem aliquis proprià culpa incidat in impedimentum, ut quia fortassis pugnando manum amisit, vel an sine culpa sua?

ita

ita ut priori casu privandus sit dignitate, non autem posteriore, ne afflicto addatur afflictio, *arg. c. 1. de Cler. agros.* Hæc distinctio rectè teneri potest, si ponamus, quòd aliquis non solum electus, sed etiam confirmatus sit, & ita jus plenum in beneficio acquisierit: si verò electus tantum esset, non videretur ob impedimentum sacerdotii perpetuum, tamen sine culpa contractum, Ecclesiæ expedire, ut confirmatio impendatur: beneficium enim datur propter officium, officium autem Prælati consistit non tantum in œconomica administratione, sed etiam divinorum officiorum digna celebratione. Quòd si impedimentum tantum temporale, & brevi duraturum esset, non putarem distinguendum, suà vel alienà culpa electus in id incidisset: quia non agitur de notabili damno Ecclesiæ, & non est absolutum officium, ergo nec beneficii impedimentum, sicut etiam docet, & priorem distinctionem nostram veram asserit Laym. *de Prælati Ecclesiasticis. quest. 186.*

79 III. In Ecclesiis Regularibus ad Abbacias eligi non possunt, qui Ordinem professi non sunt, *cum in Magistrum assumi non debeat, qui formam discipuli non assumpsit, nec sit proficiendus, qui subesse non novit*, ut dicitur in *c. cum in magistrum. 49. h. tit.* Neque sufficit *in actu* professio, sed *expressa* requiritur in *c. nullus 28. & ibi Gl. in V. expressè. h. tit. in 6. Trid. Sess. 25. de Regul. c. 21.* nisi Ecclesia illa Regularis esset simul Cathedralis, ita ut eligendus quis foret ad Episcopatum: tunc enim ad talem Ecclesiam etiam novitius eligi valeret, *d. c. nullus. in fin.* Cæterum non sufficit simul profiteri, & in Abbatem eligi, eò quòd talis potius amore dignitatis, quàm Religionis & vitæ conversionis professionem facere censeatur, cum nullam spem, vel promissionem habeas, ut Abbas

fiat, monachari debeat, ait Pontifex, *in c. cum ad nostram. 37. h. tit.* Imò etiam plerumque requiritur, ut notabile aliquod tempus post professionem in Religione transactum sit, *arg. d. c. cum in Magistrum.* quia teste D. Hieron. multo tempore discendum est, quòd postmodum doceatur. *c. sic vivit. 26. causa 16. quest. 1.* quæ tamen in re plurimum superioris confirmantis arbitrio tribuendum est, qui admittere poterit electum non ita pridem professum, si utilitas, aut necessitas Ecclesiæ id exigere videatur.

IV. Eligi non possunt, qui ex gremio²⁹ Ecclesiæ, de cuius Capitis electione agitur, non sunt. *c. nullus in vitis. 13. dist. 67.* sed hoc potius in favorem Capitularium, & de decentia, ne invitis extraneus obtrudatur, quàm de absoluta necessitate constitutum est. Quare non prohibentur Capitulares huic favori renuntiare, & aliquem extraneum eligere. *c. cum nobis. 19. c. cum inter 21. h. tit.*

Consuetudine quoque & præscriptione introduci posse, ut una Ecclesia teneatur sibi eligere Abbatem, vel Prælatum de gremio alterius Ecclesiæ, textus sunt in *c. cum dilectus. 8. de Consuet. c. Abbate. 25. de V. S.* quæ tamen in re attendenda sunt ea, quæ circa præscriptionem in actibus *mera facultatis* in Tit. de Præscript. traduntur. Licet verò quidam cum Innoc. in eodem *c. 21. cum dilectus. num. 2.* existiment, etiam Episcopum cum consensu Capituli posse statueri ut Religiosi unius Monasterii teneantur eligere Abbatem de alio monasterio, eò quòd hoc ipsum præscribi possit, & non sit contra, sed præter jus; nihilominus id rectius cum Gl. in *d. c. cum dilectus. in V. constitutum.* negatur: quia ex sacris Canonibus Religiosis est jus quæsitum, ut de suo gremio possint aliquem eligere, ergo

ne quidem ex causa potest ipsi hoc jus ab alio auferri, quam ab eo, qui supra jus est. Non obstat, quod prescriptio auferri possit: quia prescriptio auctoritate juris communitis, & S. Pontificis concessa est. Certè si mihi à Pontifice privilegium concessum, vel quidpiam donatum sit, id prescriptione amittere possum, non tamen propterea Episcopus etiam ex causa auferre valet; non enim sola causa sufficit, sed & potestas disponendi contra jus superioris requiritur; & in d. c. 13. dist. 61. generaliter statuitur, ne in vitis Capitularibus Prælati ex aliena Ecclesia obtrudatur, non video, quomodo non sit contra jus, si Episcopus per statutum Religionis necessitatem imponat extraneum eligendi.

22 Quod si Religiosi ex alio monasterio sponte Abbatem elegerint, necesse est, ut sit ejusdem Ordinis, & Religionis; non enim convenit, ut homines disparis professionis vel habitus in iisdem Monasteriis societentur, ut dicitur in Clem. 1. h. tit. S. Pontifex, qui supra Canones est, potest quidem de absoluta sua potentia etiam alicui Clerico seculari Monasterium in commendam dare, sed id imprimis adversatur Trident. Sess. 25. de Regul. cap. 21. & insuper Concordatis Germaniæ, ex quibus, ut in Tit. de Præbendis, dicitur, monasteriis liberum jus eligendi in Germania relictum est; nec dictis Concordatis sine consensu Nationis Germanicæ & extra generale Concilium detogatur, ut in Bulla Concordatorum Nicolai V. habetur.

23 V. Eligi nequeant, qui sunt irretiti censuris Ecclesiasticis, scilicet excommunicatione sive majore sive minore. cap. 7. de cap. ult. de Cler. excom. Item suspensione sive ab officio. d. c. ult. sive à beneficio Gl. in c. cupientes. 16. §. cæterum in V. beneficiis. h. tit. in 6. ne suspensio redda-

tur elusoria, si privatus officio, aut beneficio id per electionem denuò consequeretur. Interdicto personali, qualiter interdicti similes sunt suspensis ab officio. Nec interest circa electionem passivam (quavis aliud sit circa activam, ut dictum) an prædicti censurati denuntiati sint: quia electio passiva tendit in electi magnum favorem, constitutio autem Concilii Constantiensis, & extravag. Martini V. Ad evitanda scandala, non vult censuratis aliquem favorem præstare.

Censuratis etiam quoad hunc effectum annumerandi sunt irregulares: beneficium enim datur propter officium, irregularis autem eum inhabilis sit ad officium, à beneficio quoque excluditur, Covar. in c. Alma mater. p. 1. §. 7. num. 1. prout in specie de irregularitate contracta ob violationem interdicti localis, aut personalis statutum est. in c. is qui. 18. §. is verò. de Sent. excom. in 6.

Quæri posset hoc loco, an Monialis bigama sit eligibilis in abbatissam, si aut veram bigamiam contraxit nubendo pluribus maritis, aut interpretativam nubendo viduo, aut similitudinariam, post professionem nuptias attentando? Respondetur, ratione bigamiæ præcisè non prohiberi: quia in fœminas non cadit irregularitas, quæ tantum respicit Ordines Clericales, quorum incapaces sunt.

Verum an Monialis intra vel extra Matrimonium corrupta, adeoque etiam vidua monogama possit in Abbatissam eligi, saltem ubi Abbatissæ non datur specialis benedictio virginum, major est inter DD. concertatio? Id quidem aliquot graves DD. affirmant, eo quod in jure non habeatur expressa prohibitio, nisi in c. juvenculas. 12. causa 20. quæst. 1. cujus intentio videtur fuisse solum juvenculas prohibere, non viduas

L

viduas

ENGEL
 ...
 ...
 ...
 ...
 ...

viduas honestas, *Arg. c. fin. ead. quest. 1.* Attamen plures numero DD. suffulti declarationibus Cardinalium negativam sequuntur, cum ob honorem virginitatis & prerogativam, prater alias etiam considerationes, non deceat, ut virginibus corrupta preponatur. Limitant verò non pauci, ut procedat in ea, quæ est notoriè corrupta, vel saltem pro tali habetur, non verò in ea, quæ est corrupta occultè, & publicè creditur virgo, præsertim si citra periculum diffamationis Abbatiam recusare nequeat: cum hoc impedimentum non sit de jure Divino, & sanctitas vitæ, ac prudentia in regendo supplere possit virginitatis defectum, nullumque adlit scandalum in foro externo. Vid. Palq. *ad Laur. de Franch. p. 1. num. 690. & seqq.* Passer. *in Tract. de Elect. cap. 40. num. 49. & seqq.* Adde hic, quæ tradit Paul. Laym. *in Theol. Moral. lib. 3. sect. 4. num. 9.* ubi tractat, quando occultè corrupta possit ut virgo consecrari. Sed & infames irregularibus accensentur, idque non solum de infamibus infamiâ juris, sed etiam infamiâ facti accipiendum est: neque enim famosis & notatis, & quos scelus & vitæ turpitudine inquinat, & quos infamia ab honestorum cœtu segregat, dignitatis porta patebunt, ait Imperator *in L. 2. C. de Dignit.* cui per similia verba consentit Pontifex *in c. inter dilectos. 11. de Excess. Pralat. & in Reg. 87. juris in 6.* Quænam autem dicatur infamia juris & facti, tractant Interpp. *ad tit. ff. De his, qui notantur infamia.* & alibi etiam in Tit. de Testibus dicemus.

34 VI. Electionem nullam reddit natalium defectus. *c. cum in cunctis. 7. juncto c. innotuit. 20. k. tit.* Licet verò illegimitas tollatur per ingressum in Religionem ad sacros Ordines suscipiendos, non tamen ad

prælaturas & dignitates. *c. r. & ibi DD. de Filiis Presbyt.* Item licet Episcopus ad minores Ordines, & simplex beneficium cum illegitimo dispensare valeat, ad majores tamen Ordines & beneficia curata, ac dignitates tantum S. Pontifex dispensat. *c. 1. jam d. tit. in 6. & d. c. innotuit.*

Præterea legitimitati per rescriptum Principis secularis ex communiore sententia ad dignitates Ecclesiasticas promoveri nequeunt citra Pontificis dispensationem, teste Covar. *in Tract. de Sponsal. & Matrim. p. 2. cap. 8. §. 8. num. 47.* cum Gl. *in c. 1. in V. divisis. dist. 10. & in c. si officia. 2. dist. 59.* Legitimitati autem per subsequeus matrimonium quoad omnia, etiam honores & dignitates (exceptâ Cardinalitiâ dignitate ex constitutione Sixti V. quæ incipit: *Postquam & c.*) legitime natis æquiparantur. *c. tanta. 6. & ibi Barb. num. 24. Qui filii sint legit.*

VII. Dignitatis Ecclesiasticæ, sicut & jusvis beneficii incapaces sunt, qui ex genere maculato sunt circa fidem, hoc est, non tantum Hæretici, sed etiam ex Hæreticis, eorumque receptoribus, defensoribus & fautoribus descendentes, qui usque ad secundam generationem ex linea paterna, & usque ad primam ex linea materna ad nullum beneficium Ecclesiasticum promoveri possunt, nisi parentes eorum ante mortem penituerint, & Ecclesiæ Catholicæ reincorporati fuerint. *c. statutum. 15. de Hæret. in 6.* In Germania tamen, ac aliis partibus, ubi hæresis liberius grassatur, hæc constitutio circa hæreticorum liberos, si ipsi boni Catholici sint, & nihil aliud eis obsistat, non videtur recepta. Schismatici quoque eligi prohibentur, postquam tamen ad Ecclesiæ unitatem redierunt, electio dispensativè confirmari permittitur *in c. quia. 5. h. tit.* Sed propter

illud verbum *dispensare*. in cap. 5. positum plures censent; quod dispensatio S. Pontificis requiratur; magis autem placet doctrina Abbatis in eodem cap. 5. & Garc. de Benefic. p. 11. cap. 1. §. 1. num. 164. quæ in aliis quoque materiis communiter à DD. recipitur, quod, ubi dispensatio in aliquo Canone permittitur, cum ea non possit rationabiliter intelligi data S. Pontifici, cui aliis competit, censeatur data & permissa etiam inferioribus Episcopalem jurisdictionem habentibus.

Ordinatus à Schismatico denunciato, cum hoc ipso suspensus sit, cap. 1. & 2. de Schismat. eligi non potest.

26 VIII. Eligi non debent Neophyti, qui primum ad fidem Christianam & Catholicam conversi sunt. Ratio sumitur tum ex S. Paulo 1. ad Timoth. 3. Oportet, inquit, Episcopum non esse Neophytum, ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli: tum ex eo, quod non expediat fieri Doctorem vitæ Christianæ, qui primum discipulus esse cepit. arg. cap. cum in magistrum. 49. h. tit. Quantum autem tempus sufficiat exegisse in fide Catholica, ut Conversus eligi possit, superioris arbitrio consideratis personæ qualitatibus, meritis, & circumstantiis relinquendum erit.

27 IX. Invalida est electio ejus, qui mediante pecuniâ aut aliâ re temporali simoniacè vota consecutus est, licet eo ignorante ab amicis ejus pecunia data sit, adeo quidem, ut nec per novam electionem immediatè sequentem possit assumi, nisi persona media intervenerit, quæ electa renuntiaverit, aut mortua sit. Item nisi ab aliis pro eligendo in fraudem ejus data sit pecunia, tantum ut electio annulletur, vel certè si ab amicis quidem, sed electo expressè in contrarium protestante c. penult. h. tit.

cap. nobis. 27. cap. sicut. 33. de Simonia. Circa hoc punctum autem videri debent quæ in Tit. de Simonia traduntur.

X. Eligi non possunt, qui requisitam ²⁸ aetatem non habent. In Episcopo requiritur, quod trigessimum annum exegerit; in inferioribus dignitatibus viginti quinque anni, saltem inchoati ex communi sententia sufficiunt c. cum in cunctis. 7. & ibi Gl. & DD. h. tit.

Circa Abbatissas constitutum habetur in Trident. Sess. 25. de Regul. cap. 7. ut nulla eligatur, quæ sit minor quadragesima annis, & non saltem post expressam professionem octo annis in Monasterio laudabiliter vixerit. Si nulla sit in eodem Monasterio illis qualitatibus prædita, alia ejusdem Ordinis accipienda erit. Si & hoc incommodum superiori, qui electioni præest, videatur, concedit Concilium, ut ex eodem Monasterio eligatur una, quæ annum trigessimum excesserit, & quinque saltem annis in Monasterio laudabiliter vixerit.

XI. Ineligibiles sunt, qui requisitam ²⁹ scientiam non habent c. cum in cunctis. 7. h. tit. requiritur autem in Trident. Sess. 22. de Reform. cap. 2. ut eligendus ad Cathedralium Ecclesiam ante in universitate Studiorum Magister sive Doctor, aut Licentiatum in Theologia, vel Jure Canonico merito sit promotus, aut saltem publico alicujus Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Hæc verò constitutio cum tantum de eligendis ad Episcopatum loquatur, non est extendenda ad Abbatias, & inferiores Prælaturas, in quibus propter minorem gubernationem non requiritur tam emittens doctrina, sed magis prudentia & industria, quæ electus suis præesse possit, consideratur.

XII. Demùm impedit electionem ³⁰ viculum alterius Ecclesiæ: nam Episcopus

pus unius Ecclesie non potest eligi in Episcopum alterius Ecclesie, sed postulari debet, & prius per dispensationem S. Pontificis obtinere absolutionem à vinculo, quo priori Ecclesie tanquam spiritali sponsae suae adstrictus erat. Quo sensu etiam à quibusdam accipi solet dictum Apostoli *ad Tim. 3.* quod Episcopum oporteat esse *unius uxoris virum*, sicut in *Tit. sequenti* trademus.

Inter Abbates verò, aliosque inferiores Prælatos, ac monasteria & Ecclesias suas non est proprie spirituale, ac indissolubile conjugium, quod per consecrationem imprimenter Characterem Ordinis Episcopalis proprie contrahitur, & consummatur; ideoque Abbas unius monasterii relictus ad aliud ejusdem Ordinis eligi poterit licentiam, tamen transeundi petere debet, non quidem à S. Pontifice per viam dispensationis, sed ab immediato suo superiore, Episcopo scilicet, nisi exemptus sit, qui tamen hanc licentiam sine urgenti & gravi causa denegare non potest. Gl. communiter recepta in *cap. si abbatem. 36. h. tit. in 6.*

§. III.

De Ordine & Forma Electionis.

SUMMARIUM.

31. Electio non instituenda ante tertium depositionis diem & exequius defuncti Prælati, valet tamen instituta.
32. Quenam alia præmittenda ante actum electionis.
33. Inspiratio vel quasi, quomodo fiat?
34. Scrutini formæ.
35. Vota qualiter ab eligentibus exquirenda.
36. De publicatione electionis, & mutatione voti, & collatione votorum.
37. Pluralitas votorum debet esse absoluta, non respectiva.
38. Consuetudo qualiter probanda.
39. Electionis communis decretum qualiter formandum.

40. Vota debent esse majora & saniora copulati. & ibi de pluralitate votorum in Electione Abbatissarum. Item de accessu post publicationem scrutinium.

41. Compromissi formæ; & an valeat in electionibus Regularium?

42. Compromissarii possunt unum ex se ipsis eligere, & hic acceptando potest facere majora.

43. Compromissum quibus modis finitur.

POSTquam vidimus de eligentibus, & eligendis, nunc ad ipsum electionis processum deveniendum est. Ante actualem igitur electionem quædam præmitti solent.

I. *Exequie defuncti Prælati:* Neque enim ante tertium depositionis diem electio instituenda est. *c. nullus. 7. dist. 79. c. bona memorie. 36. v. electionem. h. tit.* Communiter tamen DD. sentiunt, valere electionem etiam ante sepulturam defuncti Prælati institutam, præsertim justâ aliquâ causâ accelerationis accedente; & quod Pontifex in *d. cap. 36.* pro causâ irritatæ electionis adduxerit præproperam electionem ante sepulturam institutam, non fuisse causam principalem, ut ex contextu liquet, sed fuisse contemptum alicujus, qui electioni interesse debuisset, nec tamen citatus fuit. Gl. *ibidem in v. tractatum.* & Barb. *num. 2.*

II. In ipso die electionis (qui ab Ordinario Superiore cum consensu Principis terræ assignari solet) celebratur missa de Spiritu S. sub qua omnes eligentes, etsi presbyteri sint, sacram Communionem accipiunt, eaque finitâ ad locum electionis hymnum de S. Spiritu clarâ voce recitant.

III. Qui præest electioni, nomine totius Capituli protestatur, nolle se quemquam ad electionem admittere, qui de jure eligere non possit. An autem aliquando Capitulares possint absque præfide eligere, vide Passerinum. in *Tract. de Elect. cap. 11. num. 69.*

IV. Si Legatus Apostolicus, vel Ordinarius Episcopus interit electioni, solet præmittere abolutionem Capitularium à censuris Ecclesiasticis, quatenus illæ possent Canonicam electionem impedire.

V. Vel tunc, vel prius Capitulariter deliberatur, quam eligendi formam & modum eligentes observare velint. Forma autem electionis triplex traditur in c. quia propter 42. h. tit. scilicet *Inspiratio vel quasi, scrutinium, & Compromissum.*

33 De *Inspiratio*, vel quasi sciendum est, quod electio aliquando fiat per *veram inspirationem*, aut veram revelationem Spiritus S. quæ certa persona à DEO electa designatur, ut fuit electio S. Matthiæ in Apostolum, S. Nicolai in Episcopatum, &c. & hæc legi humanæ non subjacet, nec confirmationem requirit. Alia est autem, quæ dicitur *quasi inspiratio*, quando nimirum nullo precedente tractatu vel nominatione super speciali persona eligenda omnes Capitulares nullo excepto in unum conclamant & consentiunt; ob quam singularem concordiam talis quasi per inspirationem Sancti Spiritus electus creditur. Requiritur tamen superioris cognitio, an sine fraude vel simonia, & liberè omnibus ac singulis consentientibus talis electio facta sit. Item & confirmatio requiritur: quia hæc forma non est simpliciter à Deo, sed quasi, id est, creditur & præsumitur esse à Deo. Panor. in d. c. quia propter. 42. vers. nisi. num. 1. & seqq. Hosten. ibidem num. 31. Ait quoque Prosper Fagn. in eodem c. quia propter num. 25. in electionibus Regularium, in quibus juxta constitutionem Trident. Sess. 25. de Regul. c. 6. electio debet fieri per *vota secreta* & eligentium nomina nunquam publicari, non habere amplius locum hanc eligendi formam per *quasi inspirationem*, & consentit

Barb. in Collect. ad d. cap. 6. Trident. num. 15. cum alijs ibidem cit. ubi referunt ita à Cong. Cardinalium declaratum fuisse. Dissentit tamen Layman in 99. Canon. de Prælat. Eccles. Diling. disp. quest. 230. cujus sententia (abstrahendo à declaratione Cardinalium) facile defendi posset; tum, quòd abrogatio juris veteris non præsumatur, nisi quatenus exprimitur, & Concilium Trident. statuens vota secreta & omissionem publicationis explicari possit de forma scrutiniij; tum quòd in electione per quasi inspirationem videatur cessare ratio occultandorum votorum; quia vix potest esse ansa inimicitiarum, quando omnes unanimi consensu in unum conclamantur. Si verò dicta declaratio Card. in forma authentica appareat, eidem acquiescendum est.

De Scrutinio.

AD electionem per scrutinium requiritur, ut presentibus omnibus, qui volunt, debent, & possunt interesse, eligantur tres de Capitulo fide digni, qui secreto, sigillatim, ordinatè ac diligenter exquirant vota cunctorum, & in scriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorsus appellationis obstaculo interjecto, ut in Collatione habità eligatur, in quem major & sanior pars Capituli consenserit. Ita d. c. quia propter. 42. h. tit.

Dicitur I. presentibus omnibus &c. quia vel unus etiam non vocatus, qui de jure aut consuetudine vocari debuisset, potest agere de contemptu, & irritare electionem, nisi malit pro bono pacis eam ratam habere. c. bone memoria. 36. h. tit. & dictum est superius in §. 1. num. 11.

Dicitur II. eligantur tres de Capitulo: invaluit tamen consuetudo, quòd vel ex communi consensu Capituli, vel ordinatione Superioris alij viri idonei, ut in electione

Etione Regularium alii Prælati, vel Confiliarii Episcopi scrutatores deputentur, quam consuetudinem etiam probat Panor. *in d. c. qui propter n. 13.* In quibusdam etiam locis & Ecclesiis usu receptum est, ut scrutatores ante omnia iuramentum præstent, quod fideliter agere, & secretum, ubi opus fuerit, servare velint.

35 Dicitur III. *secretò esse exquirenda vota cunctorum*, ut quisque liberius dicat, quod in conscientia sentit; idque dupliciter fieri potest, vel ut eligens accedat, & viva voce scrutatoribus eligendum nominet, vel ut nomen ejus in scheda descriptum offerat.

Adiditur quoque: *ordinate ac diligenter*: ita nimirum, ut scrutatores de Capitulo assumpti omnium primò à se invicem vota exquirant, & duo suscipiant votum tertii, ne si post omnium aliorum Capitularium excepta vota ipsi scrutatores sua addant, alicujus electionem pro arbitrio, per additionem aut denegationem votorum suorum confirmare, vel infirmare possint. *Diligenter* etiam exquirenda sunt vota, quia non sufficit purum nomen electi accipere, sed insuper rationem indagare necesse est, quare eligens hunc potius, quam alium electum velit, ex quo deinde collatio *Zeli ad Zelum, meriti ad meritum* habeatur, & non tantum *major*, sed & *sanior* pars appareat.

Attamen in electionibus Regularium, in quibus *ex d. c. 6. Trident. Sess. 25.* vota omnia secreta esse, & eligentium nomina nunquam publicari debent (quia hæc publicatio in Congregationibus propter necessitatem simul vivendi non nunquam periculosa foret) ista forma non ita rigide observatur, sicut docet Fang. *in eodem c. qui propter n. 23.* & Laym. *de Prælatiis Ecclesiasticis quest. 73.* sed potius recep-

tum est, ut electores singuli nomen eligendi in scheda scribant, eamque clausam in urnam vel calicem conjiciant, ita quidem, ut nec scrutatoribus innotescat, cui singuli sua vota dederint. Collatio verò *Zeli ad Zelum* suppletur tum ex præsumptione, quod Regulares propter incapacitatem proprietatis non facile obnoxii simoniæ aliquem bono Zelo elegerint; tum ex prævia visitatione monasterii, vel inquisitione super persona electi, ejusque scientia & meritis postmodum instituenda.

Dicitur IV. *vota singulorum in scriptura redigenda* (quod per scrutatores, aut tabellionem faciendum est,) & sic redacta mox *in communi publicanda esse*, hoc est, ut scrutatores palàm coram Capitulo electum, vel si plures fuerint, electos, antequam ad alium actum procedant, nominent & pronuntient. Hujus publicationis iste est effectus primarius, quod eligentes censeantur functi suo officio, & votum datum amplius mutare non possint; prius verò antequam publicatio fiat, locus est penitentiae & mutationi, *c. publicato. 53. h. tit.* De *accessu* autem minoris partis ad majorem, vel æqualis ad alteram mox inferius *sub n. 40. vers. illud etiam.* dicitur. In postulatione verò etiam publicato scrutinio variare licet, usque dum superiori postulatio præferatur; quia in postulatione nullum jus acquiritur postulato, sicut ex receptiori sententia tradit Barb. *in Collect. ad d. c. publicato num. 3.*

Dicitur V. *ut collatione habit à is eligatur, in quem major & sanior pars consenserit.* Igitur post publicationem, si plures electi sint, & vota eligentium in plures divisa, collatio est instituenda à scrutatoribus, & hæc est triplex. * *numeri ad numerum, Zeli ad Zelum, meriti ad meritum.* Numeri ad numerum, ut inde resul-

resulter majoritas votorum; tibi de jure non sufficit habere majora vota comparatione partis minoris, & coelectorum, sed requiruntur majora vota respectu totius Capituli, ut si v. g. sint 20. eligentes, electus debeat habere ad minus 11. vota, alias non potest dici major pars Capituli, quia Capitulum ex supposito consistit in 20. & si v. g. tres essent electi, & unus haberet 8. alius 7. alius 5. vota, nullius electio valeret. c. Cumana. 50. e. Ecclesia 48. c. in Genesi. 55. h. tit. c. si cui. 23. Eod. in 6. Afferit quidem Zypæus in *Analitica jur. Pont. lib. 3. in tit. De his, quæ fiunt à majori parte Capit.* quòd passim in Ecclesiis seu Capitulis non servetur iste rigor Juris Canonici, sed sufficiat habere majora vota comparatione partium minorum; at consuetudo contra jus, licet cæteris paribus valere possit, non tamen ita facile probatur, 38. cum in *facto* consistat, & secundum veriorum sententiam per Doctorem etiam eximium de consuetudine attestantem non censetur factis probata consuetudo, quæ cum sit facti, una cum suis qualitatibus probanda est, an habuerit actuum frequentiam, an tempus legitimum, an causam rationabilem, an nunquam per contrarios actus interrupta sit? sicut docet Jason in *L. de quibus. ff. de LL. & Mynf. Cent. 6. observ. 66.* de quibus conditionibus superius in tit. de *Consuetudine* dictum.

Istud etiam adnotandum est, quòd vota alternativa: v. g. *eligo Petrum vel Paulum, mihi perinde est*; conditionata: *eligo Petrum, si illum Paulus, vel potior pars Capituli elegerit*; incerta: *illum eligo, quem Paulus eligit*, pro non datis habeantur, & si post factam electionem instituantur collatio numeri ad numerum, talia vota non computentur c. 2. h. tit. in 6.

Zeli ad Zelum collatio faciendâ, quòd

in d. c. quia propter. & passim alibi copulative requiratur, major & sanior pars consenserit, ut scilicet electus aliquis sit ab illis, qui sunt prudentiâ & pietate magis conspicui, &c. Meriti ad meritum collatio ipsos electos concernit, uter nimirum majoribus meritis, scientiâ, aliisque virtutibus præpolleat.

Collatione ita peractâ debet formari 39 communis electio nomine totius Capituli, & per unum ex scrutatoribus, vel alium ad hoc deputatum pronunciari, qui solus pro electo exclusis aliis habendus sit, c. sicut. 21. h. tit. in 6. Formam hujus communis electionis brevem & usitatam ponit Laym. de *Prælat. Eccles. quæst. 77.* videlicet: ego Nomine meo, & eligentium, mihi que consentientium invocatâ gratiâ Sancti Spiritus in Episcopum vel Abbatem hujus Ecclesie eligo, & electum coram vobis pronuntio N. in nomine Patris, &c.

Quòd si collatione habitâ vota reperiantur ita dispersa, ut nullus majora respectu totius Capituli habeat, aut duo sint in votis æquales, decretum electionis, sive communis electio formari non potest, sed nova electio instituendâ erit: quia prior in effectu non fuit electio Capituli, cum nullus ex supposito à majore parte Capituli electus fuerit, quare quod in c. *publicato 58. h. tit.* dicitur, post publicationem non licere vota mutare, intelligendum est, si ex priori scrutinio cura effectu secuta sit electio; nisi tamen jam trimestre elapsum esset, tunc enim devolutio ad superiorem fieret. Castos ergo oportet esse Capitulares, ne electionem ad finem trimestris differant, ne fortassis ob emergentes electionis discordias tempus deficiat.

Denum licet in *sepe. d. c. quia propter.* 40 copulative requiratur, ut aliquis electus

étus sit à *majori & saniori* parte Capituli, ac si unus *majora*, alter *saniora* habeat, neutrius electio valeat. *c. Ecclesia. 57. h. tit. si tamen majora in duplum superent, alia collatio Zeli ad Zelum non instituitur, sed hoc modo per majora electus simpliciter confirmatur. c. si quando. 9. h. tit. in 6.*

Specialis *dubitatio* est circa electionem Abbatis ex *c. indemnitate. 43. §. sane. h. tit. in 6.* an ad ejus valorem præcisè requiratur, ut *duæ partes Monialium consentiant*, vel sufficiat habere *majora vota*? Sed si textus rectè expendatur, id solum dicit, quòd electa à duabus partibus debeat statim confirmari nullà admittà contradictione ante confirmationem, ita tamen ut post confirmationem & benedictionem adhuc salva maneat accusatio, & denunciatio, si qua sit, contra eandem: at verò si aliqua tantum habuerit *majora vota*, & sint opposites contra illam, debent audiri summariter sine strepitu iudicii ante confirmationem, Pasqual. *ad Laur. de Franch. p. 1. num. 685. Passer. Tract. de Elect. c. 40. num. 35.*

Illud etiam admodum notabile est, quòd licet in electionibus virorum non haberet locum *accessus* post publicatum scrutinium, quia tunc vota mutare non licet, ut putat Passer. *d. c. 40. n. 38. arg. c. publicato. 58. h. tit.* locum tamen habere in electione Abbatis seu Monialium, & per eum constitui posse duas partes ad effectum, de quo supra, statuitur in *d. c. indemnitate. 43. §. sane. h. tit. in 6.* Imò Panorm. *in d. c. publicato. n. 7.* generaliter docet in electionibus post publicatum scrutinium posse fieri *accessum* à minori parte ad majorem; vel si vota sint æqualia, ab una ad alteram: ideòque text. in *d. c. publicato.* intelligi tantum de variatione in præjudicium electi jus ex datis votis habentis.

Quid autem speciale sit in electione S. Pontificis, vide infra in tit. *de Majori & Obed. §. 2.*

De Compromisso.

Electio per *compromissum* fit, quando Capitulares facultatem eligendi in unum, v. g. Episcopum, vel plures idoneos viros conferunt. Nec interest, an compromissarii de Capitulo sint, nec ne, *c. causam. 8. hoc. tit.* dummodo Clerici & Viri prudentes sint, qui possint utiliter Ecclesie prospicere. Quòd si Capitulum in eligendis compromissariis difficulter conveniat, potest aliquos eligere, per quos ipsi compromissarii eligantur. Passer. *Tract. de Elect. c. 22. n. 3.* In Laicos verò, quibus negotium electionis tractare non convenit, haud rectè compromitteretur. *arg. c. 2. de Judic.* Debet autem hæc potestas eligendi committi de unanimi totius Capituli consensu, nemine proorsus discrepante: unius enim contradictio potest impedire compromissum, cum hic de jure singulorum agatur, ne quis invitus suâ voce Capitulari in electione privetur, Panorm. *in c. scriptum. 40. n. 3. & in c. quia propter. 42. §. vel saltem. n. 2. h. tit.* Joann. Honor. *h. tit. n. 7.* Passer. *in Tract. de Elect. c. 21. n. 19.* ubi tamen apud eum aliqui exceptionem statuunt in compromisso *limitato*, de quo mox; cum in isto non fiat singulis tantum præjudicium, ideòque sufficere in hoc compromissum à majori parte consentiri.

Compromissum duplex est, absolutum & limitatum. Absolutum est, quando generaliter omnis eligendi potestas compromissariis conceditur, sive eligendus de gremio sit, sive non. Limitatum verò communiter DD. asserunt, si sub hac forma compromittatur, ut Compromissarius ex quibusvis secretò singulorum votis illum eligere debeat, quem invenerit à majori parte Capi-

Capituli nominatum. *c. cum dilectus. 32. h. tit. & c. cum expediat. 29. Eod. in 6.* Non valeret autem compromissum istud, ut is eligeretur, quem pars major non respectu totius Capituli, sed comparatione partium minorum nominasset. *c. si cui. 23. h. t. in 6.* Unde hanc formam esse mixtam ex scrutinio & compromisso, in eoque formam scrutinij à Compromissario observandam esse, cum *Gl. in d. cum expediat. & alijs tradit Passer. d. Tract. de Elect. c. 22. num. 6.* ita ut parum vel nihil à scrutinio differat. Sed *Laym. in 99. Can. de Pralat. Eccles. quest. 85.* alias etiam conditiones in compromisso limitato admittit, v. g. ut unus ex Capitularibus eligatur, aut unus eligatur, qui non sit ex compromissarijs.

Utrum autem vigore Concilij Trident. *Sess. 25. de Regul. c. 6.* in electionibus Regularium forma compromissi sublata sit, dubitatur? & pro affirmativa allegantur declarationes Cardinalium à Passer. *d. Tract. c. 1. num. 159.* quæ si appareant in forma authentica cæteris paribus, utique ijs pendendum est juxta dicta in *Proæmio n. 15.* Alias verò negativa non improbabiler teneri potest cum *Miranda. in Man. tom. 2. quest. 23. art. 3. concl. 2. Paschal. in Addit. ad Lawet. de Franch. p. 1. num. 33.* & pluribus alijs, quod etiam refert *Passer. d. cap. 1. num. 55.* abrogatio enim juris non confertur nisi expressa, & mens Concilij tantum videtur fuisse ut in casu, quo Capitulares dant vota, illa nunquam publicentur propter occasionem inimicitiarum inter confratres, quæ occasio hoc ipso cessat per compromissum ab omnibus approbatum, saltem in extraneos compromissarios factum.

Compromissarij, quibus simpliciter jus eligendi concessum est, etiam *postulationem* facere possunt, si ita videatur Ecclesiæ expedire; cui enim datur jus eligendi, ei

dem etiam jus postulandi concessum intelligitur. *cap. in causis. 30. ubi Gl. & Innoc. h. tit.*

Sed & juxta probabiliorum sententiam relatum à Panorm. *in c. cum in jure. 33. h. tit.* ex scriptis compromissarij aliquem eligere possunt, ne eis officium suum damnosum sit.

Quod si disparia fuerint vota compromissariorum, potest nonnunquam accedere, ut ille ex compromissarijs, in quem aliqua vota directa sunt, acceptando talem electionem hoc ipso majora efficiat. v. g. si tres sint compromissarij, unus nominet suum coelectorem, & alter extraneum; ille coelector ab uno nominatus acceptando hanc nominationem in effectu censetur habere duo vota, & prævalebit extraneo unicuique tantum votum habenti. *d. c. cum in jure 33. h. tit.*

Non obest, quod eligentes seipsum reputentur ambitiosi, & vel ideo ineligiblees *c. in scripturis. 9. Caus. 8. quest. 1. 24.* enim quod talis acceptatio non sit directa sui electio, sed consensus in electionem aliorum jam prius de se factam, qualem consensum etiam alij electi præstare possunt. Ante electionem autem aliorum nullus compromissarius citra notam ambitionis seipsum nominare valet; aut si unus solus sit compromissarius sub quacunque forma, ut quemlibet idoneum eligere possit constitutus, sibi tamen votum directe non rectè attribuit, sicut nemo à se ipso oritipoteat, & nemo sibi ipsi sumit honorem, nisi qui vocatur à DEO, sicut Aaron, teste Apostolo *ad Hebr.*

In forma quoque *Scrutinij* hæc res locum habere vix potest, licet forte unus ex coelectis medietatem votorum Capitularium pro se habeat, & unum tantum deficiat ad majorem Capituli partem constituendam

dam; neque enim propterea talis acceptando hanc electionem majora efficere potest, cum ante publicationem Scrutinii incognitus sit numerus votorum, & electio de ipsius persona; post publicationem autem non admittatur sine novo Scrutinio votorum commutatio, ut supra dictum, nisi forsitan unus ex scrutatoribus fuisset coelectus, qui ante publicationem scire posset sui electionem & mutando votum suum acceptaret; quem casum relinquo considerandum, quia non habeo in terminis alium ejus autorem; ducor tamen argumento à simili, quod docet Passerin. *d. Tract. cap. 22. num. 42.* posse dari casum etiam in *scrutinio*, si forma *d. cap. quia propter.* non exactè observanda foret, & vota darentur vel publicè, vel etiam secretò, sed post publicationem liceret mutare votum per accessum, tunc enim electus à medietate posset mutando votum acceptare.

43. *Expirat* compromissum non tantum per electionem factam, sed etiam aliis modis, ut I. si tempus ad finiendam electionem à Capitulo Compromissarii præfixum elapsum, ut in *c. cum veteri. 52. h. tit. II.* Possunt Capitulares mandatum eligendi compromissarii datum re integrâ, antequam substantialia, scilicet tractatus & nominatio de aliqua persona eligenda intervenit, revocare; dummodo revocetur à majore parte Capituli: quia licet unus possit ab initio impedire compromissum, revocare tamen non potest: consensum enim semel præstitum aliquis tam facile mutare non potest in præjudicium majoris partis Capituli, *c. in causis 30. & ibi Gl. h. tit. III.* Expirat compromissum, si electio compromissariorum non habuerit effectum, ut si electus noluerit acceptare, vel mortuus sit, aut à compromissariis postulatio instituta, eaque ante præsentationem superiori

factam revocata: his enim casibus censentur Compromissarii functi suo officio, ut illud sine nova commissione saltem tacita, quæ resultat ex tolerantia Capituli, reassumere non possint. IV. Si tempus juris videlicet trimestre Compromissarii sine electione elabi permiserint, expirat compromissum, & jus eligendi ad superiorem devolvitur; quia sibi imputare debent Capitulares, quod in negligentes compromiserint, aut citius mandatum non urserint, aut revocaverint, *c. si Compromissarius. 37. h. tit. in 6. V.* Si compromissarii elegerint indignum, sive scienter, sive ignoranter, functi sunt suo officio, & finitur compromissum, sed jus eligendi redit ad Capitulum, nisi ipsum quoque electionem de indigno ratam haberit, *d. c. si Compromissarius.*

§. IV.

De Consensu, Confirmatione, & Consecratione Electi.

SUMMARIUM.

44. Electus debet electioni consentire intra mensem, & quid de Religioso electo ad aliud Monasterium?
45. Electus habens occultum impedimentum canonicum an possit consentire electioni?
46. Recusare electionem quilibet potest.
47. Electio digni præ digniore an valeat?
48. Electio renuntiante aut moriente vel electione occultum vitium irritata datur novum electionis tempus.
49. Confirmatio electionis quando, & qualiter petenda?
50. Confirmatio ad quem spectet?
51. Ante confirmationem an & quando possit electus administrare?
52. Ante confirmationem que præmittenda?
53. Si scrutatores asserant majora vota pro electo, eligentes verò negent, quibus credendum.
54. Confirmantes indignum pena: confirmatione autem irritata non ideo etiam irritatur electio.
55. Confirmatus ante consecrationem non potest ea, quæ sunt Ordinis, potest tamen delegare.
56. Consecratio quando & à quo petenda, & qualiter petenda?

57. Beneficia electi vel translati quando vacant, & quis conferat.
 58. Beneficium Abbatum quid, & in quo conveniat & differat à consecratione?
 59. Beneficium Abbatum quo die fieri possit.
 60. Abbatem Benedicti qualiter Pontificalia exercere, ordinare, paramenta benedicere, &c. possint? remissive.

Post electionem factam incumbit eligentibus, ut quam citius commodè poterunt, electionem electo præsentent, & consensum ejus desuper requirant, quem electus *intra mensem* præstare tenetur, alias jure ex electione quaesito hoc ipso privatus erit, nisi forte ea sit electi conditio, ut sine superioris licentia consentire nequeat; quo casu idem electus, seu eligentes loco ipsius consentiendi licentiam ab ejus superiore cum illa celeritate, quam superioris præsentia vel absentia permiserit, impetrare debebunt. *cap. quam sit. 6. h. tit. in 6.*

Et quidem si Religiosus electioni in alio monasterio de se factæ consensum ante Abbatibus sui impetratam licentiam (quam Abbas etiam irrequisito conventu dare potest) præstiterit, in poenam electio eo ipso viribus evacuetur, *c. si Religiosus. 27. h. tit. 6.* Licentiam quoque generalem à superiore concessam Religioso, ut electioni vel provisioni cuilibet de se faciendæ suam possit impendere assensum, cum ambitionis vitio viam parat, reprobatur, & invalidam declarat Pontifex, *in Clem. ult. h. tit.*

Porro quia *in d. c. 6. h. tit. in 6.* cuilibet electo mensis deliberatorius concessus est, quo citra ambitionis notam uti non possunt, quorum consensus à superioris licentia dependet, ideo istis prædictus mensis tunc primum currere incipit, quando superioris licentiam impetrarunt. Joann. Honor. *h. tit. num. 15.*

45. Quid autem si electus occultum aliquod impedimentum habeat, v. g. irregularis,

vel illegitimus sit, &c. potestne salvâ conscientia dignitatem oblatam acceptare, absque eo, quòd tale impedimentum manifestet? Ratio dubitandi est, quòd regulariter nemo ad sui diffamationem & honoris in communi hominum æstimatione habiti jacturam faciendam obligetur, ut per *Gl. in cap. 2. de Consecr. in 6.* Item quòd constitutio Ecclesiastica ad occultum non porrigatur, nec Ecclesia de occultis judicet.

32. Ordinariè non posse acceptari dignitatem, antequam super occulto impedimento dispensatio impetrata sit, ut probatur *ex c. in potuit. 20. h. tit.* ubi ponitur casus de quodam occultè illegitimo electo, & dicit ibidem Pontifex, quòd spontè ac humiliter suum maluerit confiteri reatum, & impetrare dispensationem, *quam lesâ conscientia thronum conscendere pastorallem*: Canones enim constituentes impedimenta electionis justè sunt in foro externo, consequenter etiam in interno. Et licet subinde poenales sint, tamen poena ipso jure illata, quæ aliam exteriorem executionem non requirit, ut censura, inhabilitas, etiam in conscientia locum habet, ut superius in *Tit. de Constitutionibus* explicavimus.

Non obest allata dubitandi ratio: quia infamia evitari potest dignitatem recusando sine expressione occultè impedimenti. Si tamen poneretur casus, in quo vel propter instantem merum, vel propter publicam Ecclesie utilitatem non posset facile recusari dignitas, excusaretur à culpa, qui dissimulato impedimento acceptaret dignitatē, & clam impetraret dispensationem, & reconvalidaret titulum. Innoc. *in d. cap. innotuit. m. l.* Lex enim humana constituens impedimentum non obligat in casu tam extraordinario, & cum sui gravi detrimento.

Ad alteram rationem dicitur, quòd Ecclesiastica constitutio non porrigatur ad occulta per se, quæ sunt merè interna in cogitatione persistentia, bene autem ad occulta per accidens ex defectu probationis, de quibus quidem Ecclesia non iudicat in foro externo, quamdiu occulta sunt, valet tamen Constitutio, aut pœna desuper lata, quatenus in actum externum prodierunt; quæ responsio declarari potest ex illis, quæ in eodem Tit. de Constit. de materia Legum diximus.

46 Cæterum sicut beneficium invito non datur, & quilibet juri suo renunciare, ita quilibet electionem oblatam recusare potest, adeò ut ne quidem Religiosus à superiore ad ei assentiendum cogi valeat, cum jure suo, quod in Monasterio per professionem quæsitum habeat, privari non debeat, nisi quòd subinde lex charitatis obliget ad acceptandam electionem, si ita exigat Eccles. utilitas, & alius æquè idoneus non adsit, juxta illud Christi: *Petree si diligis me, pascere oves meas, &c.* Imò licet alius æquè idoneus adsit, rectè tamen faciet electus assentiendo, quòd præ altero vocationem divinam habere censetur.

47 Sed quid, si dignus electus sit omisso digniore, valebitne, & acceptari poterit electio? Licet Sacri Canones desiderent, ut dignissimus eligatur, non tamen irritant electionem de digno factam, ideoque & talis electio acceptari poterit, arg. c. cum nobis. 19. vers. illius. h. 11. plerumque tamen eligentes peccant, præsertim si odio aut favore personam dignioris prætereant. Dignioritatem autem non præcisè ex doctrina, nec probitate, sed etiam ex prudentia & aptitudine ad regendum æstimare debemus. Videatur Zoëf. h. tit. num. 45. & seqq. prolixè Passerinus in Tract. de Elect. cap. 30. Tambur. de Jure Abb. tom. 1. disp. 5. quest. 13.

Demum adnotandum, quòd si electus recuset, vel post consensum præstitum juri suo renunciaret, aut moriatur, vel electio propter ejus occultum vitium irritetur, eligentes habeant à dissensu, renuntiatione, morte, aut irritatione tempus trimestre integrum ad aliam electionem faciendam. c. si electio. 26. hoc tit. in 6.

De Confirmatione.

Post consensum electioni præstitum debet electus confirmationem intra tres menses à die consensûs numerandos petere; quòd si justo impedimento cessante intra hoc tempus petere omiserit, tacitè juri suo renuntiâsse censetur, & electio eo ipso viribus evacuetur. c. quam sit. 6. in fin. & ibi Gl. h. tit. in 6.

Speciale est circa electos in Cathedrali, vel Regulari Ecclesia, quorum confirmatio spectat ad Sedem Apostolicam, ut intra unum mensem à præstito consensu ad ipsam sedem (etiam cum vacat. Clem. ne Romani. 2. §. fin. h. tit.) iter arripiant, & ad faciendum tantum temporis sumant, quantum necesse erit pro locorum distantia, aut certè, si ex justa causa personaliter comparere nequeant, procuratorem de omnibus sufficienter instructum mittant. c. cupientes. 16. & c. si postquam. 33. h. tit. in 6. Usu receptum est, ut super electione facta conficiatur instrumentum publicum à Capitularibus, vel Scrutatoribus subscriptum vel subsignatum, ex quo S. Pontifex de valore electionis informetur.

Debet autem confirmatio peti à superiore, & quidem de jure communi gradatim per modum appellationis à proximo superiore, ut confirmatio Abbatis ab Episcopo, vel sede vacante à Capitulo, Episcopi ab Archiepiscopo. c. mos antiquus. 6. dist. 65. c. cum dilectus. 32. h. tit. c. cum olim. 14. de

de Major. & obed. Barb. de Offic. Episc. p. 1. tit. 1. cap. 4. num. 5. hodie verò per Reg. 3. Cancell. & Concordata Germania confirmatio Episcoporum indistinctè Pontifici reservatur. Utrum autem per ista Concordata sublatum sit privilegium Legatorum de Latere, quod habetur in c. si Abbatem. 36. h. t. in 6. ubi iisdem conceditur omnium Episcoporum & exemptorum electiones confirmare, stylus & usus Curie Romanae consulendus est.

Antequam confirmatio impetretur, electus se nullatenus immiscere debet administrationi; quòd si fecerit sub quocunque pretextu, etiam nomine economi, ipso iure est privatus iure ex electione qualito, reddeturq; impotenter ineligibilis. c. qualiter. 17. h. s. c. avaritie. eodem in 6. Extravag. 1. h. tit. inter Com.

Dicitur autem electus se immiscere administrationi, recipiendo à Clericis & Laicis Juramenta, & homagia, census & debita, excommunicando, absolvendo, iudicando &c. non autem si tantum preparatoria facit ad futuram administrationem: quia verba maxime legum poenaliū accipienda sunt cum effectu, Glossa in d. c. avaritie. h. tit. in 6. Aliquando tamen licita est administratio ante confirmationem, ut I. si fiat de licentia Confirmatoris. Glossa in d. c. avaritie. II. Si ex privilegio vel consuetudine competat. III. Omnibus electis in concordia extra Italiam, quorum confirmatio ad Sedem Apostolicam spectat, conceditur interim administratio in spiritualibus & temporalibus, ita tamen, ut nihil de rebus Ecclesiasticis alienent. c. nihil. 44. & ibi Joann. And. h. t. Sylvest. v. Confirmatio. num. 2. Joann. Honor. h. t. num. 19. Layman. in 99. Can. de Prælat. Eccles. quæst. 112. Quod tamen ad postulatos, quibus per postulationem ante superioris ad-

missionem nullum jus acquiritur, non videtur extendendum. Joann. And. & Panorm. in c. quanto. 3. de Translatione Episcopi. Imò etiam circa electos, an d. c. 44. adhuc in vigore sit; dubium mihi movet, quòd audierim Episcopos Germania etiam in concordia electos ab administratione abstinuisse, antequam cum placet (ut vocant) licentiam administrandi Romæ acceperint. Imò Passerinus in Tract. de Elect. cap. 33. num. 35. docet, per Extravag. in junct. 1. h. t. inter Com. hodie sublatum esse illud indultum ex d. c. nihil. 44. ut electi sine licentia S. Pontificis, vel absque literis eorum promotionem, confirmationem, consecrationem seu benedictionem continentibus, (si hæc ad Sedem Apostolicam pertineant) ad Ecclesias, ad quas promoti sunt, accedere, vel administrationem accipere non possint; quam constitutionem ait Passer. d. l. etiam de remotissimis Prælatibus intelligendam, quòd tamen ibidem non satis exprimi videtur, & alias de jure veteri non censetur plus correctum, quam expressum. l. precipimus. 32. in fine. C. de appell. Neque illa Extravag. est valde nova constitutio, sed Bonifacii VIII. qui est Authòr Sexti Decretalium, ideoque contrariis DD. non incognita. Defendit verò Passer. d. l. num. 36. valere consuetudinem administrandi ante confirmationem. Vid. etiam Panorm. in d. c. nihil. num. 16. ubi defendit, valere posse consuetudinem, ut electio sine omni confirmatione plenum jus tribuat; sed loquitur de inferioribus Dignitatibus & beneficiis: nam in majoribus Prælaturis, ubi majus est periculum, ne indignus vel simoniacus cum damno & scandalo Ecclesie eligatur, non putarem talem consuetudinem fore rationabilem.

Confirmanti porro incumbit, ut personam, qualitates & mores electi, actumque

sive processum electionis diligenter exploret; quod si electus coelectum, aut alium electionis suae adversarium habeat, is ante confirmationem in specie citandus erit; alias generale & peremptorium edictum in Ecclesia, in qua electio celebrata, est proponendum, quo contradictores, si qui sint, moneantur, & evocentur, eaque observatione omisâ confirmatio irrita cenferi debet. *cap. ult. l. tit. in 6.*

§3 Sed quid dicendum, si major pars Capitularium contradicat, se in electum minime consensisse, sed in alium sua vota direxisse, Scrutatoribus contrarium affirmantibus, an Capitularibus, vel Scrutatoribus magis credendum? Scrutatoribus, si duo saltem ex illis jurato deposuerint pro praesente electo, eo quod scrutatores sint testes, capitulares vero, à quibus vota secretò exquiruntur, & alter alterius votum ignorat, sint testes singulares, quorum etiam Centum regulariter non faciunt plenam probationem; nec admittuntur, si ex adverso probatio magis juridica per testes haberi possit. *c. cum dilectus. 32. & ibi Glossa in vers. Et si tres. & in v. Probatio. Et Panorm. n. 12. b. f. Innoc. ibidem. n. 7.* ubi notat, quod isti scrutatores non sint testes in causa propria, sed in factò coram se acto in causa aliena, cui testi creditur. Censet tamen Panorm. *d. n. 12.* in rigore non esse omni exceptione majores, cum ob contradictionem eligentium & suspicionem falsi agatur de honore & infamia scrutatorum, non autem sit testis idoneus, ad quem ex testimonio laus aut vituperium redundat, ideoque potissimum ob difficultatem probationum admitti. Consentit, quoque Glossa & Innoc. *d. l.*

Præterea confirmatio contradicte non apparente est voluntaria jurisdictionis, & extra diocesium quoque, ac territorium con-

firmandis fieri potest. *arg. l. 2. ff. de Offic. Procons. Joan. Honor. b. tit. n. 25.* Tenentur autem ad dandam confirmationem in jure determinatum non reperitur teste Panorm. *in c. 3. h. tit. n. 8.* sed si nimis diu protrahatur, vel injultè denegetur, ad superiorem confirmantis appellatio dabitur.

Pœna Confirmantis indignum est, ut confirmatio cassata ipso jure privatus sit potestate confirmandi proximum successorem, & à beneficio per sententiam suspendatur, pœnâ graviore arbitrio superioris mulcandus, si non ex negligentia, sed malitia id fecerit. *d. c. nihil. 44. & ibi Gl. h. tit.* Quod si contingat, confirmationem cassari ob non servatum juris ordinem, non propterea cassabitur electio, nisi & in hac, vel ob personam electi, vel processum electionis vitium appareat. *c. si confirmatio. 39. b. tit. in 6.*

De Consecratione & Benedictione.

Confirmatio quamvis tribuat jus in beneficio, ita ut confirmatus administrare, & ea, quæ jurisdictionis sunt, exercere valeat, quæ tamen ad potestatem Ordinis spectant, exercere non potest, antequam Ordinem Episcopalem & consecrationem acceperit. *c. transfusissam 15. c. quod sicut. 28. §. super eo. l. tit.* Interim ante consecrationem similia delegare, & alteri Episcopo licentiam dare in sua Ecclesia Pontificalia exercendi, non prohibetur, quia delegare est actus jurisdictionis.

Electi igitur ad Cathedrales Ecclesias sive Episcopatus necesse habent suscipere consecrationem, & si *intra tres menses* non susceperint, tenentur ad restitutionem fructuum, & intra 6. (numerandos à die confirmationis) sunt ipso jure privati dignitate, nisi iusto & rationabili impedimento

mento excusentur, *Trid. sess. 23. de Reform. c. 2.*

Episcopus de jure communi ab Archiepiscopo, vel cui Archiepiscopus commiserit, consecrandus est, Archiepiscopus verò ab omnibus suis suffraganeis, *c. si Archiepiscopus. 6. & c. seq. de Temp. Ordin.* Hodie verò Confirmatio & Consecratio Episcoporum S. Pontifici est reservata, quæ in partibus solet delegari. Ante consecrationem fit certa quædam inquisitio & examen super persona consecranda, & exiguntur ab ea articulatae promissiones de bona administratione, & pastoralis officii executione, de quibus videri potest *Barb. de Offic. & potest. Episc. p. 1. tit. 1. cap. 5.*

Debet autem fieri consecratio de jure in die Dominica, & quando cantatur Hora Tertia in choro, *c. 1. in princ. dist. 75.* & à tribus saltem Episcopis, *c. porro 2. dist. 66. d. c. si Archiepiscopus.* aded ut consecratio à minore numero Episcoporum facta invalida censetur, *c. Archiepiscopus. 1. dist. 66.* *Barb. d. l. sub n. 5.* apud quem tamen tradunt DD. quòd hic numerus Episcoporum non sit à Christo, sed ab Apostolis determinatus, ideoque ex causa dispensare possit S. Pontifex, ut consecratio vel ab uno Episcopo solo, vel cum assistentia Abbatum, aut aliorum in dignitate Ecclesiastica constitutorum peragatur. Ordinarie quoque consecratio si extra Curiam Romanam fiat, in illa Ecclesia, ad quam aliquis promovetur, instituenda est, si commode fieri possit, aut saltem in provincia. *Trident. sess. 23. de Reform. c. 2.* Cætera, quæ ad ritum consecrationis pertinent, ex Pontificali Romano legi possunt.

Post consecrationem, vel tempus consecrationis præfixum elapsum (quod etiam in translato jam consecrato procedit, *Barb. de Offic. Episc. alleg. 57, n. 67.*) beneficiis

prius obtenta vacant ipso jure, ut collator ea liberè conferre possit. *cap. cum in curiis. 7. §. cum verò. & ibi Glos. & DD. h. tit.* De stylo autem Curie ajunt beneficia statim vacare tempore promotionis seu translationis, si tamen Papa in promotione vel translatione consistorialiter decernat beneficia statim tunc vacare, aliàs inhærendum juri communi. Vid. *Garc. de Benefic. part. 11. c. 6. n. 5. 7. & 14.* *Barb. in Collect. ad. d. §. cum verò. n. 29.* *Paris. de Resign. benefic. lib. 3. quest. 1. n. 76.* Sunt autem Beneficia, quæ promoti per S. Pontificem ad Episcopatus tempore promotionis obtinent, reservata in *Extravag. Ad regimen. 13. de Prab.* innovata in *Regulis Cancellariæ & Concordatis Germaniæ*, ut in *Lib. III. in Tit. de Prebendis.* dicemus.

Ad similitudinem *Consecrationis*, instituta est *Benedictio* Abbatum, quæ etiam aliquando, sed minùs propriè consecratio dicitur, ut in *c. alienationes. 37. causa 12. quest. 2.* Hæc propterea Abbatibus impenditur, quòd in honore proximè ad Episcopos accedant, & quædam etiam de Episcopabilibus insignibus, & officiis participant.

Differt tamen *Benedictio à Consecratione*, quòd *Benedictio* non imprimat characterem ordinis, sed sit tantum deprecatoria manuum impositio, *c. 1. dist. 69. c. manus. 74. causa 1. quest. 1.* quare etiam Abbatissæ dari potest, *c. meminimus. 13. de Accusat. Clem. attendentes. 2. §. statumimus. de Situ monach.* nec fiat benedictio cum assistentia duorum Episcoporum, sed duorum Abbatum, nec ad executionem officii Abbatialis sit substantialis, sed tantum accidentalis. Unde si Episcopus tertio cum humilitate rogatus benedictionem sine rationabili causa dare recuset, vel si absens & brevi tempore rediturus non sit, Abbas interim ritò electus & confirmatus

omnia

omnia ad suum officium pertinentia exercere potest. *c. cum contingat 11. & ibi Gl. de Acat. & qualis. c. 1. de Suppl. negl. Pralat.* Neque omnes Abbates vel Abbatissæ benedicuntur, sed ubi moris est. Colligitur *ex d. c. alienationes. 37. & ex Clem. cit.* In eo tamen convenit Benedictio cum consecratione, quod reiterari non debeat, si Abbas de uno Monasterio ad aliud eligatur ad instar benedictionum nuptialium, quæ non repetuntur in secundis nuptiis, *c. 1. & 3. de Secund. nupt. Barb. de Offic. Episc. pag. 2. alleg. 17. n. 51.*

59 An autem sicut Consecratio ita etiam Benedictio tantum die Dominicâ faciendâ sit, non habetur ita in Jure declaratum, idem communiter sentiunt DD. apud Barb. *d. l. quod etiam alio die festo recte instituitur; & Gl. in de Clem. attendentes. in F. Benedicti. asserit, illis quoque diebus fieri posse, in quibus Ordines conferuntur, & Benedictioem Abbatissæ, cum nullam specialem potestatem tribuat, & ideo potius rationem simplicis benedictionis habeat, quolibet die recte dari. Vid. Tamb. de Jure Abb. 1. tom. disp. 11.*

60 Porro exercitio Pontificalium, benedictionibus & consecrationibus paramentorum & vasorum ad Sacrificium Missæ pertinentium, collatione item minorum Ordinum, an & quatenus Abbates Presbyteri & benedicti facere possint & soleant, aliqua dixi in Libello de Privileg. Monast. privileg. 49. sed, copiosissime & utilissime videri poterit Tamburinus de Jure Abbatum tom. 1. disp. 21. 22. & 23. & circa potestatem ordinandi idem Tamb. tom. 2. disp. 2. cujus materia sedes in Decretalibus esse potest partim in hoc. Lib. I. in Tit. de Temp. Ord. partim in Lib. III. in Tit. de Consecratione Ecclesie vel Altaris, Item in Tit. de Celebratione Missarum. si cui tractare placuerit.

TITULUS VII.

De Translatione Episcopi.

SUMMARIUM.

1. Translatio quid, & quis possit transferre?
2. Indulta transeundi ad alium Episcopatum, vel etiam retinendi priorem simul cum altero quid operentur?
3. Transferri an possit invitus?
4. Translationis cause.
5. Translati prior Ecclesia, & alia beneficia à quo tempore vacare incipiunt?

Translatio hoc loco est de sede in sedem Authoritate superioris facta commutatio ex causa justa & legitima, si nimirum Episcopus de uno Episcopatu ad alium postuletur, & transeundi licentiam obtineat.

Dico I. Ad hanc translationem requiritur Superioris Authoritatem: quod ita accipiendum est, ut in Episcopis transferendis ipsius Papæ consensus requiratur, qui eos à vinculo spiritualis matrimonii, quo priori Ecclesie adstricti erant, absolvat. Imò etiam aliquo casu confirmatio Episcopi ad Archiepiscopum pertineat, tamen is à vinculo absolvere talem Episcopum non valeret, *c. 1. hoc tit.* sicut nec Legatus de Latere, quamvis aliàs in multis Sedis Apostolicæ potestate utatur, quia hoc specialiter summo Pontifici reservatum est. *c. 3. & 4. de Officio Legati.*

Et hoc non tantum procedit, si Episcopus in priori Ecclesia consecratus sit, sed etiam si electus tantum & confirmatus, *cap. inter corporalia. 2. h. tit.* Quod si quis propria authoritate ad aliam Ecclesiam transferit, utraq; privandus erit *cap. quanto 3. h. tit.*

Sed quid operatur indultum, quod aliqui Episcopi, quia in aliis Ecclesiis simul sunt

sunt Canonici, impetrant à summo Pontifice, ut si ad alium vocentur Episcopatum, aut dignitatem, eandem valeant assumere, vel ad illam transire, vel cum priori retinere: *q. Plerosque Doctores cum Innoc. in cap. ult. h. tit. per textum ibidem* velle, quod talis nihilominus saltem pro tutiori postulandus & non eligendus sit; tùm quòd post tale indultum adhuc remaneat Episcopus indigens absolutioe à vinculo Ecclesie; tùm quòd examinatio postulatiois ejusmodi ad Sedem Apostolicam pertineat. Joann. Honorius *h. tit. n. 5.* In eo tamen melioris conditionis est, qui simile indultum habet, quam alii postulati, quòd postulationem de se factam simpliciter acceptare possit, atque inde ei jus ad confirmationem quaeratur, cum tamen alii postulati ante superioris dispensationem nullum jus habeant, & sine injuria rejici possint, imò prius simpliciter in postulationem consentientes hoc ipso tanquam ambitiosos in Curia repellunt, cum Hostien. & Joann. Andrea attestatur Fagnanus in *cap. ult. de Postulatione Prelatorum.* Imò si indultum ipsum utatur verbo *electionis*, ut nimirum Episcopus liberè possit eligi ad aliam Ecclesiam, non sunt reprehendendi Capitulares, si in serutinio etiam verbū electionis assumant.

Est autem tale indultum, utpote contra jus strictæ interpretationis, ideoque dispensatus, ut possit transire ad majorem dignitatem, non potest transire ad parem, quia ad parem, sive æqualem dignitatem transitus non ita facile conceditur, *d. c. ult. & ibi Gl. h. tit.*

Invitus autem Episcopus regulariter transferri non debet, nisi id exigeret ingens Ecclesie utilitas, vel necessitas, cum jus suum nemini sine culpa, aut causa publica auferendum sit. Privatos tamen Clericos, qui tantam cum suis præbendis conjunctio-

nem non habent, nec inter eos aliquod spirituale Matrimonium contrahitur, ex faciliiori causa possunt per Episcopum etiam invitum de uno loco in alium transferri, ut qui uni loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere, *cap. questum. 5. & ibi Panorm. de Rerum permut.* Abbates quoque & inferiores Prælati, si de una dignitate ad aliam eligantur, cum consensu solius Episcopi vel immediati sui Superioris transire possunt, ut in *precedente Tit. n. 30.* dictum est.

Dico II. Translationem debere fieri *ex justa causa*: sicut enim Matrimonium carnale absque causa dissolvi nequit, ita neque spirituale inter Episcopum & Ecclesiam, *c. sicut vir. ii. causa. 7. q. 1. d. c. inter corporalia. 2. hoc tit.* Referuntur autem justæ causæ ad duo capita, scilicet *utilitatis*, si ex translatione vel universali vel particulari Ecclesie major fructus eveniat: & *necessitatis*, si v. g. ex persecutione hostili, vel alia simili causa aliquis in propria Ecclesia commorari tutò non possit.

Quando autem vacet prior Episcopatus, à quo quis transfertur, videatur Barb. in *Collect. ad c. 1. h. tit. n. 5.* ubi dicit, quòd licet olim dubia fuerit quæstio, hodiè tamen extet declaratio Cardinalium, quòd vacet ab eo tempore, quo Episcopus ab illius vinculo absolvitur in Consistorio Sanctitatis suæ, etiam ante expeditionem literarum Apostolicarum vel adeptam possessionem secundæ Ecclesie: & posteaquam hujus absolutiois notitiam Episcopus habuerit etiam ex testimonio seu documento Secretarii Collegii Cardinalium, illicò teneri eum abstinere ab exercitio Ordinariæ Jurisdictionis, eamque transire in Capitulum tanquam sede vacante, &c. nisi forsitan S. Pontifex aliter disposuerit. De aliis beneficiis translatis quando vacent, dictum est in *Tit. preced. num. 57.*

N TITU.

ENGEL
IN DECRETIS
LIB. I. TIT. 11.
CAP. 11.
DE POSTULATIONE
EPISCOPI

TITULUS VIII.
De Authoritate & Usu
Pallij.

SUMMARI A.

1. Pallium quid?
2. Cur dicatur de Corpore D. Petri?
3. Quibus competat?
4. Quid denoret?
5. Archiepiscopus quae possit vel non sine pallio?
6. Pallio quando uti liceat?
7. Pallij usus ubi concedatur?
8. An etiam in loco exempto?
9. Archiepiscopus & Episcopus qualiter possint Pontificalia exercere in loco exempto, & quid, si exempti resistant?
10. Pallium cohaeret Personae, & loco.

Pallium est singulare ornamentum desumptum ex Corpore D. Petri, & à summo Pontifice Archiepiscopo datum, designans plenitudinem pastoralis & Archiepiscopalis officii, quo Archiepiscopus certis solum diebus, & intra Ecclesiam uti potest.

Dicitur I. Pallium esse de Corpore D. Petri, cap. significasti. 4. de Electione. vel quod consecratum deferatur ad altare D. Petri in memoriam Corporis ejus, & inde tradatur Archiepiscopis, aut Procuratoribus eorum, ut existimat Glossa & Barb. in d. cap. significasti. vel quod indicet veluti partem Ecclesiasticae potestatis, quae de Corpore D. Petri, hoc est, de universali regimine Ecclesiae Archiepiscopis conceditur, sicut putat Hostiensis, in cap. ad honorem. 4. h. tit. num. 3.

Dicitur II. Pallium dari Archiepiscopis: & imprimis quidem summo Pontifici competit, quia ipse Archiepiscopus Romanus, id est, Princeps & Episcopus Episcoporum omnium habetur; deinde Patriarchis & Archiepiscopis inferioribus; ali-

quando etiam ex speciali gratia & privilegio quibusdam Episcopis datur.

Hac porro concessio Pallii impediri non potest per criminis aut defectus objectionem, nisi objiciens intra bimestre tempus probationes paratas exhibeat. Extravag. un. h. tit. inter Com.

Dicitur III. per Pallium plenitudinem Pastoralem (qua de causa ex ovium lana conficitur) & Archiepiscopalis officii designari: etenim electus ad Archiepiscopatum, tamen confirmatus vel consecratus sit, Archiepiscopum tamen se nominare non potest ante acceptum Pallium, nec ea, quae Archiepiscopalis officii sunt, exercere, cap. 3. h. tit. * licet verò per consecrationem acceperit potestatem & characterem Ordinis Episcopalis, nihilominus hanc Ordinis potestatem, quae inter Missarum solemnias, vel in Pontificalibus ornamentis peragitur, ut conficere chrisma, consecrare Ecclesias, ordinare Clericos, ante acceptum pallium exercere non debet, cum id non tantum simplex Episcopus, sed ut Archiepiscopus facere videatur. cap. quod sicut. 28. vers. praeterea. de Electione. Actus verò jurisdictionis, ut audire causas, delegare, censurare, &c. exceptis illis, qui Archiepiscopo sunt proprii, ut visitare Provinciam, vel Concilium provinciale congregare, post obtentam confirmationem facere non prohibetur. Extra provinciam quoque suam, ab alieno Episcopo invitatus ibidem actus Ordinis exercere potest, quia cum extra provinciam Pallio uti nequeat, ut mox dicemus, censetur tales actus facere, ut quilibet alius simplex Episcopus. Ea etiam, quae sine missa, & in Stola tantum ab Episcopis fieri solent, ut sacra vasa, aut paramenta, vel caetera benedicere, Baptizatos confirmare, &c. ante acceptum Pallium exerceri posse, praesertim

fertim consuetudine accedente, putat Hostiensis hoc loco sub num. 1. & quod generaliter Archiepiscopus actus Ordinis, quos ante acceptum pallium ipse facere nequit, alteri Episcopo delegare & committere valeat, cum delegatio sit actus jurisdictionis, non Ordinis, satis colligitur ex c. suffraganeis. 11. de Electione.

6 Dicitur IV. usum Pallii tantum certis diebus licitum esse: quamvis enim solus Papa inter Missarum solennia semper, & ubique utatur Pallio, cum ipse solus vocatus sit in plenitudinem pastoralis officii respectu universalis Ecclesiae, inferiores autem Episcopi, qui in partem tantum sollicitudinis, respectu particularium Ecclesiarum vocati sunt, statuti solum diebus juxta tenorem privilegiorum suorum, & consuetudines locorum in festis principalibus Ecclesiae universalis, vel suae particularis (quae in Calendario Ecclesiastico specialiter annotari solent) item & in Anniversario Consecrationis suae, ac in Ordinationibus Clericorum, Consecrationibus Ecclesiarum Pallio utuntur. c. 4. & ult. cum Gl. ibidem h. tit.

7 Dicitur V. gestationem Pallii tantum intra Ecclesiam suam Archiepiscopo permittam esse; nomine autem Ecclesiae tota ipsius provincia intelligitur. cap. 1. h. tit. Privilegio tamen Apostolico etiam acquiri potest, ut extra provinciam Pallio utendi, dummodo licentia Episcopi, cujus est diocesis aliena in ordine ad Pontificalia exercenda, & consensus Archiepiscopi, cujus est provincia in Ordine ad usum Pallii accedat. Consuetudo verò utendi Pallio extra Provinciam invalida & corruptela declaratur. in cap. ex tuarum. 5. h. tit. nisi forte iusto titulo, aut fama saltem privilegii adjuvetur.

An autem si Archiepiscopus in loco exempto suae Provinciae divina officia in pontificalibus celebret, sicut ei permittitur in Clem. 2. de Privilegiis. licet utatur Pallio? quæri posset. R. cum Glossa ibidem affirmativè, tum quòd in dicta Clem. generaliter concedatur celebratio in Pontificalibus sine exceptione Pallii, tum quòd locus exemptus (qui speciale Territorium non habet; & nullius diocesis non est) reputetur in diocesi & Provincia, quamvis non de diocesi, & provincia, ut infra Lib. V. Tit. XXXIII. de Privilegiis §. ult. explicabimus.

Hoc loco obiter adnotandum est, quòd Archiepiscopus possit quidem propria Authoritate in loco exempto Missam solemniter celebrare, vel coram se ab alio, sine Pontificalibus tamen, facere celebrari, qui actus honoris censetur, non tamen possit sine licentia exemptorum ea, quae sunt officii, & jurisdictionis, ut ordinare, judicare &c. Item si exempti indebitè resistant Episcopo volenti celebrare in eorum Ecclesiis, non poterunt propterea ab eodem Episcopo puniri, sed à legitimo suo superiore. Fagnan. in cap. 1. h. tit. num. 18. & 19. ubi in fine dicit, sic omnes DD. tenere.

Coeterum Pallium ita coheret personae, 10 ut alteri cedi vel commodari nequeat, sed cum eo quisque sepeliendus sit, cap. 2. h. tit. Quòd si contingat, aliquem de uno Archiepiscopatu ad alium transferri, novum Pallium impetrare debet retento etiam veteri, quo quidem amplius non utitur, cum sit specialiter pro priori tantum Ecclesia datum, in sepultura tamen ipsi adjungitur. cap. bone. 4. in fin. & ibi Gl. in v. Pallium. de Postulat. Prælat. Innoc. & Pa. norm. in d. cap. 2. h. tit.

N 2

TITU.

TITULUS IX.

De Renuntiatione.

SUMMARIUM.

1. Renuntiatio quid?
2. Renuntiatio tacita quæ?
3. Renuntiatio expressa.
4. Renuntiatio quando fieri possit sine superioris auctoritate?
5. Beneficia ingredientis religionem quando vacent?
6. Renuntiatio debet fieri ex causa, & quali?
7. Episcopus vovens ingredi religionem an teneatur resignare Episcopatum & ingredi?
8. De resignatione conditionali in favorem alterius; & coram quo fieri possit?
9. Resignatio facta coram Episcopo in favorem tertij cum clausula non aliter &c. an possit acceptari rejecta conditione?
10. Resignans an possit sibi reservare fructus vel pensionem ex beneficio?
11. De renuntiatione permutationis causa remissive.
12. Resignans beneficium an & quando possit pœnitere?
13. De resignatione facta per Procuratorem, & qualiter ejus mandatum revocetur?
14. Regula Cancell. de Infirmis resignantibus, ubi & de resignatione beneficiorum facta ante promotionem, item de publicatione resignationum, remissive.
15. Resignatarum beneficiorum fructus ad quem pertinent?

Renuntiatio unius plerumque facit locum promotioni alterius: ipsique Prælati promoti, ad novam dignitatem, priora beneficia dimittere debent, ut supra vidimus. Hinc subjungitur in præfenti, *de renuntiatione*, seu, ut vulgò appellatur, resignatione dignitatis vel beneficij.

Renuntiatio, seu *resignatio* est spontanea beneficij dimissio. Dicitur, *spontanea*, ut excludatur legitima privatio; nisi quòd subinde ad honoris conservationem beneficij, vel dignitate privandus ad liberam resignationem ex gratia Episcopi admittatur. Item etiam dolus & metus in resignatione abesse debet, aliàs resignatio irritanda, &

resignans ad beneficium restituendus erit. *cap. 3. & 4. De his, quæ vi metus ve &c.* Renuntiatio duplex est, tacita & expressa.

Tacita, quæ fit facto aliquo resignationem significante, vel ex dispositione juris importante, ut si Clericus in minoribus constitutus matrimonium contrahat. *cap. 1. & passim de Clericis conjugatis*. Si quis alterum beneficium cum priore incompatible suscipiat. *cap. de multa. 28. de Præbendis. & extravag. execrabilis. 22. eodem*. Item exemplum habetur in *cap. ex ore. 3. De his, quæ fiunt à majore parte capituli*: ubi habens jus ex literis Apostolicis ad quandam præposituram, dicitur juri suo renuntiasse, quòd illi, qui à Capitulo in Præpositum electus fuit, reverentiam Præposito debitam exhibuerit. Quando autem aliquis habens literas pro beneficio ad collationem Capituli pertinente submittit se gratiæ Capituli, per hoc non videtur renuntiasse juri literarum suarum, ut notant Doctores communiter, in *cap. veniens. 13. hoc tit.* quando enim adversarius est potens, videntur hæc verba esse potius urbanitatis, & habere in se tacitam protestationem, ut si non gratiæ, tunc juri locus esse debeat. Panorm. in *d. cap. veniens. n. 5.*

Expressa renuntiatio est, quæ fit verbis expressis coram legitimo superiore eam acceptante; igitur regulariter beneficium sine superioris consensu dimitti non debet, & dimittens per censuras ad reassumendum (nisi superior malit renuntiationem ratam habere, quia renuntiatio valet in præjudicium renuntiantis, non superioris) compelli potest, & aliâ pœnâ arbitrariâ puniri. *c. admonet. 4. & ibi Gloss. & DD. hoc tit.* adeò ut consuetudo contraria invalida, & corruptela censenda sit. *c. cum venerabilis. 7. de Consuetudine*. Et quidem consensus

sentus immediati superioris Ecclesiastici requiritur, quo nomine etiam inferior Episcopo venit, si ad eum jure speciali institutio & delimitatio in beneficio pertineat. *Panorm. in c. quod in dubiis. 8. hoc tit. n. 6.* In manibus autem Laici licet is Notarius Curiae Ecclesiasticae sit, vel Patronus beneficii, renuntiatione fieri non potest: & sic renuntians in poenam est beneficio privandus. *dicto cap. quod in dubiis. & ibi Barb. num. 3. hoc tit.*

¶ Dico regulariter ad renuntiationem requiri superioris auctoritatem. Excipitur I. Summus Pontifex, qui cum superiorem in terris non habeat propria auctoritate renuntiare potest. *cap. r. h. tit. in 6.* II. Excipiuntur, qui plenum jus in beneficio non habent, uti sunt clerici tantum, & necdum confirmati, vel habentes literas Apostolicas ad beneficium vacans vel vacaturum.

III. Qui habent jus litigiosum, possunt recedere a lite, & dimittere jus suum, si prius non fuerunt in pacifica possessione; non autem propterea beneficium sic dimissum acquireretur litis adversario, nisi probet jultum titulum: quia beneficium per transactionem, vel compositionem absque canonica institutione obtineri non potest, *cap. r. de R. J. in 6.* in curia tamen si unus ex colligantibus cedat, vel decedat lite pendente, tunc ad succedendas lites solet alter colligans potius, quam extraneus in beneficio futrogari juxta Reg. Cancell. *de Surrogandis colligantibus.* IV. Inferiores beneficiati (secus est de Episcopis *c. nisi. 10. hoc tit.*) ad religionem perita tantum licet non obtenta licentia sui Ordinarii transire possunt. *arg. cap. licet. 18. de Regularibus cap. dua sunt. 2. causa 19. quest. 2.* Gloss. *in d. c. admonet. 4. v. inconsolid.* *hoc tit.* beneficia tamen ipsorum non vacant, nisi secuta professione, quod multi

Doctores volunt procedere, tamen prius intuitu ingressus in religionem ea resignarint, ne a licito regressu impediatur. Videatur text. in Concilio Trident. *sess. 25. de Regularibus. c. 16.* & DD. *ibid. cit. apud Barb. num. 13. &c.*

Porro resignatio coram superiore legitima & gravi causa fieri debet, quae causa recensentur in *c. nisi. 10. hoc tit.* juncta Bulla Pii V. *Quanta Ecclesiae*, & ob faciliorem memoriam per Interpretes sequentibus versiculis comprehenduntur.

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis.

Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.

Est autem harum causarum cognitio facienda, talis enim *debilitas* ob tenuum, vel morbum esse debet, quae impotentem reddat ad officium pastorale; alias locum habet, quod dicit Pontifex *in cap. r. l. 1.* quod *vergente deorsum conditione corporea, fervor spiritus in sublime conscendat.* Deinde talis *ignorantia* intelligitur, quae cum ipsam Ecclesiam utiliter regere nequeat; coeteroquin competens scientia toleratur, & *imperfectum scientiae* inquit Innoc. III. *in d. c. nisi. potest supplere perfectio caritatis.* Item talis conscientia *criminis* facultatem resignandi praebet, propter quod ipsius officii executio etiam post peractam poenitentiam suspenditur, uti crimen homicidii, simoniae & alia crimina probata in judicio, ex quibus sequitur infamia, *arg. c. fin. de Temp. ord.* Gloss. *in d. c. nisi. in V. sed dum axat.* Illa quoque *irregularitas* solum causa renuntiationis est, in qua non solet facile dispensari ut in *bigamia, homicidio voluntario*, &c. Secus in illegitima natiuitate, si ea sit occulta, & aliquis non sit imitator

paternæ incontinentiæ, *d. c. nisi*. Itæ vero causa tam ponderans, *in sup. d. cap. nisi*, principaliter circa Episcopos (quorum resignationem tantum Summus Pontifex recipere potest ob vinculum spiritualis matrimonij) requiritur. Sed Pius V. in Bulla quæ incipit: *Quanta Ecclesie Dei*, id ipsum ad resignationes quorumlibet beneficiatorum extendisse videtur, adeo, ut resignationes sine iustis causis in *d. Bulla expressis* ab Ordinarijs receptæ nullæ & invalidæ sint; attamen hanc Bullam non esse ubique usû receptam testatur Zypæus in *Analyti Jur. Pont. hoc tit. sub. num. 1*. Præsertim cum hodie non sit Clericorum penuria, & jure communi non videatur in inferioribus beneficiis specialis aliqua causa ad resignationem desiderata, idè consuetudo obtinuit, ut etiam sine graviore causa ex libera voluntate resignationes admittantur.

7 De Episcopo vovente Religionem hoc loco solet moveri quæstio, an teneatur resignare Episcopatum, & implere votum? Ratio dubitandi est, quod tale votum sit in præjudicium melioris boni, cum pastorale officium videatur opus magis meritorium, quam vita contemplativa Religiosorum, ut colligitur ex textu *d. cap. nisi 10. hoc t.* Tale votum valere quidem, sed habere in se conditionem affirmativam, si Papa consenserit, & idè teneri voventem, quantum in se est, hunc consensum petere, cum pluribus alijs docet Barb. in *Collect. ad c. pen. de Voto. sub num. 5*. Ad rationem dubitandi potest dici, ex iudicio Summi Pontificis pendere, quinam singulis casibus, consideratis personæ qualitibus, & circumstantijs sit status melior, & ad æternam salutem securior, magisque meritorius. Quod verò dicitur, Episcopatum esse statum perfectiorem, id DD. intelligunt de perfectione activâ, quatenus Episcopo incumbit per

rectam gubernationem sibi subditos ad perfectionem vitæ Christianæ deducere: non autem de perfectione passiva, quæ est in ipsa Episcopi persona, quæ potius supponitur, quam quod Episcopatus ad eam directè promoveat, ut ait Paul. Laym. in *Theol. mor. lib. 4. tract. 4. c. 2. num. 14. in fin.*

Renuntiatio expressa subdividitur in *puram & conditionalem*.

Pura est, quæ sit simpliciter sine reservatione aut restrictione aliqua: *conditionalis* verò, quæ sit sub certo modo aut conditione. Talis resignatio *conditionalis* est I. quæ sit in personæ certæ favorem, ut illi, & non alteri conferatur beneficium renuntiatum. Hæc *renuntiatio* coram Episcopo, vel alio Ordinario, excepto Summo Pontifice, fieri nequit, ne resignationes beneficiorum speciem quamdam hereditariæ successione, quam Sacri canones semper deseantur, volentes beneficia secundum merita personarum distribui, acquirant. Parisius de *Resonat. benefic. lib. 1. quæst. 3. n. 1*. ubi dicit, hanc sententiam esse communem omnium doctrinam & in praxi observatam.

Quod si quis simpliciter resignaverit, & per modum recommendationis potius, quam rigorosæ obligationis Episcopo, certam aliquam personam nominaverit, non esse jure prohibitum, quin Episcopus possit personæ commendatæ, si idonea fuerit, illud beneficium conferre, docet Zoëlius ad *tit. Decret. al. de Simonia. n. 72*. Covar. *Var. Resol. lib. 1. c. 5. n. 5*. necessitate autem aliquâ non obstringetur Episcopus, nec injuriam faciet nominato, si alteri conferat: cum enim resignatio in favorem tertii sit prohibita, non potuit illi nominato jus aliquod ex hac nominatione acquisitum fuisse, & consequenter nec injuria per denegatam collationem irrogari. Ad Bullam Pii V. quæ inci-

incipit: *Quanta Ecclesia*. & prohibet omnem successoris in beneficio designationem, responderi Zoëlius. d. loco eam explicari posse de ipsis collatoribus, ut nulli firmam aliquam promissionem vel obligationem de succedendo in beneficio faciant. Item quod ex eadem Bulla Pii V. juxta declarationem Cardinal. apud Garc. de Benef. p. 9. c. 2. n. 211. & p. 11. c. 3. num. 266. beneficia resignata non possint conferri vel admittentium resignationem, vel resignantium consanguineis, vide, quae dicemus infra ad T. de Filiis Presbyterorum sub. n. 3.

9. Quid autem si resignans addiderit clausulam, quod non aliter interdat resignare, quam in favorem tertii, an Episcopus poterit talem resignationem acceptare, & rejecta conditione sive clausula, alteri quam designato conferre? Ita existimat Covar. d. loc. eod. quod Episcopus talem conditionem utpote contra jura non teneatur observare. Verum probabilius cenfeo cum Zoëlio. cit. n. 73. talem resignationem ab Episcopo acceptari, vel acceptari & conditionem rejici non posse. Ratio prioris est, quia juxta dicta resignatio in favorem tertii cum aliqua obligatione coram Episcopo fieri non potest. Ratio autem posterioris datur a Zoëlio, quod actus conditionatus, cum suspendat voluntatem, debeat vel totus ut ponitur acceptari, vel totus rejici. Videtur mihi addenda & alia ratio, quod conditiones impossibiles (quales etiam sunt, quae contra jura ponuntur ut hic, l. filius 6. ff. de Condition. 15. Institutionum) vitient, & irritos reddant regulariter (excepto matrimonio c. ult. de Conditionibus appes.) omnes contractus, & actus inter vivos, quamvis in ultimis voluntatibus, quibus quantum ad favorem quoad hoc annumeratur matrimonium, vitientur & irritantur, si impossibiles. 11. Inst. de Inuti-

libus stipulationibus. l. non solum. 31. ff. de Oblig. & act.

10. II. Fit resignatio *conditionalis*, si resignans reserret sibi fructus aut pensionem ex beneficio resignato, vel expensas in obtentione aut lite circa beneficium factas. Haec resignatio etiam coram Episcopo, vel alio collatore, quam Summo Pontifice, regulariter fieri non potest, idque ex duplici capite; tum quod beneficia Ecclesiastica debeant sine diminutione, hoc est, sine cuiuslibet novi oneris impositione conferri, ut dicemus infra Lib. III. in Tit. Ut Ecclesiast. benef. sine dimin. confer. tum, quod talis resignatio in effectu sit permutatio beneficii pro parte fructuum, & reddituum, fructus autem & redditus a beneficio separati, cum sint res temporales, esset permutatio rei spiritualis pro temporali, consequenter simoniaca. Interim tamen quia praeter Summum Pontificem etiam certis casibus Episcopus potest pensiones in beneficiis constituere, ut si aetate decrepitus aut infirmus, habens beneficium litigiosum, pro bono pacis resignare velit, teste Barb. de Officio Episc. allegat. 85. sub n. 11. ideo nihil obstat, quin Episcopus possit simpliciter & pure resignanti talem pensionem ex causa constituere, vel ipse resignaturus, ut securior sit, eam ob rem ante resignationem supplicare Episcopo. Quod si pensio sit erecta vel erigenda in titulum cum obligatione aliqua Divini officii v.g. certarum missarum, Breviarum, Horarum. B. Virg. &c. tunc sicut talis pensio beneficii nomine censetur, ita etiam beneficium resignatum recte pro ea commutari potest. Videatur Suarez. de Simonia, lib. 4. c. 35. n. 21. & seqq. Layman. in Theol. moral. lib. 4. tract. 10. c. ult. §. 5. n. 52. & seqq.

III. Renuntiatio *conditionalis* est ex causa permutationis; quando enim Clerici sua

sua inter se beneficia permutare volunt, necesse habent, ut ea prius in manus Ordinarii sui resignant exprimentes, quòd hæc resignatio non sit absoluta, sed sub conditione permutationis, quâ de re inferius in Lib. III. in Tit. de Rerum permutatione tractabimus.

12 Porro *renuntiatione factâ*, & à superiore *admissâ* non est amplius locus pœnitentiæ, sed resignans etiam invitus compelli potest ad dimittendam beneficii possessionem, c. 3. c. 6. & 12. h. 111. Dico *renuntiatione admissâ*: antequam enim superior acceptarit, & res integra esse deherit, potest resignans pœnitere, cap. lecta. 14. h. 111.

13 Si procuratorem aliquis miserit ad resignandum potest quidem etiam re integrâ pœnitere, & mandatum procuratoris revocare, ita tamen, ut hæc revocatio Procuratori intimetur, aliâs validè procedet ad resignationem, licet in absentia ejus mandatum revocatum sit. *Clem. un. hoc tit.* quamvis secus sit in matrimonio, ad quod contrahendum missus procurator, etiam in absentia & inscius revocari potest ob favorem libertatis matrimonialis c. *fin. de Procurat. in 6.* In aliis autem contractibus non ita se habet. l. *si precedente. 58. ff. Mandati.* & mandatum procuratoris non internâ voluntate principalis, & quidem ipsi Procuratori innotescente revocari debet, ne aliâs principales allegando internum vel occultum disensum quosvis suorum procuratorum contractus facile impugnare, & evertere cum magno aliorum præjudicio valeant.

Morte principalis quoque revocatur mandatum Procuratoris. §. *item. 10. Inst. de Mandato. Clem. fin. de Procurat.* quod quidem dubium non habet, si res adhuc integra sit, & Procurator nihil circa re-

renuntiationem egerit; quòd si verò jam libellum *renuntiationis* superiori porrexerit, adeoque in negotio processerit, insinuat quidem textus. d. *Clem. fin. ibi: etiam quoad negotia jam incipit.* mandatum Procuratoris nihilominus expirare. Contrarium tamen observari in Curia ex *decisionibus Rotæ*, & quibusdam extravag. Alexandri VI. & Leonis X. tradit Parisius de *Resignatione beneficiorum lib. 9. c. 24. n. 14. & seq.* Sed quid si principalis mortuus fuerit re integrâ, & Procurator hujus mortis ignarus processerit? Videbitur forte validè processisse ad resignationem, ut beneficium non per mortem, sed per resignationem, ponamus in favorem tertii, vacare intelligatur: tum argumento à revocatione non intimata, de qua paulo ante dictum; tum quòd ita jure civili *dicto §. 10.* constitutum sit, & procedenti detur mandati actio. Nihilominus invalidam esse resignationem communis receptum est, teste Parisio *dicto l. n. 3.* quia post mortem principalis nihil amplius est in ejus vel hæredum potestate, quod resignari possit, cum beneficium vacans statim devolvatur ad ordinarii collatoris potestatem. Non obstat paritas ducta à revocatione non intimata: nam quando vivo beneficiato mandatum procuratoris revocatur, beneficium est adhuc penes principalem, ergo nihil obest, quin à Procuratore jure sic permittente in *Clem. fin. hoc tit.* resignari possit. Jus civile verò in *dicto §. 10.* accipiendum est de aliis rebus nostri patrimonii, quæ ad ipsos hæredes transeunt.

Speciale est circa resignationes beneficiorum ex regula Cancellariæ: *De viginti*, sive *De infirmis resignantibus*. quòd si quis infirmus resignet beneficium, & intra 20. dies moriatur, beneficium vacet non per resignationem, sed per mortem: quod propter

properea sic statutum est, ne infirmi in praedictum Ordinarios, vel habentium gratias expectativas possint per resignationem talia beneficia in tertium fraude plerumque interveniente transferre; de qua regula videatur prolixè Parisius *lib. 12. per titulum.* & quæ dicemus inferius in Lib. III. in Tit. de *Præb. s. 3. n. 29. & seq.* Item de resignatione beneficiorum, quæ fiunt ante promotionem. *d. s. 3. num. 36.* Item & de publicatione resignationis faciendâ per eum, cui beneficium resignatum collatum, vid. in dict. tit. de *Præbendis sub num. 17. ves. octavo.*

16 Fructus beneficiorum post resignationem vel mortem beneficiati ad quem pervineant, tradit Joann. Honorius *hoc tit. sub. n. 14. ves. s. i. u. c. u. s.* cum cit. ibidem, nimirum quod fructus naturales, & industriales à solo separati usque ad diem admiffæ resignationis debeantur resignanti, etiam si prædia frugifera essent locata, & dies solutionis nondum advenisset, quia sufficit, quod fructus, quorum causâ solutio faciendâ est, tempore prædicto essent collecti; fructus verò civiles, qui proveniunt ex re non producente naturaliter fructus, ut ex locatione ædium, quorum dies solutionis tempore acceptatæ resignationis nondum advenit, sicut & fructus naturales pendentes, qui censentur pars fundi, debeantur successori. Vid. Hon. *d. l. &* citati apud eundem.

- 2. Negligentiam exemptorum aliquando supplet Episcopus: item & delegati Papalis.
- 3. Negligentiam Episcopi supplet Archiepiscopus.
- 4. An etiam circa viam appellationis?
- 5. Justitia delegata & prorata differunt.
- 6. & 7. Explicatur *tex. in c. 1. h. t. in 6.*
- 8. Explicatur *tex. in c. nullus 17. de jure Patronatû.*

NE per negligentiam, & incuriam Prælatorum Ecclesijs aut subditis temporale aut spirituale damnum eveniat, rectè tum hic in præsentî tit. tum sæpiùs alibi jure constitutum est, ut officium, potestas, & jurisdictio inferiorum Prælatorum in illo casu, in quo sunt negligentes, ad Superiorem devolvatur.

Porro capitula potiora in hoc tit. posita loquuntur de *supplendâ negligentia*, quæ in collatione beneficiorum committitur; etenim ex Concilio Lateranensi beneficia intra 6. menses computandos à die innotescantis vacationis conferenda sunt, quo termino elapso ab inferiore Prælato. v. g. Abbate, Præposito, cui jus conferendi ex privilegio, vel præscriptione competit ad Episcopum, ab Episcopo ad Capitulum, à Capitulo ad Archiepiscopum, ab hoc denique ad Summum Pontificem devolutio fiet, ut traditur in *Lib. III. Decretalium. in Tit. de Præbendis.*

Præterea Episcopi in pluribus alijs causis præter beneficiorum collationem inferiorum Prælatorum negligentiam supplere possunt, & debent, & frequenter etiam *Exemptorum* tanquam *Sedis Apostolicæ delegati*, quæ causæ in alijs titulis pro exigentiâ materiæ enarrantur, & summatim tradit Barb. *de Officio Episcopi. p. 2. in princ. à n. 85. ubi. n. 102.* addit, quod Episcopus negligentiam Delegati Papalis auctoritate ordinariâ supplere possit juxta casum notabilem in *cap. significavit. 6. de Officio Ordinarij.* ubi causâ super incaltu duorum

ENGEL
1772

TITULUS X.

De Supplenda Negligentia Prælatorum.

SUMMARIA.

1. Negligentia qualiter suppleatur in collatione beneficiorum
ENGEL IN DECRET. LIBER I.

duorum ab Episcopo excommunicatione punita, & propter appellationem excommunicatorum à Summo Pontifice delegata rediit ad Episcopum, quòd delegatus in administrandâ Justitiâ negligens fuerit.

3 Sed & Archiepiscopus Episcopi non exempti negligentiam supplet, ejusque jurisdictionem ad se devolutam exercet, ut si testes suæ Jurisdictioni subjectos in judicio coram Archiepiscopo ventilato necessarios ad requisitionem debitam non exhibuerit; si presentatos à Patronis non instituerit, si crimina suorum Diœcesanorum notoria non emendaverit; si ultimas voluntates defunctorum executus non fuerit, si dispensationem aut absolutionem debitam negaverit &c. Barb. *de Officio Episcopi. p. 1. tit. 4. n. 19.* Quòd si Episcopus excommunicatus aut ab hostibus captus vel mortuus fuerit, non propterea Jurisdictio ejus ad Archiepiscopum, sed Capitulum devolvitur *c. 1. §. 3. hoc tit. in 6.*

4 *Controversia* est inter Doctores, utrum Jurisdictio *contentiosa* Episcopi ob causam negligentiam citra *appellationem* devolvatur ad Archiepiscopum, ita ut ommissis appellationibus sive appellationis solennitatibus, mox per viam *simplicis querelæ*, vel denegatæ, aut protractæ Justitiæ adiri possit? Extra casus specialiter in jure expressos non devolvi Jurisdictionem ad Archiepiscopum cujuscunque negligentiam prætextu citra viam appellationis concludit Barb. *de Officio Episcopi. p. 3. alleg. 126. n. 6.* eò quòd generaliter Archiepiscopus careat Jurisdictione in subditos suffraganeorum, nisi quatenus ei expresso jure conceditur; quod confirmat textus *in cap. 1. hoc tit. in 6. ibi: cum id non inveniatur à jure concessum* &c. Alii e contra apud eundem Barb. *n. 10.* docent, univèrsim ex negligentia Episcopi ad Archiepiscopum ipso jure devolvi juris-

ditionem. Verùm hæc in re videtur nihil valderationabilis distinctio, quam ex praxi Camera Imperialis tradit Andreas Gall. *Lib. 1. obs. 28.* an nimirum causa coram Superiore giudice capta & pendens sit, vel an res adhuc sit integra: priore casu appellatione opus erit. arg. *cap. ex parte. 67. Appellat.* quia *primâ instantiâ* semel occupatâ per litis contestationem non est transitus ad superiorem judicem, nisi per *secundam instantiam*, adeoque per *appellationem*. Altero verò casu, si judex inferior, sive Episcopus debite saltem semel requisitus Justitiam denegarit, generaliter devolvitur Jurisdictio *primæ instantiæ* ad Superiorem, ut etiam per viam simplicis querelæ adiri possit. Textus *in novell. 17. cap. 3.* ubi enim prima instantia ab inferiore denegatur, necessario debet apud Superiorem quari, & quidem sub ratione primæ, quia non est secunda sine primâ. Quamvis autem alias in decernendis processibus sive admissione litis regulariter credatur soli relationi supplicantis, & actoris, exceptio tamen est in causâ *denegatæ Justitiæ*, ut de denegatione debeat prius per publicum instrumentum, vel alias legitimas probationes constare.

Differentia quòque notanda est inter *denegatam*, & *protractam justitiæ*, quòd, postquam Judex inferior verbis aut factis aperte denegavit Justitiam, statim suscipiatur causa in superiori tribunali; postquam verò acceptavit quidem causam, sed *protraxit*, & neglexit finire, prius decernantur à superiore giudice *promotoriales*, ut Practici appellant, in quibus assignatur terminus, & certum tempus inferiori judici pro Justitiâ administrandâ, & post illum terminum primum Jurisdictio devoluta censetur. Gall. *d. l. n. 7. Myns. Cent. 2. obs. 24.*

6 Cœterum ex allegato textu in d. cap. 1. hoc tit. in 6. exilimat quidem Barb. d. l. cum alijs ibidem cit. quod nec ex rei naturâ aut rationis paritate & pondere circa actus tam contentiose, quam voluntaria jurisdictionis ob negligentiam Episcopi fiat devolutio ad Archiepiscopum, nisi quatenus specialiter in jure concessum est. Magis tamen placet aliorum sententia, qui generaliter ex negligentia Episcopi devolutionem concedunt cum Glossa in d. cap. 1. in v. culpa. Hostiensis in Summa in tit. d. Officio Ordinarij. post. num. 7. Azorio l. 1. mor. parte. 2. lib. 3. cap. 34. quest. 10. Ratio est: I. quia Rubrica hujus tit. est generalis, & que sub eâ ponuntur exempla sunt declarantia, non restringentia. II. Ratio legis est generalis, ut nimirum universim utilitati Ecclesiarum & subditorum prospiciatur, ne ex negligentia Episcopi damnum accipiant, ergo etiam Lex est generalis. Optime ad propositum J. C. in leg. 13. ff. de Legibus. Quoties, inquit, unum vel alterum Lege introductum est, bona occasio est, cetera, que tendunt ad eandem utilitatem, vel jurisdictione vel interpretatione supplere. In Legibus quidem merè penalibus non solemus argumentari à paritate rationis; at verò Lex de supplenda Prælatorum negligentia penam præcisè non continet, sed utilitatem publicam respicit. III. Quia textus allegatus non loquitur de Episcopo negligente, sed delinquente, & censuris innodato, ut sentus sit; quamvis ex negligentia Episcopi devolutio fiat ad Archiepiscopum (alias enim inconvenienter illud capitulum fuisset sub Rubrica hujus tit. positum) non tamen ex culpâ Episcopi, cum hoc non sit in jure expressum &c. Ex quo apparet, quod interpretatio Adversariorum, quasi nunquam

ex negligentia Episcopi devolvatur Jurisdictio ad Archiepiscopum nisi in casibus expressis, sit contra verba & mentem capituli, contra generalitatem Rubricæ, contra d. l. 13. ff. de Legibus, & demum contra utilitatem publicam. Si tamen de negligentia Episcopi sufficienter non constaret, & protracta potius, quam denegata Justitia foret, monitio & assignatio termini procedere deberet, antequam ipsa causa principalis ab Archiepiscopo susciperetur.

8 Specialis dubitatio movetur ex cap. nullus 17. de Jure patronatus. an si Laicus velit donare decimas justè possessas alicui loco Religioso, & Episcopus nolit dare consensum, possint hoc Episcopi officium Archiepiscopus, vel tantum Summus Pontifex supplere? Pro Summo Pontifice est textus in cap. nullus. & tradit Panorm. ibidem num. 23. Barb. d. loc. num. 23. sed rectè videtur dici posse cum Calderino apud Panorm. d. loco. non propterea, quod textus loquatur de Summo Pontifice, exclusum fuisse Archiepiscopum, quia textus non utitur particulâ aliquâ exclusivâ, autum, vel dumtaxat &c. aliunde autem ostendimus, quod regulariter negligentia inferioris per proximum superiorem suppleatur. Præterea cum in d. cap. nullus. non fuerit principaliter questio mota, quis debeat in proposito alterius negligentiam supplere, sed tantum, quod Laicus spiritualia jura sine consensu Episcopi loco etiam Religioso donare nequeat, ideo illud cap. in genere de Episcopis (inter quos etiam Archiepiscopi in suis Diocesisibus numerantur,) loquitur, ut illis negligentibus ad S. Pontificem recurratur sine apertâ decisione, an in hoc recursum non debeat regularis Ordo de Episcopo ad Archiepiscopum servari.

✠ ✠

TITULUS XI.
De Temporibus Ordina-
tionum, & Qualitate Ordi-
nandorum.

CUm Prælatorum Ecclesiæ sit Ordines Clericales conferre & officia Clericorum ordinare: post præcedentia tam de Ordinationibus, quam ordinationum requisitis, vel impedimentis in hoc, & seqq. Tit. subjungitur.

§. I.

Generalia de Sacramento Ordinis.

SUMMARIÆ.

1. Unde Sacrificium & ejus Ministri?
2. Ordo est verum Sacramentum imprimens Characterem.
3. Ordines alij majores, alij minores.
4. Episcopatus an distinctus Ordo à Sacerdotio?
5. Subdiaconatus hodie etiam Ordo sacer.
6. Prima tonsura an sit ordo?
7. Minores Ordines cur dicantur non sacri, & an cum ijs matrimonium consistere possit.
8. Minores Ordines etiam sunt Sacramentum.
9. De materia & forma singulorum Ordinum.
10. An requiratur contactus Physicus materia.

DE O Creatori & Conservatori omnium debitum esse aliquod Sacrificium tùm pro invocatione sancti Nominis ejus, tùm pro grata recognitione acceptorum, tùm etiam pro criminum expiatione, *Lex nature* primos parentes docuit, *Lex Veteris Testamenti* Judæos instituit, & *Lex gratiæ* cum traditione sacræ Eucharistiæ confirmavit. Ubi autem Sacrificium est, ibi & certos Sacrificii ministros, qui certo ordine suis officiis fungantur, esse oportet; quam Ministrorum creationem *ordinationem*, & ministerii potestatem *Ordinem* in Ecclesia appellamus.

Docet præterea Ecclesia Catholica in Concil. Trident. *Seff. 23. de Sacramento Ordinis. cap. 3. & 4.* Ordinem esse verum Sacramentum novæ legis à Christo institutum; quodd insuper sicut in Baptismo & Confirmatione imprimat *Characterem*, hoc est, signum aliquod invisibile, & indelebile in anima suscipientis, propter quod iterari non possit: ubi enim est externum symbolum cum promissione gratiæ, est Sacramentum, sed in ordinatione est externum symbolum, videlicet manuum impositio, aliæque ceremonia, & promissio gratiæ juxta illud Apostoli; *ad Timotheum 4. v. 14. Noli negligere gratiam, quæ in te est, cum impositione manuum Presbyterii. & 2. ad Timoth. 1. v. 6. Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* ergo est verum Sacramentum.

Ex quo damnatur Hæreticorum error, qui sicut gens temporalibus tantum cupiditatibus immersa, sine sacrificio, & reverenti DEI cultu sunt, ita etiam negant Ordinis Sacramentum,asserentes, Novi Testamenti Sacerdotes temporariam tantum potestatem habere, iterum Laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant.

Similiter damnantur, qui omnes Christianos promiscuè Novi Testamenti Sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmant contra doctrinam Apostoli. *1. ad Corinth. 12. & ad Ephes. 4.* cum in corpore Christi, seu Ecclesia, sicut in Corpore physico certa debeat esse membrorum, & operationum Spiritus Sancti distinctio, & Christus *alios dederit Apostolos, alios Evangelistas, alios Pastores & Doctores in opus ministerii, in edificationem corporis Christi.*

Quo-

Quoniam igitur in Novo Testamento sacra Eucharistiae sacrificium visibile Ecclesia accepit, fateri etiam debemus, in ea novum esse visibile sacerdotium, in quod Veteris Testamenti sacerdotium translatum sit; hoc autem novum Sacerdotium à Christo institutum esse, atque ab Apostolis, eorumque Successoribus in Sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi & ministrandi Corpus & Sanguinem Christi, nec non & peccata dimittendi, sacrae literae *Matth. 26. & Joan. 20.* ostendunt, ac Ecclesiae Catholicae traditio semper docuit.

Quia verò divina res est tam sancti Sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, inquit Conc. Trident. *d. Sess. 23. c. 2.* quo dignus & cum majori veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiae ordinatissima dispositione plures, & diversi essent ministrorum ordines, qui sacerdoti ex officio deservirent.

3. Porro prima Ordinum dispositio & divisio est in *maiores & sacros*, ac in *minores & non sacros*. *Majores* ordines sunt Episcopatus, Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus.

4. De Episcopatu quidem discrepantia est inter Doctores, an separatum & à Presbyterio distinctum ordinem constituat? Alii affirmant, eò quòd Episcopi habeant quasdam functiones speciales, ut ordinandi Clericos, consecrandi Ecclesias, quae Presbyteris non competunt, sicut in eodem Conc. Trident. *d. l. Can. 7.* anathema dicitur illis, qui asserunt, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel eam, quam habent, potestatem esse cum Presbyteris communem. Alii negant, eò quòd Ordo Episcopalis essentialiter includat ordinem Presbyterii; nec consecrari possit Episcopus, qui Presbyter non sit, & minor censeatur potestas ordinandi Clericos, & consecran-

di Ecclesias, quàm Corpus & sanguinem Domini, & propterea illae functiones Episcopales accidentales tantum ordini Presbyterali existimari debeant. Unde ulterius docent, quòd consecratio Episcopi sit quidem sacramentalis, non tamen distinctum Sacramentum à Presbyterio, neque distinctum Characterem imprimat, sed ipsum augeat, perficiat, & consummet. In hac controversia, quae ad effectus juris non multum confert, teneri potest conciliatio utriusque discrepantis sententiae, quòd nimirum Episcopatus completè sumptus, prout supponit, & includit ordinem Presbyterii, atque consideratur ad principale Sacrificium Eucharisticum, non sit distinctus ordo à Presbyterio, secus autem, si sumatur incompletè, quoad particulares functiones Episcopis proprias ordinandi, consecrandi, & in Ordine ad Hierarchiam Ecclesiasticam, juxta quam Episcopi majores & superiores Presbyteris existunt.

Subdiaconatus, quamvis primis temporibus inter sacros Ordines numeratus non fuerit, postea tamen etiam his accessit. *cap. à multis. 9. de Etate & qualitate. cap. miramur. 7. de Servis non ordinandis.* Dicuntur autem Ordines sacri, quibus votum continentiae ex institutione Ecclesiae annexum est, per quod ordinati ita DEO & Ecclesiae consecrantur, ut matrimonium & statum Laicalem in perpetuum evitare teneantur.

Minores Ordines habet *Ostiarus, Le. 6. For. Exorcista & Acolytus*. Aliqui minoribus ordinibus addunt etiam *primam tonsuram*; arg. textus in *cap. cum contingat. 11. de Etate & qualitate*. Sed cum prima tonsura non conferat per se speciale ministerium, potius verò initium, & habitatio sit ad Ordines & Clericatum,

O 3 ideò

idèd minus propriè ordo nuncupari poterit. Idque colligitur ex Concilio Tridentino *Sess. 23. de Reform. c. 6.* ibi: *nullus primà tonsurà initiatus, aut etiam in minoribus constitutus. &c.* nec non in *cap. 10. eadem Sess.* in illis verbis; *tonsuram vel minores Ordines conferre. ut satis appareat Concilium inter tonsuram & minores Ordines differentiam facere.*

7 Dicuntur autem *minores Ordines* non sacri; tum quòd non ita proximè ad Eucharistiæ ministerium accedant; tum quòd votum castitatis annexum non habeant, & cum illis matrimonium consistere possit, prout in eodem Trident. *Sess. 23. de Reform. cap. 17.* statuitur, ne *minores Ordines* ab hæreticis tanquam otiosi traducantur, ut quantum fieri potest, ministeria Ecclesiastica quatuor minorum Ordinum per constitutos in illis Ordinibus exerceantur, & si Clerici calibes præstito non sint, assumi possint etiam conjugati, dummodo non bigami, & qui tonsuram habitumque Clericalem in Ecclesiâ gestent. Aliàs verò Clericus in minoribus contrahens matrimonium eo ipso privatur beneficio, si quod habuit. *cap. 1. & passim. de Clericis conjugatis.* Quòdam autem sit officium singulorum Ordinum, inferius in tit. *de Scrutinio in Ordine faciendo.* trademus.

8 Cæterum non tantum Ordines *maiores*, sed etiam *minores* esse Sacramentum, & imprimere characterem, atque conferre gratiam tanquam veriorem sententiam (contra illos, qui tenent, quatuor *minores* non esse Sacramentum, sed sacramentale) amplectitur Barb. *de Officio Episcopi part. 3. alleg. 3. num. 21.* cum pluribus ibidem cit. eò quòd Florent. & Trident. Concilium indefinità propositione concludant: *Ordinem esse Sacramentum;* & Tridentinum postquam *Sess. 23. de Sacramentis*

Ordinis, cap. 2. recensuit nomina singulorum Ordinum, etiam *minorum*, statim in *cap. 3.* absolute pronunciat: *Ordinem esse Sacramentum.* Neque propterea plura, quam unum Ordinis Sacramentum est: licet enim singuli Ordines per se sint Sacramentum, censentur tamen unum Sacramentum in unitate generis proximi, & quia ad unum finem principalem, scilicet confectionem Corporis Christi omnia referuntur.

Solet etiam hic à Doctoribus, & in examine Ordinandorum communiter inquiri de materia & forma Ordinum, & quidem, nescio ex qua jam inveteratà corruptelâ, ita anxie & scrupulose, ut quidam examinatores rei summam in his scholasticis quaestionibus ponentes, nihil prorsus investigent de aliis qualitatibus in ordinando requisitis (de quibus inferius in Tit. *de Scrutinio in Ordine faciendo*) præsertim de vitæ & morum testimonio: unde fit, ut qui de *materia & forma* bene respondent, nonnunquam tamen materialiter & formaliter informes fiant Clerici.

Ut breviter dicamus: in genere *materia* cujusque Ordinationis est signum ali- quod visibile; *forma* autem verba ab Ordinatore prolata. Sic *materia* *Subdiaconatus* est, *traditio calicis vacui cum paterna superposita*: *forma* autem sunt illa verba Episcopi: *videte, cujusmodi misterium vobis traditur. &c.*

Diaconatus materia est *impositio manuum Episcopali* cum *traditione abicujus rei visibilis*, quam Ecclesiâ determinavit ad librum Evangeliorum: *forma* illa verba: *Accipe Spiritum Sanctum &c.*

Sacerdotium sicut duplicem potestatem confert, nimirum in *Corpus Christi verum*, quæ est potestas *consecrandi*,

& in

§. II.

De Ministro Ordinis & temporibus Ordinationum.

SUMMARIÆ.

- 11. Minister Ordinis Episcopus. An etiam aliquando inferiores Prælati?
- 12. Privilegium conferendi majores Ordines datum non Episcopo, an validum?
- 13. Episcopus non potest ordinare extra suam Diocesim.
- 14. Tempora ordinationum quæ?
- 15. Ordinatorum extra tempora pena.
- 16. Ordinans non incurrit suspensionem ipso Jure.
- 17. Ordinum extra tempora a suspensione quis absolvat?
- 18. Privilegiatus ut possit ordinari in quolibet die Festo, potest etiam quando solum est festum Chori.
- 19. Uno die non licet plures Ordines suscipere.
- 20. De incestu in ordinationibus observandis, & quis in illis dispensare valeat?

Ministrum sacri Ordinis esse Episcopum, definitum est in Trident. S. ff. 23. de Sacramento Ordinis Can. 7. Tonsuram vero, & minores Ordines ab Abbatibus quoque Presbyteris & benedictus usum mitra, & Baculi habentibus Regularibus suis etiam novitiis, & alienis subditis cum licentia propriorum Prælatorum conferri posse, tradidi de Privilegiis Monasteriorum. Privileg. 49.

De majoribus Ordinibus controversatur, an eorum collatio ex commissione vel privilegio summi Pontificis alicui Abbati, aut Sacerdoti non Episcopo competere valeat? Negat cum pluribus Zoënius hoc tit. num. 7. ex eo, quod majorum Ordinum collatio sit proprius actus Ordinis Episcopalis: Item, quod in Tridentino statuatur, ut quilibet a proprio Episcopo ordinetur. Sed quia apud Roderiq. Tom. Regular. quæst. 18. art. 2. referuntur talia privilegia Abbatibus Ordinis Cisterciensis &c. concessa conferendi Ordinem etiam Diaconatus, & ipse scio quædam Monasteria Ordi-

& in Corpore Christi mysticum, scilicet in populum fidelem, cuius tanquam membrum Christus Caput est, quæ est potestas suscipiendi, & ligandi, ita etiam per duas particulares ordinationes perficitur. Prioris ordinationis materia est, traditio calicis cum vino, & patena cum pane; forma vero: Accipite potestatem offerendi sacrificium. Posterioris autem ordinationis materia est impositio manuum Episcopatum; forma illa verba: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remisit peccata, &c.

Ordinis Episcopalis materia est impositio manuum, & forma in illis verbis: Accipite Spiritum Sanctum, &c.

10 In dubium etiam movetur, an recte ordinatus sit, qui fortassis per incuriam aut distractionem materiam Ordinationis v.g. calicem aut librum realiter & physicè non attigit? Quidam negant, eò quod verbum accipe, prolatum ab Episcopo in traditione materię significet jussum capiendi, tangendi, &c. Verum quamvis curandum sit, ut juxta ritum Ecclesiæ materia contingatur, si tamen contacta non fuerit, dummodo per Episcopum exhibita, probabilis videtur, quod docet Laym. in Theol. mor. de sacramento Ordinis. cap. 5. num. 4. Ordinem nihilominus rectè collatum esse, quia nec ex divinâ, nec ex humanâ lege habetur, contactum physicum ad substantiam Ordinis requiri. Illud verbum, accipe, potest & debet intelligi in sensu juris de acceptione potestatis ministrandi. Ita in simili traditio dominii, quod venditor habuit in domo vendita, potest fieri ostensa solum domo, & datâ licentiâ capiendi possessionem. L. clavibus. 74. & ibi DD. ff. de Contrah. empt.

ENGEL
 ...
 ...
 ...

Ordinis S. Benedicti similia habere, non audeo S. Pontificem erroris arguere, cum sententiam affirmativam doceat Gloss. & Panorm. n. 9. inc. 4. de *Consuetudine*. & saltem quoad Subdiaconatum, & Diaconatum (de Presbyteratu autem communior sententia refragatur, nec exemplum aliquod habetur) tanquam probabile admittit Barb. in eodem c. 4. sub n. 5. si enim potest summus Pontifex Abbatem vel Sacerdotem habilitare ad consecrationes Ecclesiarum, Altarium, confirmationes Baptizatorum, ut similia exempla in confesso, & frequentia sunt, cur non etiam ad ordinationes: siquidem tam illi, quam isti sint actus Ordini Episcopali reservati; nam licet similes actus sint reservati Episcopis, non tamen reperiuntur jure divino ita reservati, quin ex potestate Papali possint etiam Ordini Sacerdotali (à quo substantialiter non differt Ordo Episcopalis, ut dictum) committi. Concilium autem Tridentinum intelligendum est, quòd ordinario jure ad Episcopos sacrorum Ordinum collatio pertineat.

Porrò non quilibet Episcopus, sed proprius tantum, cui Ordinandus subditus est, Ordines conferre potest. Quot modis autem quis subditus efficiatur in §. seq. trademus.

- 13 In propria quoque solùm Diocesi Episcopus Ordines conferre debet: quamvis enim ordinatio sit *voluntaria* jurisdictionis, quæ regulariter etiam extra territorium rectè exercetur, ut notatur in l. 2. ff. de *Offi. io Proconsulis*, specialiter tamen ad conservandos Diocesium limites, & propriam cujusque Episcopi auctoritatem, statutum est in Tridentino *sess. 6. de Reform. cap. 5.* ut nulli Episcopo cujusvis privilegii prætextu liceat pontificalia in alterius Diocesi exercere, nisi de Ordinationis loci expressâ licentia; aliàs Episcopus

ab exercitio Pontificalium, & ordinati ab executione Ordinum sint pio jure suspensi. Ad tempora ordinationum quod attinet, sciendum est, *quatuor minores Ordines* quolibet die Dominico, aut festo conferri posse *cap. 3. hoc tit.*

*Major*es Ordines tantum Sabbatis quatuor temporum, item Sabbato Passionis & Sabbato sancto conferuntur. *d. c. 3. cap. fin. & ibi Gloss. dist. 75.* ob causam tamen rationabilem, v.g. ob multitudinem ordinandorum, infirmitatem ordinantis vel ordinandi &c. non est prohibitum ordinationem in diem Dominicam differre, vel continuare, si jejunium in Sabbato eousque fuerit extensum, quia tunc vespera Sabbati, & matutinum Dominicæ in statu Ecclesiastico reputantur pro una die, *arg. cap. literas. 13. & ibi Gloss. hoc tit.* Cur autem potius prædictis temporibus, quam quolibet alio die utcumque festivo sacra ordinatio concedatur? ratio est, ut solemnibus illis jejniis, quæ prædictis temporibus instituta sunt, adjuvantibus etiam fidelium precibus major à Deo gratia ordinandis impetretur, & exemplum Apostolorum, qui cum Paulum & Barnabam ex præcepto Spiritus sancti ad prædicandum gentibus mitterent, prius jejunantes, & orantes imposuerunt eis manus. *cap. quod die. 5. dist. 75.* Quod autem in Sabbato instituat ordinariorum, rationem congruentiæ assignant Barb. de *Offi. Episc. part. 2. alleg. 17. num. 3.* quòd Sabbatum significet requiem & Dei cultum, requies verò à laboribus & negotiis secularibus, atque Dei adoratio Clericis maxime conveniat.

Tempus ordinationis à jure præscriptum, quamvis non sit de substantia Ordinis, & etiam ordinatus extra tempora recipiat characterem, non tamen recipit executionem, & incurrit suspensionem, nisi privilegium

quod aliquod Pontificum ei suffragetur. Et quidem ex Bulla Pii II. quae incipit: *Cum ex sacrorum*: talis suspensio ipso iure incurritur, ut de iure communi probabiliter teneri posset, hanc suspensionem non esse latae sed ferendae sententiae. *arg. cap. cum quidam. 8. & cap. consultationi. 16. hoc tit.* Contra ordinatorem vero nec iure communi, nec in d. Bulla Pii repetitur censura ipso iure statuta, sed per sententiam inferenda. *cap. 2. & d. cap. cum quidam. hoc tit.* Neque Episcopi aliquam de iure generaliter statutam censuram incurunt, nisi specialis illorum mentio fiat. *cap. 4. de Sententia excomm. in 6.* Videbitur forsitan prima fronte in contrarium facere *cap. 8. Trident. Sess. 23. de Reform.* ubi suspensio per annum ordinatori infligitur; sed cum leges poenales strictè sint interpretandae, & dictum *caput 8.* habeat duas diversas dispositiones, idè dicendum, praedicta verba in fine posita ad posteriorem tantum dispositionem de *ordinatione alieni subditi* spectare. Habetur etiam constitutio Sixti V. incipiens: *Sanctum & salutare*: per quam ipsi quoque ordinatores suspensionem incurunt; ea tamen per aham Constitutionem Clem. VIII. quae incipit: *Romanum Pontificem*. revocata est. *Zyp. in Anal. Juris Pont. tit. de Temporibus ordin.*

17 De *absolutione* à suspensione ordinatorum extra tempora dubitatur, ad quem pertineat? Tantum ad Summum Pontificem pertinere arguit textus in *d. c. cum quidam. hoc tit.* & docet Barb. *d. l. n. 15.* ex ea ratione, quod ista suspensio indefinitè prolata sit perpetua, & consequenter *irregularitas*, à qua (nisi casus fuerit occultus iuxta Tridentinum *Sess. 24. de Reform. c. 6.*) nemo praeter Summum Pontificem absolvit. Verum magis mihi placet, quod do-

cet Innoc. in *d. c. cum quidam*. ab hac suspensione etiam absolvere posse Archiepiscopum, quasi ab ipso iure ad hanc absolutionem Summi Pontificis delegatum constitutum, auctoritate *c. consultationi. 16. & ibidem etiam Innoc. hoc tit.* idque non parùm confirmat, quòd in Bulla Pii II. nullo verbo suspensio Sedi Apostolicae reservetur. Quòd verò dicitur suspensionem sine praefixo tempore prolatam, esse irregularitatem, haud facile concederem, neque id aliquo iure probatur; nec est secundum regulas Logicae bona conversio, omnis irregularitas est suspensio sine praefixo tempore, ergo omnis suspensio indeterminata est irregularitas: rectè enim negatur consequentia, cum possit esse, & plerumque sit suspensio indeterminata, ad beneplacitum & arbitrium superioris absolventis. Imò de natura censurae proprie dictae tanquam poenae medicinalis est, ut sine praefixo tempore feratur, sicut in *tit. de Sententia excomm. §. 1. tradidimus*, & in eodem *tit. ex Suarezio docet Zoësius n. 156.*

Circa privilegia, quae subinde vel ipsis 18 ordinatoribus vel ordinatis conceduntur, ad Ordines etiam extra tempora diebus Dominicis, vel aliis festivis conferendos aut recipiendos, notandum est, quòd nomine diei festivi ex probabili sententia, quam cum aliis tenet Barb. *d. alleg. 17. n. 7.* etiam veniat festum chori, quòd sub ritu duplicis celebratur, licet non sit festum fori, quo populus à laboribus cessat.

Sub poena etiam suspensionis prohibi- 19 tum est, ne plures sacri Ordines, vel etiam minores cum Subdiaconatu eodem die recipiantur. *cap. liceras. 13. & cap. dilectus. 15. hoc tit. c. 2. & 3. De eo, qui surti. Ordinem susce.* Trident. *Sess. 23. de Reform. c. 13. in fine.* Estque haec suspensio per dictum *c. 13. & 15.* reservata Pontifici, sicut

ENGEL

113

GIII

726

sicut docent citati apud Barb. in *Collect. ad cap. 13. Trident.* Videtur tamen probabiliter teneri posse cum Gloss. in d. cap. dilectus in fine, & in cap. consultationi. eodem tit. quod ex commissione & auctoritate juris etiam Archiepiscopo absolutio concedatur. Glossa quidem de Episcopo loquitur, sed debet intelligi de illo Episcopo, cui dictum cap. consultationi. inscribitur, quem fuisse Archiepiscopum inspicienti inscriptionem patebit. Episcopus enim ordinans cum sit author delicti, non convenit, ut in eodem delicto Judex constituatur. cap. diversis. §. in fine. de Clericis Conjug. Cetera etiam, quae in lib. V. in Tit. de Sententia excomm. ad incurrendam censuram requiruntur, hic attendi debent.

Consuetudinem quoque in quibusdam locis practicantem, ut eodem die, vel eadem ordinatione alicui quatuor minores, & subdiaconatus conferantur, non esse contrariam Tridentino, quod tantum de duobus sacris Ordinibus loquitur, quamvis sit contraria juri communi, & propterea excusare a censurâ cum Navarro in *Manuali Confess. cap. 25. num. 71.* communiter admittunt Doctores.

20 Præterea de jure Concilii Tridentini d. *sess. 23. cap. 13. & 14.* statutum est, ut in Ordinibus conferendis certa temporum interstitia serventur, neque Diaconus ordinetur, qui non prius per annum in subdiaconatu, neque Presbyter, qui non similiter per annum in Diaconatu versatus fuerit. Minores etiam Ordines non omnes eodem die, sed per temporum interstitia (saltem arbitrio Episcopi, cum determinata non sint) conferri mandavit Tridentinum d. loco cap. 11. Potest tamen Episcopus, si ita Ecclesiae expedire viderit, hæc interstitia tam majorum quam minorum Ordinum remittere, & circa minores Ordines consuetudo passim obtinuit, ut nulla interstitia serventur,

sed simul eadem die conferantur, quod etiam ante Tridentinum licuisse, & practicum fuisse docet Glossa in cap. 3. in V. ad minores. hoc tit. Vallensis eodem tit. n. 7. Quæ quidem consuetudo in minoribus Ordinibus tolerari potest; sed quod etiam in plerisque Dioccesibus ad majores Ordines trahatur, & passim sine delectu personarum, ac necessitate Ecclesiae ne dum intra annum, sed etiam intra unam quadragesimam omnes sacri Ordines alicui conferantur. & in Sacerdotem, ac Magistrum vitæ spiritualis promoveatur, qui vix discipulus esse cepit, nec mundanos mores deposuit, plurimum videtur repugnare debitæ dispositioni ad Sacerdotale officium, & salubri, utique ex malis effectibus ob tam propterea ordinationem natis provenienti constitutioni Concilii Tridentini ac consequenter vix rationabile censeretur potest.

Præter Episcopum etiam Vicarius generalis, & Capitulum sede vacante illis saltem catibus, quibus literas dimissorias, vel alieno Episcopo licentiam ordinandi dare possunt (quod in sequenti §. trademus) ex causa in interstitiis dispensant.

Abbatem, quamvis cum suis Religiosis super interstitiis dispensare nequeant (exceptis interstitiis minorum Ordinum) sed id ad Episcopum pertineat, debet tamen Episcopus quoad causam dispensationis formare iudicium suum ex attestazione ipsorum Abbatum, quia ad hos primò spectat judicare de Religiosis suis, & utilitate Ecclesiarum suarum. Barb. de *Offic. Episc. alleg. 18. num. 6. & 10.*

Quod si ex aliena Diocesi aliquis cum literis dimissoriis adveniat, in quibus non est dispensatum super interstitiis, non potest de jure Episcopus ordinans dispensare sine proprii Episcopi consensu; tum quod dispensatio sit actus jurisdictionis, qui in proprios tantum, non alienos subditos rectè exer-

§. III.

De Qualitate Ordinandorum.

SUMMARI.

21. Ordinandus debet esse baptizatus & confirmatus.
22. Confirmationis Sacram: potest aliquando dari alieno subdito.
23. Ordinandus debet esse mas non femina, & ibi, quid olim Presbyteria, Diaconisse, &c.
24. Infanti valide confertur ordo, sed non licite.
25. Ordinandus debet esse subditus ordinantis, & quot modis aliquis dicatur subditus?
26. Ratione Originis ubi suscipiantur Ordines?
27. Ubi ratione domicilii?
28. Ubi ratione beneficii?
29. Ratione triennalis familiaritatis seu commensalitates qualiter quis ordinari possit?
30. Ubi ordinandus, qui nullam ex predictis causam habet.
31. In recipiendis Ordinibus an liceat variare Episcopos?
32. Ordinatur a Papa ab alio sine ejus licentia ordinari non potest.
33. Exempti a quo ordinandi?
34. Novitij ubi ordinandi?
35. Ordinantis alienum subditum pona,
36. Dimissorias quis concedat?
37. Archidiaconi qui dicantur?
38. Dimissorie non expirant morte concedentis.
39. Dimittendus prius examinandus, si presens sit.

Pures qualitates in ordinandis desiderantur. I. Ut sit *baptizatus*, qui Ordines suscipere cupit, est enim Baptismus janua ad Ecclesiam, & Ecclesiastica Sacramenta, quæ sine eo nec licite, nec valide suscipiuntur, *toto tit.* & ibi Interpretes, de *Presbytero non baptizato.*

II. Ut sit *confirmatus*. Tridentinum *Sess. 23. de Reform. cap. 4.* omitta tamen confirmatio non vitiat Ordinem, quia non est substantialis; & potest aliquando conferri alieno subdito ab ordinante ex præsumpta licentia proprii Episcopi, veluti si quis cum dimissoriis veniat ad ordinationem, qui non sit confirmatus. *Laym. in Theol. mor. de Sacramento confirm. cap. 6. n. 2.*

exercetur; tùm etiam, quòd ad proprium Episcopum pertineat judicare, an dispensatio sine Ecclesiæ vel salutis ordinandi concedatur, atque ita communiter servari, & à sacra Cong. Cardinalium decisum refert Piacentius in *Praxi Episc. parte 1. cap. 1. n. 11.* Unde & stilus est, ut dimissoriis inferatur clausula: *etiam non servatis interstitiis, super quibus tecum dispensamus.* Non obstat, quòd ordinandus in se proroget jurisdictionem ordinantis: quia prorogata jurisdictione sine consensu proprii Judicis non habet locum, ubi agitur de jure superioris, & in causis spiritualibus, vel causa Ecclesiæ aut animæ. *arg. cap. si diligenti. 12. de Foro comp. Zerola in Praxi Episc. V. Vicarius. in dub. 5. circa finem.*

Sed quid, si de consuetudine universim in illa Diocesi, ex qua ordinandus advenit, non serventur interstitia? *xy.* per superius dicta, talem consuetudinem potius esse corruptelam, & reprobendam quam observandam. Interim non videtur prorsus improbabile, quin saltem ex tali consuetudine possit præsumi de consensu proprii Episcopi, & per aliquam *Epychetam* dari dispensatio, si ordinandus legitimas causas haberet, ob quas per interstitia expectare non posset: quando enim consensus non est de forma substantiali actus (sicut ex communi est consensus proprii Parochi, si alienus Sacerdos velit matrimonio assistere) tunc ordinari etiam consensus rationabiliter præsumptus sufficit.

Demùm circa interstitia notandum, quòd annus interstitialis non debeat mathematicè computari, ut præcisè contineat 365. dies, sed Ecclesiasticè v. g. de prima ordinatione Quadragesimæ ad eandem ordinationem anni sequentis, licet anno sequenti Quadragesima citius veniat. *Riccus in Praxi murea. p. 4. resol. 213.*

23 III. Ut sit *mas non femina*: Clericatus enim quædam dignitas, & præ eminentia est inter ceteros fideles non conveniens mulieribus, quæ teste Apostolo. *1. ad Corinth. 14.* debent esse *viris subdita*, & *turpe est eis in Ecclesia loqui &c.* multò proinde magis indecens, viris divina ministrare. Hinc est, quòd licet *beatissima Virgo* quantum ad Sanctitatem fuerit *excellens omnibus Apostolis, non tamen illi, sed istis claves Ecclesie à Christo commisse sint*, sicut dicitur *in cap. nova. 10. de Penit. & remiss.* Imò adeò mulieribus interdictum est Ecclesiasticis ministrare, ut de jure intra Cancellos altaris consistere, aut Presbytero ministrare, vel sacra vasa contingere non audeant, licet Sanctimonialia sint. *cap. 1. in fine. de Cohabitat. Clericorum, & mulierum. cap. sacrat. as. 25. dist. 23. cap. in Sancta. 51. cap. vestimenta. 52. dist. 1. de Consecrat.* Frequens quidem in statu primitivæ Ecclesiæ mentio est, *Presbyterarum, & Diaconissarum*, attamen hæc appellatio non ab Ordine aliquo proveniebat, sed quòd essent uxores Presbyterorum, vel Diaconorum ante Ordinationem ductæ, quæ postea cum suis viris in perpetua continentia vivebant. *cap. Presbyter. 18. dist. 32.* Item & viduæ seniores perpetuis orationibus deputatæ Presbyteræ olim dicebantur. *cap. ult. dist. 32.* Diaconissarum quoque nulla fuit olim ordinatio, sed ob majorem decentiam, & honestatem præerant foribus Ecclesiæ, per quas ingrediebantur mulieres, & foemellas in Baptismo sustentabant. Videatur Bellarm. *de Pontificatu Romano. lib. 3. cap. 24.*

24 IV. Ut sit capax rationis & non minor septennio, infanti enim quamvis validè conferatur ordo, ut ex Divo Thom. cum communi tradit Sylvest. *verbo Ordo. 4. sub n. 1.* non tamen licitè. *cap. nullus Episcopus,*

4. & ibi Gloss. hoc tit. in 6. quænam verò sit legitima ætas ad singulos Ordines, inferius in *Tit. de Ætate & qualitate &c.* dicemus.

V. Ut non sit illegitimè natus, obligatus, corpore vitiatas, infamis, vel alio modo irregularis, de quibus in seqq. tit. agemus.

VI. Ut sit subditus Episcopi ordinantis & de hoc requisito cum compilatore in hoc §. tractandum. Quilibet igitur à proprio suo Episcopo ordinandus est, aliàs Episcopus alienum subditum sine literis dimissoriis scienter vel affectatà ignorantia ordinare præsumens à collatione Ordinum per annum, & sic ordinatus ab executione Ordinum susceptorum, quamdiu proprio ordinario videbitur, ipso jure suspensus est. Licentia etiam datur omnibus subditis talis Episcopi suspensi, ut suspensione ejus manifestatà, & durante, liberè à vicinis Episcopis sine literis etiam dimissoriis valeant Ordines accipere. *cap. 2. hoc tit. in 6. Trident. Sess. 23. de Reform. cap. 8. Bulla Pii II. Cum ex sacrorum &c.*

Sunt autem de jure quatuor modi prodicti, ex quibus aliquis subditus Episcopi quantum ad Ordines recipiendos censetur. Nimirum: I. ratione *Originis*. II. ratione *Domicilii*. III. ratione *Beneficii*. & IV. ratione *triennalis familiaritatis*, seu *commensalitatatis* cum Episcopo. *cap. 1. & 3. hoc tit. in 6. Tridentinum d. Sess. 23. cap. 9.*

Ratione *Originis* potest quisque ordinari in loco, ubi natus est, licet alibi domicilium; aut beneficium possideat. *d. cap. 3.* dummodo sit natus ex constituto ibidem parentum domicilio; qui verò in aliquo loco nascitur in transitu, & peregrinatione parentum, non ibi, sed in loco domicilii, vel beneficii, aut etiam in loco paternæ originis ordinari debet, vel in loco originis mater-

terna: si fuerit naturalis tantum, siue illegitimus, casu quo ad Ordines legitimaretur. *L. 1. §. 2. L. ejus. 9. ff. Ad municipalem.* quia filius naturalis non paternam, sed maternam originem sequitur. Riccius *in Praxi aurea. parte 1. resol. 269.* Præterea quia textus *in dicta cap. 3.* non præcisè dicit, aliquem in Diœcesi debere esse ortum, sed *oriundum*, idè Doctores communiter cum Riccio *d. loc. num. 4.* docent ordinari filium posse in loco paternæ originis, licèt ipse alibi natus sit. *Arg. L. Assumptio. 6. §. 1. ff. Ad municipalem.* addunt tamen exceptionem, si modò filius non fuerit conceptus, atque natus postquam pater ejus locum originis deseruit, domicilium alio transferendo: ob quam exceptionem vix aut rarò potest dari alius casus, quam ille, quem mox de filio nato in transitu posuimus, ut consideranti patebit.

27 Ratione domicilii recipiuntur Ordines ab Episcopo, in cujus Diœcesi ordinandus habitationem perpetuam constituit: dico, perpetuam: nam aliud est *quasi domicilium*, siue habitatio tantum temporalis ad plures annos, vel etiam saltem ad majorem anni partem, v. g. certi negotii expediendi causa, quod licèt ad percipienda alia Sacramenta sufficiat, ad Sacramentum tamen Ordinis ex concordia Doctōrum sententia verum domicilium requiritur.

Constituitur autem verum Domicilium *animo & facto*: *animo* nimirum perpetuò permanendi in loco (perpetuitate saltem proposito, quamvis ex post facto hoc propositum sicut & domicilium mutari possit) & *facto*, scilicet capiendo possessionem, transferendo res suas *L. Domicilium. 20. ff. Ad municipalem. L. ciues. 7. C. de Incolis.* Neque hic certi alicujus temporis lapsus ad constituendum domicilium requiritur, sed primà etiam die constitutum censetur, quo

quis in locum animo perpetuò habitandi advenit. Panorm. *in cap. fin. de Parochiis.* Sanch. *de Matr. lib. 3. disp. 23. num. 2.* & communiter alii. Quod verò Imperator *in l. 2. cap. de Incolis.* scribit, eos, qui studiorum causâ in aliquo loco morantur, domicilium ibi non habere, nisi 10. annis transactis eo loco sedem sibi constituerint; non est intelligendum, quòd ad constituendum domicilium requiratur *decennium*, vel ex decenniali habitatione constitutum censetur, sed quòd ex lapsu tanti temporis præsumptio juris de constituto domicilio oriatur, nisi aliunde appareat *de animo*, v. g. post absoluta studia discedendi, quem textum cum Gloss. *in d. l. 2.* ita interpretatur Sanch. *d. l. num. 1.* consentientia enim quancunque temporis in loco non facit verum domicilium, si *animus* perpetuò habitandi absit, teste Barb. *de Offic. Episc. alleg. 4. num. 25.*

Ratione beneficii ordinari quis potest ab Episcopo, in cujus Diœcesi beneficium possidet. *cap. cum nullus. 3. hoc tit. in 6.* Porro cum textus non distinguat inter qualitates beneficii, existimant Doctores, nec nos distinguere debere, *arg. L. de pretio. 8. ff. de Publiciana.* & idè probabiliter docent, obtinentem beneficium, quod certum tantum ordinem, fortè subdiaconatum requirat, licèt personalem residentiam non habeat, vel tenuè & modicum sit, in loco illius beneficii ordinari posse. Quia beneficium quodcunque tribuit Episcopo jurisdictionem in beneficiatum, & locum facere videtur. *d. cap. cum nullus.* generaliter & sine distinctione loquendi, præsertim in materia tali, quæ ordinanti & ordinato est favorabilis. Riccius *in Praxi aurea. parte 1. resol. 27. & 272.* Barb. *ad Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 8. num. 22. cum pluribus ibidem cit.*

29 Ratione demum *Triennalis familiaritatis* potest Episcopus ordinare sibi aliàs non subditum, qui per triennium in ipsius familia, sive seruitio ejus sumptibus vixit, & ita quasi commensalis fuit. Trident. *Sess. 23. de Reform. cap. 9.* quia tamen Concil. mandat, ut Episcopus tali familiari ordinato quamprimum beneficium conferat, ideo Episcopus *Titularis*, & qui nullam Diocesin actu habet, pratextu triennalis commensalitatatis neminem ordinare potest, cum ipsi beneficium aliquod nequeat conferre, & generaliter omnis ordinatio alieni subditi sine licentia proprii Prælati his Episcopis *titularibus* interdicta est in eodem Concil. Trident. *Sess. 14. de Reform. c. 2.*

Ceterum quamvis requiratur, quòd hoc triennium continuò cum Episcopo transactum sit, nec sufficiat si familiaris in alio loco (nisi forsitan modico tempore) sumptibus Episcopi vixerit, cum aliàs Episcopo non possint esse satis cogniti mores ordinandi, ob quam rationem Concil. ordinationem familiaris potissimum indulsit: non tamen requiritur, quòd illud triennium cum Episcopo, ut Episcopo, transactum sit; sufficit, si inceptum sit ante Episcopatum, dum Episcopus adhuc Canonicus erat. Riccius *in Praxi aurea, p. 1. resol. 276. & 278.* Illud quoque communiter notant Doctores, quòd Episcopus cum familiari suo aliàs non subdito in interstitiis vel aliis impedimentis Canonicis nequeat dispensare, nisi prius aliquod ei beneficium conferat, ex quo tanquam in subditum Ecclesiasticam veram jurisdictionem consequatur. Riccius *d. l. Barb. de Officio Episcop. 2. alleg. 5. num. 14.*

30 Quid, si quis nec domicilium originis (paternæ vel avitæ, quia & pater & avus yagi fuerunt) nec proprium, nec beneficium, nec triennem familiaritatem cum Episco-

po habeat? Talem probabiliter ordinari posse in illa Diocesi, in qua invenitur, quia non est magis subiectus uni, quam alteri Episcopo. Tiberius *in Instrucl. ordin. c. 7. quæst. 46.* natus verò vel habitans in loco nullius Diocesis à viciniori Episcopo ordinandus. Tiberius *diel. 1. Piasezius in Praxi Episc. p. 1. c. 1. n. 10.*

Disputant etiam Doctores, an si Clericus v. g. Subdiaconatum receperit ab Episcopo *originis*; liceat ipsi variare, & reliquos ordines ab Episcopo *domicilii* vel *beneficii* recipere? pro negativa, quam tunc Riccius *d. l. resol. 275.* facit, quòd regulariter concessa electione, & re non amplius integrâ denegetur variatio; veluti contractus ab initio omnes sunt liberae voluntatis & electionis, postquam autem contractum est, sunt necessitatis, & non datur variatio. *L. sicut. 5. C. de Obligat. & act.* Relinquatio beneficii libera est, facta autem invariabilis, ut in tit. *de Renunciatione* traditur. Nihilominus cum hic simus in materia favorabili, ubi de extensione potestatis Episcopalis, & exultatione à censuris mala ordinationis agitur, contrarium satis probabiliter teneri potest cum Francisco Zypeo *in Consult. Canon. Tit. de Etate & qualitate ordinand. Consult. 3. Zoëlio hoc tit. n. 26.* eò quòd in jure talis variatio circa Ordines prohibita non inveniatur, & textus sine distinctione *ex allegatis quatuor causis* ordinationem concedat. Quòd verò opponitur, electione permisâ variationem esse prohibitam: intelligendum est, circa eandem materiam & subiectum, non circa diversa; ordo ab ordine verò numero & specie distinguitur. In simili, qui Titulum convenit in loco contractus ob debitum, non prohibetur utique eundem convenire in loco rei sitæ, vel domicilii ob prædium &c.

Speci-

Speciale est in ordinato à Summo Pontifice, quod ab alio sine ejus licentia ordinari non possit: sicut traditur in c. in distribuendis. 12. hoc tit. idque ob specialem reverentiam ordinantis; unde & tali ordinato, quamvis non sit à jurisdictione Episcopi exemptus, debetur tamen, inter ceteros Clericos major honor. c. per tuas. 7. de Majoritate & obedientia.

33 Regulares etiam Ordinum exemptorum debent recipere Ordines ab Episcopo Diocesis, in qua illud Monasterium est situm, vel à viciniori, si locus sit nullius Diocesis; si vero Episcopus Diocesanus non habeat Ordinationes, licet Abbati vel superiori Regulari dare dimissorias ad quemcunque alium Episcopum. Ita in hac Diocesi servatur, & de mandato, Clementis VIII. à sacra Cong. declaratum refert Tamburinus de Jure Abbatum. tom. 2. disp. 2. quest. 25. n. 3. Barb. ad Conc. Trident. Sess. 23. de Reform. c. 10. n. 11. In quibusdam tamen locis hæc declaratio circa monasteria exempta non est usu recepta, & practicatur sententia Navarri hoc tit. Consilio 36. quod dimissorias concedere simpliciter ad Abbatem exemptum pertineat; tum quod superior exemptus sit proprie ordinarius habens Jurisdictionem quasi Episcopalem in subditos Regulares; tum etiam quod in Trident. d. c. 10. tantum prohibeatur Abbatibus exemptis, ne dimissorias subditis secularibus concedant; unde à contrario recte inferri videtur, quod Regularibus subditis concedere valeant. Non obstat illa clausula consilio Navarri in fine ab aliquo extraneo (ut diversitas characteris arguit) annexa, quod hoc sit intelligendum; si Prælati habeat privilegium; nam rationes Navarri non loquuntur de privilegio, sed de jure communi, & supposito privilegio nulla est dubitandi ratio.

Novitios Monasteriorum posse ordinari in illa Diocesi, in qua novitiatum agunt, licet alibi sint nati, valde probabiliter cum Riccio, & aliis docet Barb. de Officio Episcopi. p. 2. alleg. 4. n. 36. quia ingrediens Monasterium animo faciendi professionem, & perpetuo ibi manendi satis convenienter dici potest ibidem domicilium constituisse, unde & quoad competentiam fori, privilegium Canonis, aliosque juris effectus ordinariè de corpore Monasterii censetur. Nec refert, quod Novitius possit redire ad sacellum; debet enim attendi principalis intentio faciendi professionem, prout non ideo minus verum Domicilium est, quod ex post facto contra primam intentionem mutari potest.

Potest Episcopus alienum Diocesantum, qui ex quatuor recensitis modis sibi subiectus non est, absque literis dimissorias ordinare non potest licite (quamvis valide) alias pœnam suspensionis à collatione ordinum incurrit, nisi ignorantia probabili (v. g. ex assertionem aliorum credendo ordinandum esse de sua Diocesi) vel bonâ fide & præsumptâ ratihabitione proprii Prælati excusetur; recte tamen moneat Barb. de Officio Episcopi parte 2. all. g. 8. num. 4. non esse facile aliquem extraneum ordinandum sub spe ratihabitionis, quia in his, quæ tangunt alterius jurisdictionem, non est facile præsumenda ratihabitione, & ne sub hoc colore passim alieni subditi ordinentur.

Dimissorias concedere potest omnis Episcopus, qui ex quatuor causis allegatis potest ordinare, juxta regulam, quod quis per alium facit &c. nisi fuerit excommunicatus, tunc enim dimissoria ejus non valent, sed subditi sine his ab alio Episcopo ordinari possunt. c. 2. hoc tit. in 6.

Vicarius Episcopi siue speciali mandato dimittit

ENGEL

1715

III

726

dimissorias concedere nequit, nisi Episcopus in remotis agat. *cap. cum nullus 3. hoc tit. in 6.* ubi Gloss. dicit, Episcopum in remotis censerit, si sit extra provinciam, vel ultra duas dietas a loco residentiae. Sede vacante Capitulum, vel is, ad quem tunc temporis pertinet Spiritualium administratio, dimissorias concedit. *d. c. 3.* sed hodie Concil. Trident. *Sess. 7. de Reform. c. 10.* constituit, ut cujusvis privilegii, aut consuetudinis vigore non liceat Capitulis infra annum a die vacationis dimissorias concedere, nisi *arctatis beneficii recepti, aut recipiendi causa*; quando nimirum beneficium certum Ordinem requirit, ejus susceptio ultra annum differri non potest. Huic constitutioni Capitulum contraveniens subjacet Ecclesiastico interdicto, & ordinatus, si in minoribus est, non gaudet privilegio Clericali; si in majoribus, est ipso jure suspensus ad beneplacitum futuri Praelati.

37 Memini persapè quaesitum, an *arctatus* dici possit, qui licet non speret beneficium, expectat tamen certè aliam conditionem ad honestam sui sustentationem, quam non nisi habitis ordinibus obtinere potest? putarem affirmativam ex paritate rationis in theoria valdè probabiliter sustineri posse. *arg. l. 12. & 13. ff. de LL.* maxime in Germania, ubi raro ad beneficia, potius verò *ad titulos mensae* (ut vocant) ordinantur Clerici, & aliunde sibi de necessariis providere debent. Praeterea hic agitur de modico praedjudicio futuri Episcopi, è contra de magno commodo & necessitate ordinandi, ac amplianda potestate Capituli, ergo prohibet, interpretationem favorabiliorem facere *cap. adia 15. de Reg. 1. in 6.* ut beneficii nomine largius sumpto & per Episkiam seu benignam interpretationem ex bono & aequo,

quae rigori est preferenda, *l. placuit. §. C. de Judicis.* intelligatur etiam alia gratia, vel conditio, sustentatio, aut alimentatio benevolè oblata, quae in effectu & ratione finis (qui est servitium in divinis, & alimentatio Clerici) beneficio comparari potest; quemadmodum idem Concilium Trident. *Sess. 21. de Reform. cap. 2.* constituit, ne quis sine *beneficio pacifice possesso* & ad victum honestum sufficienti ordinetur, & tamen passim in Germania ad *solum titulum mensae* (qui utique beneficium propriè non est, ut in *lib. 3. tit. de praebend.* videbimus) Clerici ordinantur. Idem putarem de privilegiis ordinandi extra tempora, quae respectu *arctatorum* conceduntur, quia tamen hujus sententiae auctorem haecenus ad manus non habeo, Ordinariorum judicio relinquo, quid in praxi tenendum arbitrentur.

Litterae *dimissoriae* ab Episcopo Vicario vel Capitulo semel concessae non expirant, licet per mortem vel alium casum beneficium concedentis cesset, nisi expressè per successorem revocentur, sunt enim gratia & privilegium, quod non expirat morte concedentis. Zabarella communiter receptus in *Clem. fin. de Elect. post n. 9. quæst. 5. Gonzal. ad Reg. 8. Cancell. Gloss. 12. num. 36.*

Demùm licet ex Trident. *Sess. 14. de Reform. c. 3. & Sess. 23. c. 3.* Episcopus ipse qui dimissorias concedit, dimittendum prius examinare & approbare debeat, hoc tamen intelligendum videtur, si dimittendus aliàs in loco consistat, & dimittatur, quia Episcopus impeditur ordinationes habere; si verò dimittendus absens sit, nec facile ad suum Episcopum accedere valeat, usus obtinuit, ut Examen committatur Episcopo ordinanti, ejusque desuper conscientia oneretur.

TITULUS XII.
De Scrutinio in Ordine
Faciendo.

SUMMARIA.

1. Scrutinium quid, & quotuplex?
2. In Scrutinio que examinanda?
3. A hereticis eorumque fautoribus descendentes ordinari prohibentur.
4. Filii quare puniantur in heresi, & laese majestatis crimine?
5. Judæi, & gentilium liberi cur non prohibeantur ordinari?
6. Ordinandi que scire debeant.
7. Neophytus quando ordinari possit?
8. Tertium scrutinium quale?

Scrutinium à scrutando, sive interrogando dicitur examen ordinandorum, idque triplex est, primum & secundum, quod ante ordinationem, & tertium, quod in ipsa ordinatione peragitur. Primum habetur ex decreto Concil. Trident. Sess. 23. de Reform. cap. 5. ubi statuitur, ut hi, qui ad singulos majores Ordines sunt assumendi, per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus ac desiderio eorum publice in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, Ætate, moribus, & vii a fide dignis diligenter inquirat, testimonium inquisitionis mox ad Episcopum transmittat. quod licet in Germania non receperit, expediret tamen tam salubrem constitutionem observare, ut secundum præceptum Apostoli nemini citò manus imponatur. priusquam de ipsius statu, vita & moribus sufficientis informatio habeatur.

Alterum Scrutinium est, quod Episcopo secundum statuta antiquorum Canonum d. ff. 24. & Trident. d. Sess. 23. cap. 7. in

cumbit, ut omnes ad ordinem accedere volentes seriâ quartâ ante ipsam ordinationem, vel quando Episcopo videbitur, ad civitatem evocentur. Episcopus autem Sacerdotibus aliisque peritis viris sibi adjunctis ordinandorum genus, personam, atatem, institutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter investiget, & examinet. Singula, quæ SS. Canones & Trident. examinari volunt, breviter percurramus.

Itaque ad examen generis pertinet inquirere, an ordinandus sit ex genere maculato circa fidem; quia sacri Canones ab ordinibus excludunt descendentes ab hæreticis, ac fautoribus, & defensoribus eorundem, usque ad secundum gradum per lineam masculinam, & usque ad primum per fœmininam, nisi eorum parentes ante mortem poenituerint, & Ecclesia reincorporati fuerint. Barb. in collect. ad Trident. d. c. 7. n. 5. & hæc hæresis pœna est, quæ ad instar criminis læsæ Majestatis etiam in filius punitur. cap. vergentis. 10. de Heret. L. quisquis. 5. Cod. Ad L. Juliam Majest. tum ad execrationem sceleris, ut parentes saltem in pœna filiorum terreantur; tum etiam, quod filii interdum hæreses non tantum bonorum, sed etiam vitiorum paternorum præsumantur, ideoque puniantur sine culpa sua quidem, sed non sine causa. In Germania tamen ubi hæresis licentiosius grassatur, non est tam accurata hujus pœnæ observatio, dummodo descendentes ex hæreticis ipsi probi Catholici reperiantur.

Judæi autem & gentiles per januam baptismi nunquam in Ecclesiam ingressi, sicut extra jurisdictionem Ecclesia constituti ob infidelitatem puniri nequeunt, ita etiam eorum liberi à sacris Ordinibus non prohibentur.

In persona examinatur ordinandus, sitne servus, obligatus, bigamus, legitimus,

ENGEL
...
...
...
...

aut corpore vitiatas, ut in sequentibus tit. videbimus. Item de etate ordinandi & institutione. (id est titulo, Gloss. in cap. quando, dist. 24.) in Tit. de *Etate & qual.* tractabimus.

Mores probare debet ordinandus per testimonium Parochi & Magistri scholæ, juxta Trident. Sess. 23. cap. 5. Unde infamia Juris aut facti laborantes, & publicè poenitentes ordinari prohibentur. cap. fin. de *Tempor. ordinandorum. cap. ex poenitentibus. ss. dist. 50.*

6 *Doctrina* requiritur excludit illiteratos. cap. fin. de *Etate & qualitate. cap. illiteratos. 1. dist. 36.* ad primam tonsuram sufficit, si ordinandus fidei rudimenta, item legere & scribere (quod de materna tantum lingua, cum Concilium aliam non expresserit, Doctores intelligunt) sciat.

Ad alios minores Ordines promovendi præter latinam linguam (quam in specie requirit Trident. Sess. 23. cap. 11.) etiam quæ sui sunt Officii nosse debent, nimirum, quod ad ostiarium spectet Ecclesiam custodire, dignos admittere, indignos excludere: ad Lectorem sacræ lectione fidelium animos ad pietatem excitare: ad Exorcistam super energumenos, & catechumenos invocare: ad Acolythum lumina, vinum & aquam ad sacrificium deferre.

Ad sacros Ordines assumendi scire debent ea, quæ exercendo eorum Ordini conveniunt, ut quod Subdiaconus in solenni officio calicem ad altare deferre, Epistolam canere, & juxta ritum Ecclesiæ mediante Diacono in altari ministrare, præterea etiam ad deferendum habitum, & tonsuram Clericalem, recitandum

Breviarium: & servandam castitatem ex voto sacris Ordinibus annexo obligatus esse debeat. Quod ad Diaconum spectet, Sacerdoti solemniter celebranti immediate in omnibus ministrare, Evangelium canere, populo prædicare, aliquando etiam ex commissione Sacerdotis instante causæ necessitatis, ubi Sacerdos præsens non est, baptizare, etiam solemniter. Ad Presbyteratum denique talis scientia requiritur, ut ordinatus Sacramenta administrare & populum in his, quæ ad salutem scitu necessaria sunt, instruere valeat. Trident. d. l. cap. 13. & 14.

Circa *vitam* requiritur, ut ordinandus non tantum alienus ab Ecclesia Catholica, sed etiam *neophytus*, hoc est recenter conversus non sit, erit tamen penes arbitrium Episcopi, conjicere ex moribus, & pietate conversi, intra quantum tempus noviter conversus inter veteranos Christi milites, & ad Ordines dignos censei possit, teste Covar. in *relect. Clem. si in iohis parte 2. §. 2. n. 7. vers. tertia conclusio.*

Tertium demum scrutinium, quod fit in ipsa ordinatione, & de quo loquitur cap. un. hoc tit. illud est, quando Episcopus in actu ordinationis querit, utrum ordinandi digni sint, ut ad Ordines assumantur? cui questioni olim quidem respondebat Archidiaconus (ad cuius officium spectabat ordinandos examinare, & ad Ordines Episcopo præsentare) quod *quantum humana fragilitas nosse sine, sciat & restificetur illos dignos esse.* Verum id ipsum hodie in desuetudinem abiit, & usus obtinuit, ut Capellanus vel Diaconus Episcopo ordinanti ministrans loco Archidiaconi per illa verba respondeat.

TITULUS XIII.

De Ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatu, vel ab Excommunicato.

SUMMARIUM.

- 1. Episcopus renunciare potest vel loco, vel dignitati.
- 2. Leo tantum renunciandi retinet potestatem ordinandi, si ab alio invitetur.
- 3. Qui defecto tantum loco pulsus est, nihil juris amittit.
- 4. Renunciandi dignitati, licite ordinare non potest exceptis minoribus Ordinibus, si fuerit invitatus.
- 5. Ordinatus ab excommunicato recipit quidem Characterem, sed non executionem, & quis possit absolvere.
- 6. C. 1. d. 1. cauf. 9. q. 1. explicatur.
- 7. Defensio Gratiani interpretatio.
- 8. Episcopus in hac parte lapsus, & necdum denunciatus an retinea executionis potestatis suae?

Inter materiam huius tituli praenotandum est, quod duobus modis Episcopus suo Episcopatu renuntiare possit, nimirum loco, vel dignitati. Loco, si v. g. ob hostilitatem aut aëris intemperiem Dioecesi renuntiando dimittat, retineat tamen Episcopalem titulum, & auctoritatem. Dignitati vero, si forsitan ob zelum ingreffiendae Religionis, vel ut praeveniatur depositionem promeritam, ipsum Episcopale officium, nomen ac dignitatem relinquit.

Quod si igitur Episcopus loco tantum cesset, ab alio Episcopo invitatus quoscunque Ordines legitime conferet, nimirum subditis Episcopi invitantis, proprios enim quos habuerat, per renuntiationem à suâ jurisdictione dimittit. Contingit tamen aliquando, quod Episcopus citra renuntiationem, defecto tantum ob metum hostium, vel recuperandam sanitatem extra Dioecesim moretur, quo casu nihil juris in suos subditos amittit, sed eos etiam in aliena dioecesi cum licentia Dioecelani Episcopi (qua

semper ad exercenda Pontificalia in aliena dioecesi requiritur) recte ordinat.

Si dignitati quoque renunciavit Episcopus, Characterem quidem Ordinis Episcopalis indelebilem à se abdicare non potuit, & inde defecto ordinans valide ordinat; sed quia executionem Ordinis ipse amplius non habuit, aliis dare etiam de licentia proprii Episcopi haud potuit; ideo si ab eodem sacros Ordines scienter quis receperit citra summi Pontificis dispensationem, non habebit sui officii executionem; si ignoranter, poterit quidem Episcopus proprius dispensare, nisi crassa & supina ignorantia fuerit. Minorum tamen Ordinum collatio, quae aliquando non Episcopis, veluti Abbatibus competit, cum licentia propriorum Praetorum tali Episcopo renuncianti non denegatur. cap. 1. hoc tit. & ibi Panorm. aliique Doctores.

Similiter etiam dicendum circa ordinatorum ab Episcopo excommunicato, qui characterem quidem, sed non executionem recipiunt, & ideo si per ignorantiam fuerint à tali Episcopo ordinati, poterit cum eis per suos Episcopos dispensari: si scienter, aut ex crassa ignorantia, dispensatio ad summum Pontificem pertinebit; nisi religionem ingreffiatur ordinatus, quo casu proprius Praetatus Ordinis dispensare poterit. cap. 2. & ibi Barb. num. 2. hoc tit.

Quod si Episcopus excommunicatus proprium subditum huius excommunicationis ignarum ordinaverit, tunc dispensatio, inquit Vailensis hoc tit. ad summum Pontificem pertinebit, ne Episcopus videatur dispensare super proprio defectu; sed non est improbabile, quod docet Panorm. in cap. 2. hoc tit. num. 5. quod vel successor Episcopus, vel etiam ipse Episcopus ordinans post absolutionem censurae obtentam id possit, sicut Sacerdos potest

Q. 2


ANGEL
 ...
 ...
 ...
 ...

absolvere peccatum suo mandato commissum. Hodie post Concilium Constantiense observanda est Extravagans Martini V. *Ad evitanda scandala &c.* ex qua Constitutione excommunicatus non denuntiatus, nisi fuerit notorius percussor Clerici, etiam in divinis vitandus non est, sicut hac de re prolixius in *lib. V. in tit. de Sententia excommunicationis* dicemus.

- 6 Præmissis de ordinatione ab Excommunicatione facta, quod imprimat Characterem, videntur ob stare difficiles textus in *cap. 1. 2. & 3. causa. 9. quest. 1.* ubi talis ordinatio omnino nulla, & invalida declaratur: sed dicendum est cum Gloss. & Gratiano *ibidem*, quod hæc capitula non loquantur de quibuscunque excommunicatis, sed tantum de hæreticis illis, qui nunquam Catholici fuerunt, adeoque potestatem ordinandi non acceperunt; vel certe, si de omnibus excommunicatis, aut prolapsis in hæresin loquantur, tunc hæc fuerit quorundam antiquorum Patrum, & Doctorum opinio, posteriori Pontificum & Doctorum censurâ correctâ. Circa hanc quidem interpretationem erroris arguit Gratianum Layman. in *Theol. morali. de Sacram. Ordinis. cap. 9. n. 5.* eo quod similia capitula possint facilius explicari, quod ordinatio sit invalida solum quoad effectum executionis, non quoad impressionem Characteris: at tamen non possum adlipulari viro cæteroque doctissimo, quia in allegatis capitulis expressè dicitur, quod talis ordinatio tanquam à non habentibus potestatem facta pro infecta habenda sit, & per manus impositionem potius vulnus infectum censetur: unde & iterari necesse sit. Si ordinans potestatem non habuit, si reiterari debet talis ordinatio, & habetur tanquam non facta, & vulnus infligens, ergo

non impressit Characterem: indubitatum enim est, quod actus sacramentalis utcumque illicitè factus imprimens Characterem reiterari nullo modo possit, ut inferius in *Tit. de Sacramentis non iterandis* trademus.

Cæterum Episcopus ritè in Ecclesia consecratus retinet Characterem Ordinis Episcopalis, licet in hæresin labatur, & ideo aliquem saltem validè ordinare potest, etiam non licitè, nec executionem dare. Sed utrum ei suffragetur Extravagans: *Ad evitanda*, si denuntiatus non sit, dubitatur? Affirmat Navarrus *conf. 10. de Hæreticis*, quod non fiat exceptio in *d. Extravagante*. In contrarium inclinat Zoësius *hoc tit. num. 4.* eo quod hæreticus amittat jurisdictionem ex duplici causa, scilicet propter hæresin, & propter excommunicationem; unde licet retineat tantisper ob excommunicationem non denuntiatam, non tamen ob hæresin. Hæc posterior sententia est tutior, & ante factum tenenda; post factum tamen videtur ordinatus secundum autoritatem Navarri tolerari posse in Ordine suscepto.



TITULUS XIV. De Ætate, & Qualitate, & Ordine præficiendorum.

§. I.

De Ætate & Titulo Ordinandi.

SUMMARIA.

1. Ætas que requiratur in Minoribus?
2. Que in Majoribus?
3. Annus ultimus sufficit inchoatus.
4. Natus ad initium septimi mensis, censetur legitimus.
5. Quid de defectu unius diei, vel horæ, vel bistoculis?

6. Ord.

- 6. Ordinatus ante legitimam ætatem recipit characterem, sed non executionem.
- 7. Quis si fuerit in bona fide, vel etiam absolutus a suspensione ante legitimam ætatem celebraverit?
- 8. Bulla excommunicationis est tolerabilis ignorantia.
- 9. Ordinatus bona fide ab excommunicato non incurrit suspensionem, quæ sit censura.
- 10. Ordinatus Sacerdos ante legitimam ætatem etiam mala fide, an hoc ipso efficiatur irregularis, quod Episcopo ordinanti concelebrat? Alia Summaria post n. 10.

Traciat quidem Compiler in hoc ut principaliter de ætate, qualitate & ordine eorum, qui dignitatibus præficiuntur, ut tamen in materia ordinationis pergamus, prius de ætate & titulo sive beneficio ordinandi videbimus.

- 1. Ætas alia in majoribus, alia in minoribus ordinibus requiritur, Ad minores quod attinet, communior est Doctorum sententia apud Barb. de Officio Episcopi, parte 2. Alleg. 11. n. 1. quod prima tonsura, Lectoratus, Ostiariatus, & exorcistatus septem, Acolythatus autem duodecim annos completos requirat, sicut colligitur ex textu & Gloss. in c. de iis. 5. dist. 28. & c. in singulis. 2. dist. 77. Si qui autem Canones majorem ætatem in his ordinibus præscribant, ut in c. nemo. 2. dist. 78. illi explicandi sunt, ut loquantur non de receptione, sed de exercitio Ordinum, ut scilicet nullus assumatur ad exercendos illos Ordines, nisi saltem arbitrio Episcopi fuerit in ætate idonea constitutus.
- 2. Subdiaconatus olim annos octodecim, & Diaconatus viginti requirebat. Clem. ult. hoc. tit. hodie autem ex Trident. Sess. 23. de Reformat. c. 12. nullus potest promoveri ad subdiaconatum ante annum ætatis vigesimum secundum, & ad Diaconatum ante annum vigesimum tertium. Sacerdotium olim, sicut & Episcopatus triginta annos desiderabat c. 1. 2. & 4. dist.

78. Exemplo Christi, ut existimant Doctores, qui teste Lucâ, cap. 3. triginta annorum cum esset, incepit prædicare, & docere. Postea verò hæc ætas licet fuerit in Episcopis retenta, in Sacerdotibus tamen ad 25. annos restricta est d. Clem. ult. hoc. tit. & Trident. d. c. 12.

Est autem inter Doctores & in praxi receptum cum Gloss. in d. Clem. ult. quod isti anni in majoribus Ordinibus non requirantur completi, sed sufficiant incepti: quia enim Canones non determinant, utrum anni capti, vel completi esse debeant, in dubio quod favorabilius, & quod minimum est, sequimur, juxta Regulam 30. juris in 6. Barb. in Collect. ad d. c. 12. Trident. n. 2. & cum hac sententia rectè consistunt verba Concilii Trident. quia non ordinatur v. g. ante vigesimum secundum ætatis annum, qui eundem agere inceperit, prout de jure Civili septimo mense natus legitimus partus habetur. L. septimo 12. ff. de Statu hom. tametsi 182. die & ita computando juxta morem Græcorum 30. dies pro uno mense) ad initium septimi mensis natus fuerit. l. 3. §. 12. & ibi nota Godofredi ff. de Suis & legit. hered.

Addit etiam Barb. c. l. n. 3. quod licet, si in ætate ad Ordines requisita unus dies aut una hora desideretur, quo minus penultimus annus completus & ultimus inchoatus sit, Ordines licet conferri nequeunt, dies tamen bissextilis non computetur.

Cæterum ordinatus ante legitimam ætatem recipit quidem Ordinis Characterem, sed ex Bulla Pii II. quæ incipit; Cum ex sacrorum, est ipso jure suspensus: & si in tali suspensione ministraverit, irregularis efficitur. Porro licet hæc suspensio probabiliter reservata non sit, sed ab ea etiam privatus Sacerdos absolvere possit, ut docet Cardinal. de Lugo. in Responsis Moralibus.

Dubio 10. in fine. quamdiu tamen ordinatus ad legitimam aetatem non pervenit, nec quidem cum licentia Episcopi ministrare valet; esset enim talis licentia dispensatio super aetate contra Canones, quae regulariter tantum S. Pontifici competit; atque ita S. Congr. declaratum refert Garcias de

Beneficiis, parte 3. cap. 9. num. 51.

7 Sed quid, si de facto celebraret, vel ministraret, nunquid irregularis efficeretur? Ex ea dubitandi ratione, quod usque ad legitimam aetatem fuerit à ministerio altaris suspensus, adeoque in suspensione ministraverit. *cap. 1. de Sentent. & re jud. in 6.* Nihilominus negativè respondendum est, si vel ob bonam fidem, quae credidit se tempore ordinationis in legitimam aetate constitutum nullam censuram incurrerit, vel certè, si quam ob malam fidem incurrerit, ab ea absolutus fuerit: nam quod de cetero ante legitimam aetatem prohibeatur ministrare, non est censura propriè dicta, quae ob contemptum & contumaciam infligitur, sed impedimentum tantum, & oblaculum Canonicum, consequenter si nulla censura contempta, nulla etiam irregularitas introducta fuit. Covar. *in Relect. Clem. si furiosus, parte 1. §. 1. num. 4.* Barb. *de Officio Episcopi, parte 2. Allegat. 16. num. 22.*

Notandum præterea, quod jam insinua- vi, nimirum ordinatum bonâ fide, & qui post diligentem inquisitionem credidit, se aetatem legitimam habere, non incurrere suspensionem; loquitur enim constitutio Pii II. de illis, qui præsumunt ante legitimam aetatem ordinari, id est, qui dolosè, & ex contemptu Canonum agunt. Navar. *in Manuali, cap. 27. num. 155.* Zypæus *in Analyfi Juris Pont. tit. de ordinandis, num. 3.* Imò & si quis malâ fide, & scienter ante legitimam aetatem ordinatus sit, si ta-

men ex ignorantia tolerabili dictae Bullae ministraverit, probabile est, eum nec censuram nec irregularitatem incurrisse ex his, quae in tit. *de Sententia excom.* traduntur, quod ignorantia censuræ excuset à censura, & in hac specifica materia docet Navar. *d. loco.* Covar. *in Relectione Clem. si furiosus, d. parte 1. §. 1. num. 4.* Accedit, quod ignorantia Bullae Extravagantis, sicut est dicta constitutio Pii II. censetur tolerabilis, excuset à peccato, & consequenter à censura. Navar. *de Officio delegat. consilio 4. num. 2.* Hue etiam transferantur, quae superius in *Proemio Decret.* dicta sunt de obligatione, & autoritate Bullarum Extravagantium, etsi in Bullario habeantur, & præsertim Bullae continentés censuras non videntur obligare, nisi vel usu receptæ, vel à locorum Ordinariis promulgatæ sine argum. *c. cum infirmitas. 13. de Penit. & Remiss.*

Dices I. non tantum in Bulla Extravagantibus sed etiam jure communi prohibitam esse ordinationem ante legitimam aetatem. *iv.* de jure communi magis docere Interpretes, ob ordinationem ante tempus non incurri censuram ipso facto, per sententiam Judicis.

Dices II. si ignorantia probabilis excuset à censura, quomodo ergo ordinatus ignoranter ab excommunicato incurrit nihilominus suspensionem, ut in tit. *præced. de Ordinatis ab Episcopo, qui renunc.* diximus. *iv.* quod illa suspensio ordinati ignoranter ab excommunicato non sit propriè censura, quae requirit contumaciam: qualis non ponitur in ignorante. *L. si tenor ans. 50. ff. Locati.* sed tantum defectus in dante, sive ordinante, qui id, quod ipse non habuit, scilicet executionem Ordinis, dare haud potuit. *L. nemo plus juris, 54. ff. de R. L.*

10. Denique quod aliqui docent cum Barb. de Officio Episc. parte 2. Alleg. 16. num. 16. Presbyterum ordinatum mala fide ante legitimam aetatem in ipsa ordinationis missa vigore d. Bullæ Pii II. effici suspensum, & irregularem, eo quod jam tunc Episcopo celebranti concelebravit, non putamus recipiendum; quia Ecclesia illam Missam, in qua Presbyteri ordinantur, respectu illorum non habet pro actu celebrationis, sed pro actu ordinationis, ne unus idemque actus dupli poenâ suspensionis, & irregularitatis puniatur, facit textus in cap. Et si Clerici. 4. §. de Abulturis. de Jure. Et si in penzibus termini sunt strictè & propriissime accipiendi, certè non dicitur proprie celebrare, aut legere Missam, qui tantum concelebrat, ad altare non accedit, corpus Domini non petraçtat, nec se ipsum sub utraque specie communicat. Uti quoque Ecclesia id confirmat, ubi prima Missa Presbyteri dicitur non illa, in qua quis ordinatus est, & in qua principalis celebrans est Episcopus, sed quam deinde per se solus, & immediate celebrat. Hanc sententiam sustinet Lypæus. d. l. num. 8. Quaranta in Summa Bullar. V. Ordo vers. ampliatio illa. & alii quàmplurimi apud Barb. d. num. 13. citati.

De Titulo.

SUMMARIUM.

11. Titulus quid, cur, & ad quos Ordines requiratur?
12. Substantia tituli antiquorum Canon. hodie de Concil. Trident. ordinandus debet beneficium pacifice possidere.
13. Non requiritur, ut beneficium tempore collationis habeat Ordinem beneficio annexum.
14. De titulo mensæ.
15. Titulus mensæ an debeatur illi, qui non potest acquirere beneficium?
16. Perente titulo unde alendus Clericus.
17. Titulus mensæ non potest constitui super sola obligatione personali, sed reali.

18. In Ecclesiis collegiatis & monasteriis requiritur consensus Capituli.
19. Titulus mensæ an possit constitui à Civitatibus & oppidis?
20. Clericus suspensus vel depositus an gaudeat titulo?
21. Ad titulum Patrimonij quando quis ordinari valeat?
22. Quantum debeat esse Patrimonium?
23. Filius an possit ordinari ad hereditatem Patris viventis?
24. Sicut pater tenetur dare donationem propter nuptias, ita tenetur aliquid assignare filio ordinando.
25. Religiosi non habentes vota perpetua tenentur habere titulum, item & invalide professi.
26. Quid Speciale in Societate?
27. Quales poenæ sint tum de Jure antiquo, tum hodie, no Concilij Trident. circa ordinationes sine titulo?

Cum non deceat eos, qui divino ministerio adscripti sunt, ut cum Ordinis dedecore mendicent, aut sordidum aliquem quæstum exerçant, ideo de jure nemo ad sacros Ordines admittendus est, nisi titulum seu causam & medium se honestè aliendi, ostendere possit. *cap. neminem. 1. cap. sanctorum. 2. dist. 70. cap. accepimus. 13. hoc. tit. cap. cum secundum. 14. & cap. tuis. 23. de Præbendis.* Dico ad sacros Ordines: ad minores enim ex communi sententia, & usu receptum est, contra Gloss. in d. cap. neminem, non requiri titulum, quia Clerici in minoribus, si se clericaliter sustentare nequeant, liberè possunt à statu Clericali recedere, & alia negotia exercere; propterea & constitutio Tridentina (de qua mox dicemus) de sacris tantum Ordinibus loquitur. Joan. Honorius de Temporibus ordin. num. 11. Garc. de Benef. parte 2. num. 5.

Quamvis autem de jure antiquo ad diversos titulos aliquis ordinari poterit, veluti ad titulum beneficii, patrimonij, hereditatis paternæ, stipendij ab Episcopo sibi assignandi super fructibus lux mensæ. Item & ad titulum pensionis, vel stipendij
a Lai-

à Laico assignandi super bonis suis, ut notatur in allegatis Capitulis: hodiè verò constituit Concil. Trident. *S. ff. 21. de Reform. cap. 2. Ne quis deinceps Clericus secularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientiâ, & etate, ad sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestum sufficiat, pacifice possidere; id verò beneficium resignare nequeat, nisi factâ mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus; neque ea resignatio admitti valide possit, nisi constiterit, quod resignans aliunde habeat, undè commodè vivat.*

13 Possit quidem alicui mirum videri, quomodo præcisè ad titulum beneficii pacificè possessi voluerit Conc. aliquem ordinari, cum tamen ante susceptos Ordines Laicus beneficium Ecclesiasticum possidere non possit? Sed sciendum est, quòd minores Ordines rectè suscipiantur absque titulo, ut dictum, in minoribus autem regulariter quilibet beneficii Ecclesiastici capax sit, et si illud beneficium Ordinem Sacerdotalem requirat; dummodò intra annum beneficiatus ad Ordinem requisitum promoveri valeat, vel etiam post annum, si iusto impedimento retardetur. *cap. licet. 14. de Elect. in 6. cap. 2. de Institut. in 6. & cap. si pro Clericis. 8. ubi Gloss. de Præbend. in 6.*

14 In Germania quidem, ubi præsertim in Parochiis opus est pluribus Cooperatoribus, nec beneficia simplicia adeò frequentia sunt, usus obtinuit, ut ad solum *titulum, mense* absque alio beneficio Clerici ordinentur; qui usus posset exigente sic necessitate tolerari, nisi inde abusus subintraret, ut non tantum Clerici, penes quos spes bona promotionis est, sed sine defectu quicumque absque beneficio & spe benefi-

cii ordinarentur, qui deinde, cum ante defectum virium ad *titulum* non recipiantur, miseram plerumque & scandalosam vitam agunt.

Porro de isto *titulo mense* vix est aliquid apud Authores reperire, & tamen nunquam gravis *questio* incidit; veluti: I. an Clericus ordinarius, si beneficium acquirere non possit, debeat interea ex titulo alimentari, tametsi infirmus, vel ætate decrepitus non sit? II. Si Clericus valeat se Multarum lectione, vel quocunque alio honesto negotio, & statum Clericalem non dedecente alere, non debet necessariò ali ex titulo, quemadmodum nec pater tenetur filio præstare alimenta, qui se ipsum alere potest. *L. si quis. 5. §. sed si filius. 7. ff. de Agnoscendis & alendis liberis.* Quòd si autem Clerico reverà omnia media se alendi desint, & *titulus mense* sit in terminis generalibus conceptus, tunc Clerico ex *titulo* alimenta in subsidium præstanda sunt, ne in opprobrium Ordinis Clericalis mendicare cogatur. Si verò *titulus* sit specialiter limitatus, & restrictus in casum tantummodò infirmitatis, vel senectutis, nec concedens *titulum* facile persuaderi possit, ut ex misericordia talem recipiat, tunc quia verba non obligant ultra intentionem proferentis, & aliàs limitata causa limitatum producit effectum, videtur planè Episcopo ordinanti, vel successori ejus saltem de bonis Ecclesiarum onus alendi incumbere, usque dum Clerico de beneficio provideatur. Etenim ad Episcopum pertinet consulere honori Ordinis Clericalis, sibi que imputare debet, quòd ordinat illum, qui per sufficientem titulum in omnem casum provifus de alimentis non fuit. *argum. cap. 2. 4. 16. de Præb.* Unde fiet, ut Episcopi recedantur cautiore, ne quoscunque tam facile ad Clericatum recipiant, & ne uni plura beneficia

ficia, quam honesta ejus sustentatio requirit, conferant.

16. II. *Quæritur*, quis debeat alere Clericum, si ob interitum bonorum, super quibus titulus fundatus est, vel ob bellum aut pestem titulo frui nequeat? *¶*. similiter ab Ecclesia alendum esse, si enim Ecclesia in necessitate debet alere pauperes etiam Laicos, multo magis Clericos tanquam proprie ad suam curam pertinentes: *aurum Ecclesia habet*, ait D. Ambrosius *in cap. aurum. 70. causa. 12. quest. 2. non ut seruet, sed ut erogat & si s' ueniat in necessitatibus.*

17. III. *Quæritur*, à quibus & super quibus rebus *titulus mensæ* concedi debeat? *¶*. *titulum* quidem æquè à personis Laicis, quam Ecclesiasticis constitui posse, non tamen super sola obligatione personali, quia mortuæ personæ concedentis, & forsitan hæreditate nullâ, aut tenui relicta Clerico deperiret *titulus*. Debet ergo *titulus* assignari cum obligatione reali & hypotheca bonorum tot & tantorum, ut ex eorum redditibus Clerico possit esse sufficienter prouisum, quod ex prudenti arbitrio Episcopi dependet; qui & illud diligenter advertere debet, ne hujusmodi bona sint prius are alieno gravata. Ceterum *titulus* super bonis ita fundatus est onus reale, & transit ad quemcunque possessorem jure ordinario hypothecæ.

18. Quod si à Monasteriis vel Ecclesiis collegiatis concedatur *titulus*, non requiritur quidem hypotheca, quia bona Ecclesiarum non poterunt regulariter alienari; requiritur tamen consensus Capituli, alias enim successor in dignitate non tenetur stare obligationi sui antecessoris sine utilitate vel necessitate Ecclesiæ contractæ, per ea, que traduntur *in cap. pen. de Fidejussor. c. cap. 1. de Solut.*

ENGEL IN DECRET. LIBER I.

De Civitatibus & Oppidis non videtur satis securè acceptari *titulus* à solo Magistratu, & Senatu civico subscriptus, nisi vel is, in cuius dominio est locus, vel major pars Civitatis convocata consenserit, vel statutum aut consuetudo sit in loco, ut solus Magistratus possit Civitatem vel Oppidum obligare, aut certè magistratus se suosque hæredes, & bona in subsidium obligarit: regulariter enim Civitas ex contractu quorundam non obligatur, nisi in dictis circumstantiis, vel sicut in mutuo probetur verum in ejus utilitatem, aliàs verò non civitas, sed illi, qui contraxerunt, tenentur. *L. Civitas. 27. ff. de Rebus creditis. Rheyger. in Tresauro juris. Verbo. Civitas. n. 6.*

Quæritur IV. an Clericus, qui ob delictum suspensus vel privatus est beneficiis, aut depositus verbaliter, debeat ali ex *Titulo*? *¶*. Esse disparitatem, an persistat in contumacia ad petendam absolutionem, vel dispensationem, aut non? Si prius, non debent ipsi dari alimenta, ne non curet absolutionem, cum possit per eam sibi prospicere. Si posterius, docent communiter cum Gloss. *in c. stud. 39. dist. 50. & Panorm. in c. pastoralis. 53. §. verum. de Appellat. n. 10.* quòd, ne cogatur mendicare, debeant ipsi ex beneficio, à quo suspensus vel privatus est, relinqui alimenta, si non integra, saltem in supplementum, in quantum ea ex lectione Missarum, vel alio honesto labore habere non potest, sicut in simili tradit Godofred. *ad d. L. §. 7. ff. de Agnoscendis liberis.* quòd si filius possit se ex suo officio saltem pro parte alere, non teneatur pater integra alimenta præstare.

Sed quid, si suspensus ab officio vel depositus nullum prius habuerit beneficium præter *titulum mensæ*? Puto in primis repetendam esse modo datam distinctionem,

R an

an sit in contumacia nec ne? si illud, per denegationem alimentorum urgeri debet ad relapsionem, & petendam absolutio- nem; si istud, quia ob dilectum Clericus non debet fieri mendicus ob honorem Ordinis Clericalis, planè existimo, esse huc accommodanda, quæ superius in prima & secunda questione dicta sunt.

21 Præterea quia nonnunquam contingit ordinari, qui ex proprio patrimonio, pensione vel stipendio vivere possunt, ideo de his rursus statuit Tridentinum d. Sess. 21. cap. 2. ut *patrimonium vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum; eo quoque prius respecto, patrimonium illud, vel pensionem verè ab illis obtineri, quæque à se alienare, vel abdicare non valeant, nisi aliunde ostendant, se habere, unde vivere possint, &c.* Debet autem patrimonium fundari super rebus immobilibus, vel talibus, quæ immobilibus comparantur, uti sunt census & annui redditus. Si contingat necessitatis, vel utilitatis causâ bonum patrimonii vendi, aut censum redimi, id non aliter, quam cum licentiâ Episcopi fieri poterit, qui & curabit, ut pecunia rursus vel in immobilia, vel alios census collocetur.

22 Ipsa verò quantitas patrimonii determinata in specie non est, sed in genere, ut sit tanta, quæ ad victum honestum sufficiat. Uti apud nos receptum est, quòd capitale mille imperialium reputetur sufficiens patrimonium; & nomine patrimonii intelligitur non tantum, quod filius ex hereditate paternâ, sed ex quocunque alio titulo seu suum, & proprium possidet, vel etiam in usumfructum ad vitam habet. Videatur Barb. in Collect. DD. ad cap. 2. Trident. Sess. 21. num. 36. & seq.

De filio est questio, an ad futura hereditatis paternæ titulum ordinari valeat, si facta nulla alia bona habeat? Ratio affirmandi videtur, quòd filius sit hæres certus & necessarius, ac jam in vita parentis quasi Dominus bonorum paternorum fictione juris habeatur. §. sui autem 2. Instit. de Herendum qualis. & diff. Item quòd patri incumbatonus alendi filium. Nihilominus negativa tenenda est cum Ugolino. de Episcopi officio. cap. 29. §. 9. num. 3. Garcia de Benefic. part. 2. cap. 5. num. 92. quia Trident. vult ab ordinandis patrimonium verè, & non fictè obtineri; bona enim paterna incerta sunt, potest enim pater in vita dilapidare, totus oberatus decedere, filium ex causa superveniente exheredare. Alimenta quidem debentur filio à patre, quàm diu pater vivit, si pramoriatur, facile evenire potest, ut ob æs alienum, vel postam exheredationem filius sine alimentis sit.

Docent tamen Authores, quòd sicut pater tenetur filio aut filia profanas nuptias habituris substantiam de bonis suis in donationem propter nuptias, aut dotem assignare. L. fin. Cod. de Dotis promissione. ita similiter quid teneatur facere, si filius aut filia spirituales nuptias per susceptionem sacrorum ordinum, aut ingressum religionis celebrare intendant. Barb. de Officio Episcopi parte 1. Alleg. 99. num. 63. Sanch. de Matrim. lib. 4. disput. 26. num. 7.

Licet porrò allegata Concilii constitutio tantum de Clericis secularibus loquatur, & non de Religiosis, qui per professionem in Monasterio hoc ipso jus ad alimenta perpetua acquirunt, declaravit tamen Pius V. in Bulla, quæ incipit: *Romanus Pontifex*. eadem constitutione etiam comprehendi cunctosque Ordinis Clericos Religiosos, sive seculares modo Religiosorum in communi

viventes, qui professionem, stabilitatem perpetuam in Ordine non faciunt, ita ut sine speciali titulo ordinati suspensionem incurrant. Insuper sacra Cong. Card. interpretata est, hanc Pii constitutionem habere locum in illis, qui in quacunque Religione professionem invalidam scienter, & malâ fide emittunt.

26 Patribus Societatis à Gregorio XIII. in Bulla: *Ascendente Domino*, concessum est, ut canonicæ vota tantum simpliciter emittant, nec stabilem faciant ab initio ante quartum votum professionem, nihilominus sine alio Titulo ordinari possint. Sed quia frequenter contingit ordinatos è Societate dimitti, tunc Praelatos ejusdem Societatis teneri, dimisso devictu honesto providere, usque dum sufficiens beneficium assequatur, ex Declaratione Sixti V. tradit Barb. in *Collect. ad alium cap. 2. Trident. Sess. 21. num. 6. & de Officio Episcopi parte 2. Alleg. 10. num. 7.*

27 Postremo Concil. Trident. *sepè d. cap. 2.* contra promotos sine Titulo innovat poenas antiquorum Canonum. Et quidem de jure communi ordinator tenetur alere ordinatum sine titulo, usque dum beneficium consequatur. *cap. 2. 4. & cap. cum secundum Apostolum 16. de Præbendis. & si fecerit cum eo pactum de non petendo aliquid, suspenditur per triennium à collatione Ordinum. cap. si quis ordinaverit. 45. de Simonia.* ordinatus verò sine titulo incurrit suspensionem ab officio. *cap. ne minem. 1. cap. Sanctorum. 2. dist. 70.*

Sed controversia est inter Doctores, an omnes hæ poenæ sint per Conc. innovatæ? Una est opinio affirmantium, eò quòd Concilium loquatur generaliter de poenis antiquorum Canonum, & ne aliàs ordinans vel ordinatus impunis esset, cum tamen

uterque delinquat. Rectè verò huic sententiæ additur limitatio, nisi alteruter culpâ vacaret, ut si ordinans ab ordinato per exhibitionem falsi tituli fuisset deceptus, aut ordinatus sub promissione beneficii, aut alimentationis ad suscipiendos Ordines inductus, tunc enim is, qui sine culpa esset, poenâ afficiendus non foret.

Altera est opinio asserentium, solummodo poenam *d. cap. cum secundum. de Præbendis. & cap. si quis. de Simonia.* esse innovatam, neque ordinatum sine titulo regulariter suspensionem incurrere, utpote, quæ ab antiquioribus quidem Canonibus lata, in *d. cap. cum secundum.* jam sublata fuit, ut ex textu patebit. Et hanc partem DD. magno numero citati apud Barb. *d. parte 2. Alleg. 20. num. 27.* tuerentur, & à Sac. Cong. ita decisum referunt. Puto igitur & ipse, hanc posteriorem sententiam ob autoritatem Doctorum satis tutè teneri posse, eamque hac ratione adjuvari existimo, quòd poena debeat tendere ad conservandum, non ad evertendum finem legis, sed si ordinatus sine titulo suspenderetur ab officio, sæpè evertetur finis legis, qui est, ne Clericus mendicet, si enim Episcopus esset deceptus, si difficilis conventionis, Clericus suspensus non, posset obtinere alimenta, aut ex celebratione Missarum sustentationem habere, adeoque mendicare deberet; melius igitur videtur, ut relicto ei officio suo, si quid in ordinatione sine titulo deliquit, alio modo juxta arbitrium Ordinarîi sui puniatur. Constitutionem Sixti V. *Sanctum & salutare.* in qua contra ordinatorem, & ordinatum poena suspensionis reservatæ lata est. Clem. VIII. in Bulla: *Romanum Pontificem.* ad terminos juris communis revocavit.

§. II.

De Ætate, Qualitate, & Ordine præficiendorum Beneficij Ecclesiasticis.

SUMMARIÆ.

28. Quæ ætas requiratur ad beneficia simplicia?
29. Fundationi non censetur derogatum per Trid.
30. Episcopus an possit dispensare circa ætatem?
31. Ad personam probabiliter sufficit septennium.
32. Beneficia curata requirunt ætatem 25. annorum inchoatorum.
33. Cæteræ dignitates vel personatus in curata 22. annos.
34. Ad Canonicatus Cathedral. Eccles. qualis ætas requiratur.
35. Hodie ex Trid. singulis Canonicibus debet esse sacer Ordo annexus.
36. Ob neglectam ordinationem intra annum non inducitur privatio Canonicatus ipso jure.
37. Refrignans Canonicatum non recepto Ordine an teneatur ad restitutionem fructuum perceptorum.
38. Doctoribus vel Licentiatis in Theologia, aut Jure Canon. hostiatur Concilium Trid. conferri Canonicatus.

Cum ordinati, vel ante ordinationem, vel postea de beneficiis Ecclesiasticis sibi providere debeant, ex quibus sua alimenta percipiant, & in quibus officia sacrorum Ordinum exercent, ideo in hoc tit. cum Compilatore breviter aliquid de ætate & qualitate requisita ad beneficia dicendum erit. Cætera ex Lib. III. ex tit. de Præbendis sumenda.

28. *Notandum* igitur I. licet de jure antiquo dubium fuerit, quam ætas ad beneficia simplicia requireretur, & etiam infra pubertatis annos præbendas, imò & Canonicatus tunc obtineri potuisse docuerit Gloss. in cap. Ex eo. 32. de Electione. in 6. hodiè tamen apertius statuit Conc. Trident. S. ff. 23. de Reformat. c. 6. ut nullus primâ tonsurâ initiatus, aut etiam in Minoribus constitutus ante decimum quartum ætatis annum beneficium possit obtinere. Huic autem annum non requiri comple-

tum, sed inceptum sufficere à sacra Congregacione referunt citati apud Barb. ad dictum. cap. 6. num. 2.

Notandum II. Si in fundatione beneficij cautum sit, ut etiam impuberi rectè conferri possit, tali fundationi non censetur derogatum per præsentem Concilii constitutionem, quia non exprimitur, & alias fundationum abrogatio sine gravi causa fieri nec potest, nec solet. Gonzalez. ad Regulam 8. Cancell. Gloss. 5. num. 91.

Notandum III. Episcopus non potest dispensare, ut minor annis 14. habeat beneficium, quia dispensatio contra Canones & Conc. regulariter tantum summo Pontifici, qui supra leges est, competit. Azor. Institut. Moral. p. 2. lib. 6. c. 5. quest. 9.

Ad personam tamen non pauci existimant sufficere ætatem septem annorum, nec in ea procedere dispositionem Concilii, eò quòd pensio minus propriè sit beneficium, & dispositiones odiosæ, præsertim juris antiqui correctoriæ, in propriissimis terminis sint accipiendæ.

Notandum IV. Neminem ad dignitates quascunque, quibus animarum cura subest, (quod etiam de cura jurisdictionali, & fori externi rectè intelligit Navar. hoc. tit. Consilio 4. n. 2.) promovendum esse, qui saltem vigesimum quintum suæ ætatis annum non attigerit, & in Clericali Ordine versatus doctrinâ ad suum munus necessariâ, ac morum integritate commenderit. cap. cum in cunctis. 7. de Electione. Trident. S. ff. 24. de Reformat. cap. 12.

Notandum V. ad cæteras dignitates (improprie seu nomine tenus tantum tales) vel personatus, quibus cura animarum nulla subest, Clericos aliquin idoneos: & viginti duobus annis non minores assumendos esse. Trident. d. cap. 12. Dispensare tamen posse Episcopum cum eo, qui viginti-

annum compleverit ad dignitatem, vel personatum sine curâ valde probabiliter docet Zoëlius hoc tit. num. 2. eò quòd id olim liceret ex cap. Unico. Eodem in 6. cui concilium expresse non derogavit, jus autem novum non plus censetur de priori tollere, quàm exprimat. l. Præcipimus. 32. in fine. Cod. de Appellat.

34 Notandum VI. non satis expeditam questionem esse, qualis ætas requiratur ad Canonatum Cathedralium Ecclesiarum? Quam quidem questionem tractat Barb. de Offic. Episc. p. 3. alleg. 60. n. 70. ubi censet, nisi Canonatus sit saltem Ordo subdiaconatus annexus, non reperiri, quòd aliquid sit per Trident. circa Canonatus mutatum, quo minus 14. anni sufficiant. Etenim in Sess. 24. de Reform. cap. 12. tantum ad dignitates, & personatus, quibus cura antimarum nulla iubet; ætas viginti duorum annorum statuitur: Personatum autem & Canonatum simplicem, præsertim in materia juris veteris correctoria, ubi termini sunt propriè & strictè accipiendi ad correctionem jurium evitandam. c. cum expedit. 29. de Elect. in 6. esse diversa passim, apud DD. legitur, nam dignitas & personatus significant specialem præcedentiam & eminentiam præ reliquis Canonicis, Barb. in Collect. ad d. cap. 12. Trident. n. 11. Tamb. de Jure Abbat. tom. 1. diff. 1. quest. 2. n. 3. Attamen idem Barb. d. alleg. 60. n. 70. aliquot declarationes Cardinalium adfert, per quas ætas 22. annorum ad Canonatus consideratur. Addit verò in fine: nisi illas declarationes intelligamus, ubi Canonatus solent esse sacris Ordinibus annexi ante factam illorum distributionem.

35 Notandum VII. quòd Concilium Trident. in eodem cap. 12. statuerit, ut nemo ad dignitatem, Canonatum aut portionem recipiatur, nisi qui eo Ordine sacro

aut sit initiatus, quem illa dignitas, vel præbenda requirit, aut saltem intra annum initiari valeat. Item, ut in Ecclesiis omnibus Cathedralibus omnes Canonici ac portiones habeant annexum Ordinem Presbyterii, Diaconatus, vel Subdiaconatus. Episcopus autem cum consilio Capituli designet, ac distribuat, quibus quisque Ordo ex sacris annexus imposterum esse debeat, ita tamen, ut dimidia saltem pars Presbyteri sint, cæteri verò Diaconi, aut Subdiaconi. Ubi autem consuetudo laudabilior habet, ut plures vel omnes ex Canonicis sint Presbyteri, ea omninò observetur.

36 Notandum VIII. Licet in beneficiis curatis statutum sit, ut qui intra annum ad Ordinem Sacerdotii cessante iusto impedimento promotus non fuerit, elapso anno ipso jure beneficio privatus sit. cap. licet. Can. 14. & cap. commissis. 35. de Elect. in 6. attamen in Canonicis simplicibus non inducitur propterea ipso jure privatio, sed Canonico non suscipiente Ordinem requisitum subtrahenda erit dimidia pars distributionum quotidianarum, & crescente contumaciâ per sententiam demùm privari poterit. Clem. 2. hoc tit. Barb. in Tractatu de Canonicis, & dignitatibus. cap. 16. num. 10. & 20.

37 Questionem hoc loco movent Doctores, an accipiens Canonatum sine intentione suscipiendi illum Ordinem, qui Canonatus annexus, peccet, & teneatur ad restitutionem fructuum, si v. g. postea Canonatum resignet non suscepto Ordine? Aliqui simpliciter utrumque affirmant, propter textum in d. c. commissis. s. cæterum, de Electione in 6. qui licet de Parochiali Ecclesia loquatur, eadem tamen est ratio de Canonatu, agitur enim contra mentem foundationis, & collationis beneficii,

ficii, ideòque non tam ex pœna, quàm ex defectu iusti tituli videtur talis Cononicus privari fructibus.

Alii è contra sentiunt, peccatum quidem mortale tali casu committi, sed non esse obligationem restituendi, secundùm receptum Juristarum axioma, quòd lex pœnalis non extendatur ultra casus expressos. Utramque sententiam distinctionis fœdere conciliat Barb. *d. c. 16. n. 22.* ut prior procedat, si quis ab initio positivam & fraudulentam intentionem habeat, vel habuerit non suscipiendi Ordines, sed perceptis fructibus post aliquòd tempus à Canonicatu recedendi. Facit textus *in d. c. commissis*, ibi: *cum eos receperis fraudulenter.* Altera verò sententia obtineat, si quis non habuerit simpliciter intentionem non suscipiendi, sed tantùm differendi usquedum per superiorem cogere.

38 Denique in *sepe dicto cap. 12.* Trident. hortatur S. Synodus, ut in Provinciis, ubi id commodè fieri potest, dignitates omnes, vel saltem dimidia pars Canonicatum in Cathedralibus, & Collegiatis insignibus conferantur tantùm Magistris & Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia, vel jure Canonico.

TITULUS XV.

De Sacra Unctione.

SUMMARIÆ.

1. Unctio sacra quando adhibeatur, & de antiquissima ejus traditione.
2. Oleum simplex & Chryisma cur ab Ecclesia confectur?
3. Unctio Sacerdotum non est de substantia Ordinis.
4. Unctio Imperatoris & Regum hodie fit in brachio.
5. Imperium Romanum quomodo ad Germanos translatum?
6. De Electione Imperatoris.

Quia Presbyteri in sua Ordinatione Chryimate unguuntur, propterea in tractatu de Ordinibus intermiscetur hic *tit.* in quo de diversis sacris unctionibus in Ecclesia Catholica fieri solitis tractatur.

Impenduntur hujusmodi unctiones in Baptismo, Confirmatione, Consecratione Episcopi, Ordinatione Sacerdotum, in Coronatione Imperatoris, & Regum, in extrema Unctione, consecrationibus Ecclesiarum, Altarium, & vasorum sacrorum. De singulis his unctionibus licet textus apertos sacre Scripturæ non habeamus, antiquissima tamen, & ab Apostolis continuata ejus rei Ecclesiæ Catholica est traditio, ut dubitare fas non sit, quin ex instituto Christi, vel ex instinctu Spiritus Sancti per Apostolos in Ecclesiam introductæ sint; non enim omnia, quæ fecit Christus, scripta sunt in libro Evangeliorum, teste Joanne Evangel. *c. ultimo v. 25.* quemadmodum & plures alios fidei articulos, imò & ipsam sacram Scripturam, quòd talis sit, ex traditione & autoritate Ecclesiæ magna ex parte probare debemus, uti supra *in Tit. 4. de Consuetudine: in princ.* diximus. Sanè oleum sacrum fuisse in Ecclesia tempore Apostolorum, probatur luculenter ex Epistola S. Jacobi *c. 5. v. 14.* ibi: *Infirmatur quis ex vobis inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini &c.*

Consecratur autem per Ecclesiam in primis Oleum Olivarum simplex, quod oleum Catechumenorum, & infirmorum appellatur, quia per id baptizandi, & infirmi agonizantes unguuntur. Deinde conficitur Chryisma ex oleo, & balsamo, quod etiam adhibetur in Baptismo, Confirmatione, Consecratione Episcopi, Ecclesiæ, Altarium. Habent istæ unctionum materię suas mysticas significationes, nam per

per oleum nitor bonæ conscientie significatur, juxta illud Evangelii: *prudentes Virgines acceperunt oleum cum lampadibus.* Item & promptitudo ad pugnam pro fide Catholica, & contra inimicos invincibiles, prout olim ad luctam inungebatur Athletæ: per *balsamum* verò odor bonæ famæ intelligitur, secundum illud Apostoli. *Christi bonus odor sumus.* & *Ecles. 24. v. 20. Sicut balsamum aromatizans odorem dedit &c.*

Solennitates porrò & modos unctionum ex Pontificali & Pastoralis libro desumere oportet; & mysticam rationem ac internam, & Spirituales unctionum operationes discrete describit Pontifex in *c. unico. hoc tit.* Omissis aliis unctionibus ad alios titulos pertinentibus, hic de unctione Sacerdotum, ac Imperatoris, & Regum breviter aliquid dicemus.

3 Ad unctionem Sacerdotum in manibus eorum per Episcopum fieri solitam, sciendum est, non esse de substantia Sacramenti Ordinis Sacerdotalis, sed esse tantum de necessitate præcepti, & Ecclesie Cæremoniam: potestatem autem Sacerdotalem per aliam materiam & formam conferri: nimirum *potestatem consecrandi* per traditionem calicis cum pane, & illa verba: *Accipite potestatem offerendi sacrificium Deo; & potestatem remittendi peccata,* per impositionem manuum cum illis verbis: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remisisti peccata &c.* quare si contingeret, per infirmitatem ordinati, vel ordinantis impediri unctionem, non propterea tota ordinatio nulla, & reiteranda esset, sed illa tantum Cæremonia unctionis supplenda foret, ut in titulo sequenti explicabimus.

4 Circa unctionem Imperatoris & Regum propter quam Imperator *Sacratissimus*

dicitur) notandum est imprimis, in Veteri quidem Testamento Reges unctos fuisse in capite, hodiè verò post Adventum Christi, qui Caput est Ecclesie, cujusque personam Pontifices representant, tantum Pontifices & Episcopos ungi *in capite*, Principis autem unctionem *ad brachium* esse translata, per *brachium* enim Principatus, & Regimen congruè denotatur, prout Samuel poni fecit armum in convivio ante Saul, quem unxit in Regem, *1. Regum. 9.* Ungitur autem Imperator à Pontifice, vel cui is commiserit. *c. venerabilem. 34. de Elect.* Reges verò à suis Metropolitanis, Sicut refert Hostiensis in *Summa. hoc tit. n. 8.* quòd olim Reges Germanie unxit Archiepiscopus Colonienfis, Reges Anglie Cantuariensis.

Sciendum quoque *ex d. c. venerabilem. 9.* quòd Imperium Rom. per Leonem III. summum Pontificem à Græcis ad Germanos in Personam Caroli Magni translatum fuerit: nam quia tunc temporis Græci Imperatores Ecclesiam Romanam in Occidente à Longobardis, aliisque hostibus infestam partim non potuerunt, partim Hæretici noluerunt defendere, necesse fuit alium Ecclesie defensorem, & patronum inquirere, quam defensionem victoriosè præstitit Carolus Magnus, origine & sanguine Francus; propè Moguntiam natus, ideòque Romæ à Leone III. in die Natalis Domini Anno Christi DCCC. Imperator declaratus, salutaris, & coronatus est. *Annal. Eccles. Cas. Baron. anno Christi 800. Gloss. in d. cap. venerabilem Bellarm. de Translat. Imp. lib. 1.* Quòd autem summus Pontifex habeat jus in mundo supra Imperatorem, & sit *constitutus super gentes, & regna, ut evellat, & dissipet, & aedificet, & plantet,* quatenus agitur de salute

ani-

animarum & recta Ecclesie gubernatione, in Titulo de Majoritate & Obedientia traditur. Hinc etiam est, quod *Sacrum Imperium Romanum* dicatur, non solum quod per successionem à Romanis Imperatoribus Julio Augusto, & ceteris acceptum sit, sed etiam quod Imperator speciali obligatione, & juramento Ecclesie Romanae Advocatus & Patronus habeatur, *Clem. Romani. de Jurejurando. d. c. venerabilem.* Eoque sensu in *c. in die 25. de Consecratione, dist. 5.* & in Gloss. in *d. c. venerabilem. in V. transtulit.* Teutonici dicuntur habere *Regimen Ecclesie Romanae*, scilicet in temporalibus.

6 Præterea summus Pontifex jus eligendi Romanorum Regem & Imperatorem (qui sit unus ex Germanorum gente, & familia, neque Hæreticus, aut excommunicatus, vel alias ad regendum inhabilis, Text. & Abb. in *sepe d. c. venerabilem*) Principibus Germaniæ concessit, fuitque hoc jus Electionis ab initio penes omnes Principes, deinde successu temporum ob difficultatem conventionis ex Principum consensu ad VII, Electores restrictum est. Videatur Baron. in *Annal. Ecclesiast. Anno Christi 996.* sibi verò Pontifex examen, confirmationem, coronationem, & unctionem Electi Imperatoris reservavit: item etiam, ut si Electio de duobus in discordia contigerit, & Electores admoniti præfixo termino non conveniant, litem dirimere, & alterutri Electo favere possit. Non tamen videtur ob Electionem indigni, v. g. excommunicati, aut alias inhabilis jus eligendi pro ea vice amissum, & ad Papam pertinere, sicut in Electione Prælatorum Ecclesiasticorum: nam hoc in Electione Imperatoris non reperitur statutum, nec in poenaliis debet fieri extensio, nisi Electores moniti nolent aut diu differrent alium eligere. Plura in hac ma-

teria ex jure publico, & Aurea Bulla Caroli IV. defumenda sunt.

TITULUS XVI. De Sacramentis non iterandis.

SUMMARIÆ.

1. Que Sacramenta nequeant iterari?
2. Character quid?
3. Irregularitas que contrahitur ex rebaptizatione, etiam ex iterata Confirmatione?
4. Chrysmata an sit de substantia Confirmationis?
5. Si in Confirmatione pro Chrysmate oleum fuerit adhibitur, qualiter debeat hic defectus suppleri?
6. Mennium impositio in ordinatione Presbyteris ommissa, qualiter supplenda?
7. Conciliatur *c. 1. h. t. cum c. Subdiaconus dist. 23.*

Tria sunt ex Sacramentis, quæ Characterem invisibilem in anima suscipientis imprimunt, nimirum *Baptismus, Confirmatio, & Ordo*, ac propterea sine sacrilegio reiterari non possunt. *Trid. Sess. 7. Can. 9.* Quod si verò in eorum collatione aliqua caremonia, quæ non est de substantialibus, ommissa sit, illa proximo tempore supplenda erit.

Est autem Character, quem dicta Sacramenta imprimunt, *signum spirituale, & indelebile anima impressum, quo suscipiens Christo duci Principi, summoque Sacerdoti unitur, & in illius servum, Militem, Ministrum ad divinum cultum deputatur, & consignatur: Baptismo namque consignatur in servum Christi, & domesticum Dei: Confirmatione in militem, ad confirmandum, tuendamque illius fidem: Ordine deputatur in dispensatorem mysteriorum Dei; cujus rei testimonium habemus apud Apostolum 2. ad Corinthios 1. v. 22. ibi: Qui unxit nos Deus, & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in*

cordibus nostris. & ad Ephes. 4. v. 30. Nolite contristare Spiritum Sanctum, in quo signati estis in diem Redemptionis. Unde per signationem, de qua loquitur Apostolus, SS. Patres & Ecclesiae Doctores unanimiter Characteris impressuram intelligunt.

Cetera Sacramenta, nimirum Penitentia, Eucharistia, Matrimonii, & Extrema unctio reiterabilia sunt; tum quia Characterem non imprimunt; tum quia propter fragilitatem humanam illis saepius indigemus.

Dubium I. Utrum sicut ex reiteratione Baptismi baptizans, & baptizatus sunt irregulares, quo minus ad Ordines promoveti possint, c. 2. de Apostatis c. qui in qualibet. 10. caus. 1. quest. 7. c. eos, quos. 113. de Consecr. dist. 4. ita etiam ex reiteratione Confirmationis (ut saepe apud plebejos contingit) vel Ordinis? Affirmative ex paritate rationis quidam respondent cum Navar. in Manuali c. 27. n. 247. Negativa tamen ferme communior est, quia irregularitas non ex paritate rationis tanquam poenalis, sed ex textu expresso desumenda est. c. is qui. 18. de Sententia excom. in 6. Covar. in Relect. Clem. si furiosus in princ. prima pars. n. 3. de Homicid.

Utrum autem irregularitas ex Baptismo reiterato, etiam ab ignorantibus contrahatur: videantur pro utraque sententia Navar. & Covar. cit. locis. & Layman in Theol. mor. de Irregularitate. c. 2. n. 2. ut propterea in casu contingente ad cautelam Episcopus tanquam in jure dubio dispensatione, vel declaratione uti possit, per ea, quae tradit Garcia de Beneficiis. parte 7. c. 2. n. 10.

Dubium II. Utrum Confirmatio reiterari debeat, si Episcopus per errorem non Chrysmate, sed oleo benedicto confirmaverit?

Nihil tali casu esse iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuit omisissum, expressè respondit Pontifex, in c. 1. hoc tit. Unde plerique Canonistae inferunt, non esse de essentia Sacramenti Confirmationis, sed tantum de necessitate præcepti, quòd confirmandus præcisè Chrysmate & non Oleo ungetur, alias propter omissionem Chrysmatis Confirmatio nulla, & omnino reiteranda foret. Navar. in Manuali. c. 22. num. 8. Covar. Variar. Resolut. l. 1. c. 10. n. 4. Sed inquit, suppletio in hoc casu solo balsamo fieri non potest, quia hoc esset contra morem Ecclesiae, ut quis solo balsamo ungetur, & balsamum non commixtum oleo non est Chrysmata, & consequenter primum oleo, & deinde balsamo separatum unctus, necdum dicitur Chrysmate unctus; si verò Chrysmata denuò adhibeatur, erit utique reiteratio Sacramenti? hanc suppletionem faciendam esse per inunctionem Chrysmatis, sed verba Confirmationis vel adhibenda non esse, sicut videtur tenere Covar. cit. loco. vel adhibenda esse sine intentione tamen reiterandi Sacramentum, & solummodo cum intentione supplendi defectum, uti docet Navar. hoc tit. Consilio primo. in fine.

Dubium III. quomodo intelligendum sit, quòd in c. fin. hoc tit. dicitur, si in ordinatione Presbyteri manus impositio omissa sit, nihil innovandum, sed illam tantum supplendam esse, cum tamen manus impositio non sit mera ceremonia, sed materia & substantiale quid illius ordinationis, quæ Sacerdoti datur potestas remittendi peccata? Duæ responsiones adferuntur: primò quòd non sit reiterandum totum Sacramentum Ordinis, sed supplenda illa tantum manus impositio omissa, quia Sacerdotium ex duabus partialibus ordinationibus perficitur; per primam cum

S

tra-

traditione Calicis, & patena datur potestas in Corpus Christi verum, scilicet consecrandi illud: per alteram cum impositione manuum datur potestas in Corpus Christi mysticum, scilicet ligandi & solvendi &c. Hæc posterior potestas quamvis sine illa consistere nequeat, sed eam necessario præsupponat, illa tamen potestas consecrandi potest stare sine hac posteriori, prout Christus utramque potestatem diversis temporibus contulit, illam in *Cæna*, istam post resurrectionem suam. *Joan. 20.*

Altera responsio est, quod *cap. fin. hoc tit.* loquatur de manu impositione, quæ in prima particulari ordinatione ante traditionem calicis & patenæ adhibetur, quæ tantum cæremonia est, & nihil substantiale.

Dubitat. IV. quomodo in *cap. Subdiaconus. 15. dist. 23.* dicatur, Subdiaconum non accipere manus impositionem, cum tamen contrarium asseratur, in *cap. 1. hoc tit. 11.* quod Subdiaconus non accipiat manus impositionem consecratoriam, seu per quam ipse Ordo conferatur, sed benedictoriam. *Gloss. & Panor. in d. cap. 1. hoc tit.* Alii putant errore Typographorum, in eodem *cap. 1.* pro Diaconatus scriptum esse Subdiaconatus, & ita ex quibusdam Exemplaribus demonstrari posse. *Barb. ibidem sub n. 1.*

TITULUS XVII.

De Filiis Presbyterorum ordinandis vel non.

SUMMARIÆ.

1. Filius Presbyteri etiam legitimus vel legitimatus non potest succedere in beneficio patris.
2. Illegitimi quamvis ad Ordines dispensati, non possunt habere etiam dissimile beneficium, in eadem Ecclesia, ubi Pater habuit, nec quovis modo ministrare.

3. An successio in beneficio etiam respectu Patris, collateralium & nepotum, interdicta sit? & quid speciale in resignatione ex Bulla Pii V.
4. Nepotes ex filiis illegitimis Presbyteri, an eodem jure censentur, quo filii?
5. Expositi possunt ne admitti ad Ordines?
6. Quis possit cum illegitimis dispensare ad Ordines & beneficia.
7. Dispenatio super Natalibus & beneficiis per illegitimum obtinendus est stricta interpretatio.
8. Illegitimus dispensatus ad Ordines, an censetur dispensatus ad beneficium?
9. Cum illegitimis an dispensare possit Episcopus, quando illegitimitas est occulta?
10. Legitimati an sint ad Ordines admittendi?

Agitur in *hoc tit.* generaliter de *Illegitimis*, quatenus irregulares, & ad sacros Ordines inhabiles sint; tum quod reputentur personæ viles, quibus indignum est conferri Clericalem, & sacerdotalem dignitatem; tum ad execrationem paterni delicti, cujus memoriam continuo per liberos in Ecclesiâ representari indecens est; tum denique quod paternæ incontinentiæ imitatores existuntur. *Syl. Verbo Illegitimus. num. 1.* Materiam istam totam aliquot quæstionibus magis practicis explicabimus.

Queritur I. quare hic titulus de filiis Presbyterorum inferribatur, cum tamen non solum isti, sed alii quicumque illegitimi à sacris Ordinibus excludantur? *11.* quod in *Capitulo* sub hac Rubrica positus potissimum agatur de filiis Presbyterorum, non tantum quatenus illegitimi & inhabiles sunt ad Ordines, sed etiam quatenus legitimi (puta ante Clericatum ex uxore legitima nati) legitimati vel dispensati non possunt obtinere beneficium, quod pater eorum immediate ante (scilicet si media aliqua persona extranea intercesserit. *c. 7. hoc tit.*) habuit, ne successio quasi hæreditaria in beneficiis introducat, cum impiorum illa vox sit; *hereditate possideamus Sanctuarium Dei.*

Dei. Psalm. 82. v. 13. c. ad extirpandas.
11. & passim. hoc tit.

Specialiter, ut paternæ incontinentiæ memoria à locis sacris, quæ maxima puritas sanctitasque decet, arceatur, circa filios Clericorum illegitimos, quamvis ad Ordines dispensatos, constitutum est, ut in Ecclesia, ubi eorum patres beneficium aliquod Ecclesiasticum habent aut habuerunt, quodcumque etiam dissimile beneficium obtinere, aut in dictis Ecclesiis quoquo modo militare (ne quidem ut mulici simplices. Card. declaratio apud Garciam de Beneficiis. p. 7. cap. 3. n. 68.) nec pensiones super fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerunt, habere valeant. c. 2. c. cum decorem. 15. c. ad abolendam. 16. hoc tit. Trident. Sess. 25. de Reform. cap. 15.

Quæritur II. an à successione in beneficio non tantum filius, sed etiam pater, frater vel nepos prioris beneficiati excludatur? Ratio dubitandi est, quod etiam his competat hæreditaria successio *Juxta Nov. 118.* n. de patre, fratre, aliòve collateraliter communis receptum esse, non excludi, eò quod jura de his non loquantur, & alias odiosa, & restringenda sint. Neque jus successionis ita propriè in ascendentibus, & collateralibus, sicut in descendentibus (quos ipsa naturalis ratio ad successionem vocat. *L. cum ratio. 7. ff. de Bonis damnatorum.*) esse intelligatur. Barb. in Collect. ad d. cap. 15. Trident. num. 7. & 8. De nepote est aliqua distinctio facienda, nimirum, ut non possit ei beneficium conferri, si suo patre mortuo immediatus hæres Avi sit, tunc enim propriè jure hæreditario veniret, & haberet locum, quod dicitur: appellatione filiorum etiam nepotes contineri; possit autem conferri, si beneficium avi petat, patris suo vivente: quia tunc in gradu remo-

tior id jure hæreditario petere non censetur. Innoc. in c. ad extirpand. h. tit. Zoëf. eod. tit. num. 10.

Quid verò speciale sit, circa beneficia resignata, ut ea non possint consanguineis admittentium conferri, videatur Bulla Pii V. *Quanta.* Et licet Bulla tantum utatur termino *admittentium*, admittere autem resignationem, & resignare, utique diversa sint, præsertim in materia odiosa & juris communis ac Ordinariorum restrictoria, possitque specialis ratio esse circa admittentium consanguineos, ne in favorem illorum directè vel indirectè adigatur quis ab ipsis admittentibus ad resignandum; nihilominus apud Garc. de benef. p. 9. cap. 2. num. 211. & p. 11. cap. 3. num. 266. referatur declaratio Cardinalium, in qua pro termino *admittentium* ponitur, *vel suis vel resignantium consanguineis &c.* quia verò illa Bulla habet plura alia Capitula, nimirum ut resignationes beneficiorum non nisi ex causis ibi expressis admittantur: item ne vel signo aut nutu successor in beneficio resignato denotetur &c. quæ non ubique practicantur, hinc eam non ubique receptam esse tanquam Ordinariorum facultates multum restringentem testatur Zypæus in *Annal. Jur. Rom. Tit. de Remuneratione. sub num. 1.* & supponit Paulus Layman. in *Theol. mor. de benef. Eccles. cap. 17. sub num. 6.* quæ de re videri poterunt, quæ superius in *Proæmio, & in Tit. de Constitut.* de autoritate ac receptione Bullarum extravagantium, & declarationum Card. dicta sunt.

Quæritur III. quid de nepotibus ex filiis illegitimis Presbyterorum dicendum, anne idem, quod de filiis eorum mox dictum est? Constitutionem Concilii Trident. d. cap. 15. non comprehendere nepotes Presbyterorum ex filio illegitimo, docent

quamplurimi apud Barb. in *Collect. ibidem* n. 6. citati, eò quòd in materia pœnali appellatione liberorum non veniant nepotes, sed solum in materia favorabili, ex doctrina Bartholi in *L. liberorum. 220. ff. de Verborum signific.* Alii e contra apud eundem Barb. contrarium tenent putantes, nepotes quoscunq; etiam legitimos (id est à filio illegitimo ex legitimo matrimonio natos) comprehendi. Et hæc sententia videtur mihi menti legis conformior, saltem eo casu, quo avus adhuc viveret, & in eadem Ecclesia beneficium aliquod obtineret; vigeret enim tunc ratio Concilii, ut *paterna incontinentia memoria, quam longissimè arceatur.* Ad rationem prioris sententiæ dici potest, constitutionem Concilii non esse tam in pœnâ, quàm in decentiâ & honestate congruente locis sacris fundatam. Videatur *Garcias de Beneficiis. p. 7. cap. 3. n. 21.*

5 *Queritur* IV. Utrum *expositi* seu in plateis aliisve locis reperti, quorum parentes ignorantur, sint legitimi, & habiles ad Ordines suscipiendos censendi? Quidam affirmant cum Felino in *cap. cum deputati. 16. de Judiciis. n. 8.* Paleoto in *Tractatu de filiis nobis. cap. 63.* Piazio in *Praxi Episcoporum parte 1. cap. 1. n. 27.* tum argument. *d. c. cum deputati.* tum quòd in dubio pro legitimitate filii tanquam pro parte favorabiliori præsumatur. Verùm negativa probabilior videtur, eò quòd præsumptio in dubio defumatur ex illis, quæ communiter, & quasi certò accidunt; communiter autem, & ordinariè quotidianâ experientiâ teste accidit, ut illi tantum exponantur, qui ex illegitimis congressibus nati sunt. Nec obest *d. c. cum deputati,* quia loquitur de toto alio casu, & ubi agitur non tam de quæstione natalium legitimorum, quàm de patria & ætate, ut ex *Gloss. ibidem, in V. nationis.* apparet. Ad rationem allega-

tam n. eam imprimis absolute veram non esse teste Alziato. in *Regula 3. de Præsumptionum. 12.* & deinde unam præsumptionem per aliam fortiorem elidi. *cap. 4. de Procurat. l. divus. 7. ff. De in integrum rest.* Pro hac opinione videatur Covar. in *Relect. Clem. si furiosus. de homic. p. 1. in princip. n. 9.* Garc. d. parte 7. cap. 2. n. 8. Fateretur quoque Piazio. *d. loco in fine.* hanc posteriorem sententiam esse communem, & se vidisse in curia pro expositis dispensationes ad Ordines expediri. Covar. tamen *cit. loco.* putat, propter autoritatem DD. prioris sententiæ, expositum aliquem defecto promotum in Ordinibus administrandis tolerari posse.

Queritur V. Quis possit cum illegitimis dispensare? n. Cum irregularitas hæc humani potius, quàm naturalis juris sit, aut divini, ideò dubitandum non est, quin S. Pontifex circa eam dispensare possit, & solet. *cap. innotuit. 20. de Elect.* & quodem ad *sacros Ordines,* & majora sive curata beneficia regulariter nulli alii dispensatio competit, quàm Papa, & cui is specialis privilegio concesserit, sicut Nuntiis suis, & Legatis concedere solet. Ad *minores* autem Ordines, & beneficium simplex etiam Episcopus dispensare potest, *cap. 1. loc. cit. in 6.* & sede vacante etiam Capitulum, quod in jurisdictionem Episcopi succedit. Navar. *Consilio 7. hoc tit.* Declarant verò Doctores *d. c. 1. h. t. in 6.* tantum procedere in beneficiis simplicibus minoribus, non autem majoribus, scilicet dignitatibus, personatibus, & similibus, licet curam animarum actu non habentibus. Imò nec in Canonatibus Cathedralium Ecclesiarum plerique admittunt, qui propter specialem prærogativam majoribus beneficiis accensentur, arg. *c. quatuor. 4. de Præbendis in 6. cap. statutum. 11. de Rescriptis. in 6. præter-*
tum

tim hodie post Trid. ubi Canonicatus Cathedralium Ecclesiarum requirunt sacrum Ordinem, ad quem Episcopus cum illegitimo dispensare non potest. Barb. de Officio Episcopi, p. 2. Alleg. 46. n. 19.

7 *Quæritur VI.* An dispensatio Pontificia cum illegitimis sit lata vel strictæ interpretationis? *Responsum.* Ex communi sententia esse strictæ; quia relaxat juris vinculum, quod optimis rationibus in principio hujus tit. adductis illegitimos ordinari prohibuit; ideoque dispensatio simpliciter ad beneficia non intelligitur de beneficiis curatis vel dignitatibus, & probabiliter nec etiam de Canonicatibus, nisi quatenus specialiter fuerit expressum; & dispensatio simpliciter probata super curatis, non intelligitur de dignitatibus, vel etiam Canonicatibus Cathedralium Ecclesiarum. Barb. d. loco num. 7. & seq. est enim circa hæc beneficia specialis ratio indecentiæ, quod in dignitate aut cura animarum sit, cui macula illegitimæ natiuitatis, & præsumptio incontinentiæ adhaeret.

8 Utrum autem dispensatio simpliciter ad sacros Ordines, extendatur saltem etiam ad beneficia? diversæ sunt opiniones. Negativa multis placet. arg. c. 2. hoc tit. & quod in his, quæ separabilia sunt, dispensatio non trahatur de uno ad alterum. Garcias de beneficiis parte 1. cap. 6. num. 70. Affirmativa tamen videtur mihi probabilior cum Abbate in e. ult. hoc tit. num. 2. quia dispensatio licet sit strictæ interpretationis, debet tamen explicari secundum verisimilem mentem dispensantis; verba enim debent intentioni deservire. c. Secundo requiritis. 41. de Appellat. qui ergo vult posse aliquem suscipere sacros Ordines, vult etiam posse habere beneficium, ne cogatur mendicare. Et si Episcopus potest conferre illegitimo beneficium, qui est in mino-

ribus, juxta c. 1. hoc tit. in 6. ergo multo magis poterit, si sit in majoribus, quia iste pro sustentando statu Clericali, à quo amplius recedere non potest, magis indiget. Non obest d. c. 2. nam fundatur in dolosa subreptione, ex qua literæ subreptitiæ interpretatæ carent omni effectu. c. super literis 20. de Rescriptis. Rationi adjunctæ dicitur, quod Ordo & beneficium sunt quidem separabilia, physice loquendo, non autem canonicè, cum de Jure Canonico nullus sine beneficio ordinari debeat. Trid. Sess. 21. de Reform. c. 2.

9 *Quæritur VII.* An saltem eo casu, quo illegitima natiuitas est occulta, possit Episcopus ad sacros Ordines dispensare vigore Concilii Tridentini. Sess. 24. de Reform. cap. 6. ubi Episcopis datur potestas dispensandi in omnibus censuris, & irregularitatibus ex delicto occulto (excepto homicidio voluntario) provenientibus? Quidam negant cum Navar. in Manuali. cap. 27. n. 194. & Piafazio in Praxi Episc. part. 1. c. 1. n. 56. eo quod irregularitas ista non proveniat ex delicto ipsorum illegitimos, sed aliis causis, ut dictum. Nihilominus affirmativa satis probabiliter sustineri potest cum Barb. Jur. Eccl. univ. lib. 1. cap. 11. n. 156. cum hæc irregularitas proveniat saltem mediata ex delicto parentum illegitimi, & illa dispositio Concilii sit aliquod privilegium Episcopo concessum nemini præjudicans, adeoque latius interpretandum. cap. 4. de Præbendis in 6. c. odia. 15. de R. I. in 6. Non obstat, quod dispensatio cum illegitimis sit strictæ interpretationis, ut præcedente questione explicatum; quia aliud est dispensatio, aliud privilegium dispensandi: nam potestas dispensandi concessa Episcopo concernit plurimum favorem, quorum interest, ne cogantur cum magnis impensis & molestiis Romanam curiam accede-

accedere pro dispensatione obtinenda. Videantur etiam ea, quæ in *Tit. de Major. & Obed. s. 4.* de dispensatione Episcoporum ex *d. c. 6. Trident.* competente dicuntur.

10 *Quæritur VIII.* An illegitimè nati legitimi habiles sint ad Ordines suspiciendos? *q. I.* Legitimos per *rescriptum Principis*, vel *Comitem Palatinum* non posse absque dispensatione sacros Ordines suscipere. *Panorm. in c. venerabilem. 13. Qui filii sint legitimi. n. 29. Imperiali enim iudicio non possunt Ecclesiastica jura* (prohibentia illegitimos ab Ordinibus) *dissolvi, c. 1. dist. 10.* & legitimatio per unum Principem facta non prodest quoad effectus, qui pertinent ad jurisdictionem alterius Principis, sicut in proposito ad cognitionem & jurisdictionem Ecclesiasticam. *Fachin. Lib. Controver. c. 58.*

Dices: sicut Dominus per manumissionem servi tollit impedimentum ejus, & facit habilem ad Ordines, ut *sequenti tit.* dicemus, ita etiam Imperator legitimando illegitimum.

q. I. Irregularitatem servi non esse absolutam, sed tantum respectu Domini ob præjudicium & interesse illius, secus irregularitas illegitimitatis; quæ se tenet absolute ex parte personæ illegitimæ, & provenit ex aliis causis in principio tituli allegatis, quas dijudicare, an & quatenus obtent Ordinibus, vel num in tali persona attendenda non sint, non est in potestate Imperatoris, vel Comitis Palatini, sed superioris Ecclesiastici.

q. II. Ad principalem questionem, *legitimos per subsequens matrimonium comparari legitime natis*, etiam quo ad Ordines, & dignitates *c. tant a 6. Qui filii sint legitimi.* *Gloss. & Panorm. in c. innovavit. 20. de Elect.* sed de hac materia videri debent tradita in *lib. IV. Decret. in d. tit. Qui filii sint legitimi.*

TITULUS XVIII.
De Servis non ordinandis, & eorum manumissione.

SUMMARIUM.

1. Servi qui dicantur?
2. Servo ordinato quid juris?
3. Quid si Religionem ingrediatur?
4. Regula, quod semel DEO dicatum &c. qualiter intelligatur?
5. Servitus qualiter hodie sublata?
6. Adscriptitii, Originarii, & homines proprii, qui dicantur?
7. Filiosfam. an possit sine licentia Patris ordinari?
8. Filiosfam. bona post Clericatum acquisita censentur esse quasi Castrensia.

Servi in jure dicuntur, non famuli, qui nobis pro annua mercede serviunt, & in sensu ac usu juris verè liberi sunt; sed qui jure gentium, contra naturalem libertatem dominio nostro subjiciuntur, cujusmodi erant, qui olim in bello capti, aut ex matre serva nati fuerant, sicut tradunt Doctores *ad tit. Instit. de Jure personarum.*

Servorum igitur Ordinatio prohibetur ob præjudicium & injuriam Domini; propterea si contingat, servum de facto ordinari, distinguendum in primis est, an sciente vel ignorante Domino in factum sit? Si *sciente* & non *contradicente*, servus ordinatus statim liber efficitur; si *contradicente*, deponitur, & Domino restituitur, nisi jam in presbyterum sit promotus, tunc enim propter dignitatem Ordinis Sacerdotalis liberatur à servili conditione, & serviet domino in divinis tantum officiis, missas v. g. legendo &c.

Si *ignorante* Domino servus ordinatus sit ad minores Ordines, in servitutem revocatur: si ad majores, subdistinguitur, an *Epi-*

Episcopus sciverit, servum esse, vel non? si servus, statim sit liber, in officio permanet, & Episcopus tenetur Domino dare duos servos æque bonos, vel eorum æstimationem; si ignoravit Episcopus, tunc Subdiaconus, & Diaconus ordinatus vicarium (id est alium servum) sui loco Domino præstat, vel pretium, aut in horum defectu in servitute revocatur. Sacerdos autem statim liber fit, sed peculium, si quod habet, amittit, idque Domino cedit; si peculium non habeat, serviet Domino in divinis, Permittitur autem hæc actio, quæ Domino datur ad repetendum servum post annum lapsum à die, quo scivit ordinationem factam. Videantur *textus hujus tit. & in tota dist. 54.*

3. Quid verò juris, si servus Religionem in sacro Domino ingrediatur? Et quod intra triennium repeti possit manente nihilominus servo votis obligato (nisi Monasterij culpa scientis servitutem vel negligentis inquire admissus fuerit servus ad professionem, quo casu non repetitur servus, sed prælabitur à Monasterio æstimatio ejus arbitrio boni viri) tradit Gloss. & Barb. in c. 2. h. 11. Miranda in *Man. Pralat. tom. 1. q. 17. artic. 2.*

4. Prædictis non obstat, quòd semel Deo dicatum non debeat amplius ad profanos usus transferri, c. *semel. xi. de R. I. in 6.* cui objectioni respondetur apud Barb. in d. c. 2. *num. 5.* quòd tantum procedat in inanimatis consecratis, in quibus consideratur consecratio in superficie, ut à Laicis contingi non debeant. Sed melius mihi videtur dici posse, quòd regula procedat in illis, quæ pleno jure Deo dicata, ab eoque acceptata fuerunt; consecrationem autem, votum, & oblationem personæ in alterius dominio constitutæ, censetur quidem Deus acceptare, in quantum persona sibi præjudica-

re potest, non autem in præjudicium alterius sive Domini.

Porro licet hodiernis Christianorum moribus servitus usitata non sit, nisi circa eos, qui ex Barbaris, aut infidelibus capiuntur, qui quidem à nobis, & nostri apud ipsos capti pro servis ab ipsis habentur, nostros autem ab infidelibus captos à nobis quoque quoad effectum juris v. g. amissionem testamenti factionis, patriæ potestatis &c. de consuetudine pro servis haberi non crediderim, ob dignitatem Christiani nominis, & ne ipsi videamur tyrannidi infidelium subscribere, quidquid olim de jure Romano receptum fuerit.

Extenditur tamen hæc juris Canonici dispositio secundum terminos habiles, & quantum fieri potest saltem ad interesse Domini resarciendum etiam ad *auscriptitios*, qui alicui fundo colendo in perpetuum adscripti sunt, & *originarios*, qui ex talibus adscriptitijs nati sunt (de quibus in tit. *Cod. de Agricoltis, Censitv, & Colonis*) omnesque illos, qui alicui conditioni perpetuò obligantur c. *quis aut leges. 11. c. generalis. 12. c. admittuntur. 21. c. fin. & ibi Gl. ff. d. dist. 54.*

Præsertim verò videtur comprehendi illud genus servorum, quod in quibusdam Germaniæ partibus reperitur, quos proprios homines vel mancipia, *Leibeigene* vocamus. Plerique enim istos homines *adscriptitios*, vel *originarios*, aut saltem de eorum natura participantem existimant teste Gail. *Lib. singul. de Pignorat. observat. 8. num. 1.* unde & praxis est, ut tales homines consensum suorum Dominorum, vel aliquam manumissionem, id est liberationem in scriptis Episcopo exhibere debeant.

Quid demùm de filiofamilias dicendum, an is sine licentia patris ad sacros Ordines

Ordines promoveri valeat? R. utique valde decens esse, ut filius consensum patris requirat; interim tamen patrem impedire non posse, quin filius ordinetur, quia hoc in jure Canonico statutum non reperitur, neque etiam de jure Civili tanta est patri concessa potestas; imò si concessa foret, tanquam disponens de re Ecclesiastica, attendi non deberet. Et probat simile, quòd Religiosus sine patris sui spiritualis, Abbatis scilicet, obtentâ veniâ, possit zelo Religionis ad strictiorem Ordinem transire. *c. licet. 18. de Regular.*

8 Illud quoque observatione dignum est, quòd ex speciali privilegio à Justiniano Imperatore Clericis indulto omnia bona post Clericatum à filiofamilias acquisita in numerum quasi *Castrensium peculii* redacta sint, ita ut de his liberè disponere & testari valeant. *auth. Presbyteros. C. de Episcopis & Clericis.* quamvis de cetero, & quoad bona prius acquisita, Clericatus (exceptâ dignitate Episcopali) à patriâ potestate non liberet. *L. Sacrosancta. 34. cum auth. seq. C. de Episc. & Cler.*

TITULUS XIX.

De obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non.

SUMMARIUM.

1. Obligati ad ratiocinia qui, & cur ab Ordinibus prohibentur?
2. Clerici possunt esse tutores, & curatores miserabilium personarum.
3. Satisfactio tollit impedimentum obligationis.
4. Sponsalia an impediunt Ordinationem?

1 **O**bligati ad Ratiocinia dicuntur, qui generalem aliquam administrationem habent, vel habuerunt, & inde principalibus suis ad reddendas rationes tenentur, quales sunt Procuratores, actores,

executores, tutores, & similes, qui omnes ante redditas rationes, & plenam liberationem à suis principalibus obtentam, ordinari prohibentur; partim quòd magis intentione fugiendi ratiocinia, & forum Civile, quam amore religionis ad clericatum transire presumantur; partim etiam, quòd infamaretur Ecclesia, & exosa fieret, si tales in suum gremium cum principalium damno reciperent, qui essent ære alieno, & magnis litibus obnoxii, Clerici enim facti ad forum civile amplius trahi, & plena executio contra eos fieri non posset, sed *beneficium competentie*, & congrua sustentatio eis relinqui deberet. *cap. 3. de Solutio. c. unico. hoc tit.* Curam tamen gerentes miserabilium, aut Ecclesiasticarum personarum etiam in officio perseverantes rectè ordinantur: quia Clerici tutelam miserabilium personarum suscipere, & gerere possunt. *c. pervenit. 26. diff. 86. c. in nov. 22. caus. 16. quæst. 7.*

Illi quoque ad ratiocinia obligati ab Ordinibus prohiberi non debent, qui principalibus suis idoneè caverunt, se satisfacturos, *vice enim solutiois est*, inquit Ulpianus, *in l. rescripto. 6. §. 1. ff. de Muner. & honor. ut quis aut pignoris, aut fidejussoribus idoneè caveat.*

De eo *controvertitur*, qui alicui formine sponsalibus, seu promissione matrimonij obligatus est, an illâ invitâ possit ad Ordines admitti? Negativa probabilior est, quam tenet Sanch. *de Matrim. lib. 1. diff. 47. n. 3.* Ratio est, ex generalitate regulæ in hoc tit. traditæ, ut nemo cum gravi alterius præjudicio ordinetur; & speciale Religionis (utpote quæ morti naturali omnia solventi magis assimilatur) privilegium est, ut per ingressum ejus sponsalia & matrimonium ratum, etiam invitâ alterâ parte dissolvantur, quod non est Clericatu seculari concessum. *Extrav. Antiquæ. de Voto. & voti redempt.*

Dicit

Dices, sicut votum non obligat in præjudicium melioris boni, ita nec sponsalia in præjudicium status melioris, scilicet sacerdotalis. & esse disparitatem: quia votum fit directe Deo, à quo non censetur acceptari in melioris boni præjudicium; sponsalia autem sunt homini, à quo simpliciter acceptantur, & exinde simpliciter nascitur obligatio.

Dices iterum, sponsalia habere tacitam conditionem, rebus sic stantibus, & nisi notabilis mutatio interveniat. c. quemadmodum. 25. de Jurejurando; & sicut per votum simplex postea emissum ex sententia multorum Doctorum sponsalia solvenda sunt, ita etiam ex susceptione sacrorum Ordinum. R. Dictam conditionem tacitam esse intelligendam tantum de mutatione casuali, non voluntaria, quam regulariter nemo potest ponere in alieni juris præjudicium. Unde etiam verius est, non quidem votum castitatis simplex in præjudicium sponsæ valere, sicut docet Sanch. d. l. disp. 46. n. 7. non enim licet votum ea, quæ in votantis potestate non sunt. Est tamen contraria sententia etiam non omnino improbabilis propter auctores à Sanch. dictis locis allegatos.

TITULUS XX. De corpore vitiatis ordinandis, vel non.

- SUMMARIA. 1. Corpore vitiati qui dicantur? 2. Debiles & deformes etiam alienâ culpâ ita facti prohibentur. 3. Claudicans an prohibeatur ordinari? 4. Quanta debeat esse debilitas vel deformitas, in artibus est Episcopi. 5. Carens uno tantum oculo an sit irregularis? 6. Læsi aut oculum fictitium habentes an prohibeantur ab Ordinibus?

ENGL IN DECRET. LIB. I.

- 7. Mutilantes se ipsos, aut mutilationem sine causa justa procurantes in quacunq; parte corporis sunt irregulares. 8. Non est licita castratio ad tuendam castitatem. 9. Mutilatus ex justa causa morbi, aut irvium alieno facto non est irregularis, si membrum non sit ad executionem Ordinis necessarium, vel inde resultet deformitas. 10. Castratus non tenetur partem abscissam in collo portare. 11. Insignis disputatio, an castratus propter vocem se irregularis? 12. Castrationem propter vocem qui docem esse licitam? 13. Contrarium probabilis. 14. Usufructuarius qualiter possit rem usufructuariam meliorare. 15. Vitiatus post susceptos Ordines quando debeat prohiberi à Ministerio. 16. Quid de Epileptico & Energumeno? 17. Quid de Abstêmio? 18. Quid de Hermaphrodito? 19. Cum mutilatus quis dispenset?

Corpore vitiati regulariter ad Ordines admittendi non sunt. dist. 55. per t. am. & X. hoc tit. Sunt autem corpore vitiati in triplici differentia: alii enim sunt debilitati, alii mutilati, alii notabiliter deformes.

Debilitati dicuntur, qui membrum aliquod ad sacrum Ministerium necessarium inutile habent, aut qui continuo, & gravi aliquo morbo laborant. Mutilati dicuntur, qui aliquo membro carent. Deformes denique, qui enorme habent vitium, defectum, vel maculam in exterioribus membris, unde sine notabili horrore, irrisione, vel scandalo conspici nequeant.

Debiles & deformes, sive suâ, sive alienâ culpâ debilitati aut deformati sint, non debent ad Ordines promoveri, ut satis probatur, ex c. fin. dist. 55. ubi Pontifex illi, inquit, cui eruitus est oculus, non possunt secundum Canones Sacerdotii jura concedi, neque enim aliquid ei prodest, quod oculum in vitium amisserit, &c.

T. Clar.

ANGEL
LIB. I
TIT. XX
ENGL



3 *Claudicat*io tamen licet videatur esse deformitas, non tamen impedit ab Ordinibus, dummodo claudicans ad solennia Missarum baculo non indigeat. *c. si quis. 10. dist. 55. juncto c. nullus Episcopus. 57. dist. 1. de Consecr.*

4 Generaliter autem quanta debeat esse deformitas, vel debilitas, ut in casibus in jure non expressis causet irregularitatem, arbitrio Episcopi relinquatur. Innoc. & DD. communiter, *in cap. 1. & 2. hoc tit. c. communiter. 3. dist. 33. Pialetius in Praxi Episc. part. 1. cap. 1. num. 36.*

5 Circa defectum oculorum adhuc quaritur, siue distinguendum, an quis dextro vel sinistro oculo careat? Item an alteruter oculus planè erutus, an verò pupillà integrà tantum virtus visiva in illo destructa sit?

R. I. quia oculus erutus præter defectum visus causat simul deformitatem, idè de jure sive dexter sive sinister sit, irregularitatem inducit, neque enim *Canonem aliquem casum in amissione oculi, qui ad Sacerdotium adipiscendum non impediret, suis expressisse regulis invenimus*, ait Pontifex *in d. c. fin. d. 55.*

Interim tamen si quis oculum sinistrum saluum & integrum haberet, (qui de stylo curiæ solet *oculus Canonis* appellari, quòd per illum Canon Missæ legi debeat) facilius à summo Pontifice dispensationem impetraret, *Zoëlius hoc tit. num. 2.*

R. II. Qui oculum sinistrum bonum & videntem, dextrum autem integrum quidem, sed virtute visivà destitutum haberet, ex communi Doctorum opinione irregularis non esset. Imò id ipsum non improbabiler procederet, si in solo oculo dextro videns sine indecora faciei ad populum conversione *Canonem Missæ* legere valeret. *Barb. Juris Eccl. s. univ. lib. 1. cap. 33. num. 140. Navar. in Manuali, cap. 27. num. 199.*

Quid de *luscis*, aut tortos seu obliquos oculos habentibus sentiendum? R. deformitatem istam arbitrio Episcopi considerandam esse, ita ut tales, si immo dicam corporis inclinationem ad legendum requirerent, vel populo risum, aut illusionem escularent, admittendi non sint. *Zoëlius hoc tit. num. 10.*

Quid de habente *oculum fictitium*, vitreum, lapideum? Putarem sine dispensatione facile ordinandum non esse; quarevera oculus naturalis est erutus, & in Canonibus non ponitur hæc exceptio ob restitutionem oculi ficti; & deinde ille oculus artificialis facile potest adverti, excidere, aut perire, & deficere occasio reparandi, ut appareat deformitas.

Inter *mutilatos* distinctio est faciendâ, an se ipsos mutilarint, vel mutilationem sine causa procurarint, an verò ab aliis callo aut ex causa necessitatis, infirmitatis, vel persecutionis sint mutilati? Priore casu, quando quis mutilationem fecit sine causa, sive in magno. sive parvo membro etiam in parte cujuslibet digiti, ab Ordinibus acceri debet: neque enim in eam consideratur defectus, quam sævitia, & mala voluntas aulæ sibi ferrum injicere. *c. qui partem. 6. dist. 55.* Sicut de illis frequentia etiam ponunt exempla *Canonis*, qui non per disciplinam Religionis, & abstinentiam, sed per abstractionem Plasmatis à Deo corporis exultimantes, posse à se carnales concupiscentias amputari, castraverunt se, qui sui homicidæ, & Dei conditionis inimici vocantur. *c. si quis. 4. c. 5. & 9. dist. 55. c. significavit. 4. hoc tit.*

Posteriore casu, quando nimirum quis ex justa causa, vel certè alieno facto non affectato mutilatus est in tali membro, quòd ad exercitium Ordinum necessario requiritur, vel ejus defectus notabilem deformitatem

tatem inducit, ut amputatio manūs, nasi &c. tali calu ordinari non debet. *c. exposi- ssi. 6. hoc tit.* Si verò membrum sine culpa amputatum non impediat ulum divini Ministerii, tunc nec etiam susceptionem Ordinum impedit; sicut exemplum habetur, in *c. Thomas. 7. hoc tit.* ubi instrumentum ferreum alicui super dextrā pollicem fortuito cadens ab eo unguam, seu priorem articulum avulsit: & deciditur ibidem, non esse impedimentum Canonicum, si mutilatus in reliqua parte pollicis sufficientem habeat ad frangendam hostiam fortitudinem.

9. Similiter, qui à Medicis propter aegritudinem, vel à Barbaris, aut Dominis suis inviti castrati fuerunt, aut Eunuchi nati sunt, ad Clericatus officium admittuntur. *c. Si quis. 7. cum seqq. dist. 55. c. ex parte. 3. X. hoc tit.* Vulgi autem error est, quod castratus, si vel de jure, vel ex dispensatione ad sacros Ordines admittatur, debeat partem excelsam in pulveres redactam in collo portare, quia non ideo minus foret integritate corporis, & virilitate destitutus, ut advertit Gloss. in *c. Eunuchus. 8. dist. 55. Covar. in Relect. Clem. Si furiosus. de Hereticis. part. 1. c. 1. n. 5.*

De eo dubium esset, qui propter solam vocem musicam castratus est, an irregularis censeri debeat? vel an licita sit talis propter vocem castratio?

11. Et quidem quod attinet ad irregularitatem, si puer in eunis, vel ante septennium, & ulum rationis, aut invitus per violentiam, aut dolum potu somnifero sopitus factus esset, res minoris difficultatis foret, nam contra voluntatem facti non efficiuntur irregulares. At verò si sciens, volensque castratus aliquis fuerit, non satis constat, quid de jure respondendum sit, & tantum frequenter apud aulas Principum hæc

quæstio movetur. Ferdinandus de Castropalao, in opere suo morali, parte 6. puncto. 12. n. 4. summariter insinuat, non videri improbableem, vocis retinendæ causâ castratum irregularem non esse, eò quod hæc irregularitas in jure statuta non legatur, aliunde autem constat, irregularitatem sine textu expresso induci non debere. *c. Is qui. 18. de Sentent. excom. m. 6.*

Item addi posse videtur alia ratio, quod ex sententia Pasqualigi, & Salonii, quos refert, & sequitur Caramuel in Theologia fundam. fundamento. 45. §. 19. castratio propter vocem licita asseratur; tum quod suavis vox, maxime ad divinum cultum ordinata, sit perfectio corporalis, quæ pluribus membris, præsertim habita statûs consideratione minus necessariis præstat; tum quod homo, licet non sit dominus membrorum suorum. *L. liber homo. 13. ff. Ad l. Aquil.* sit tamen usufructuarius, qui potest rem usufructuariam meliorem facere. v. g. inutiles arbores excidendo, meliores inserendo, &c. *L. si cuius rei. 13. §. usufructuar. 4. ff. de usufructu.* tum denique, quod talis castratio magnam utilitatem importet, promerendo Principum gratiam, & stipendia cantoribus præstari solita. Denum etiam juvat, quod in castratis per se non videatur considerari aliquis defectus virilis formæ, alias nec invitè, vel ex causa aegritudinis incisi ordinari possent.

Verum licet differri nequeam, hujusmodi castratum de facto ordinatum probabiliter tolerari, & ordinantem excusari ob adductas rationes posse, cum & nonnunquam Episcopus in dubio jure dispensare valeat, ut alibi diximus, magis tamen existimo, in hoc casu simpliciter irregularitatem statuendam esse; ut etiam insinuat Salonius, apud Caramuelem *d. l. Bonac. de Censuris d. sp. 7. quest. 2. num. 34.*

T 2

Si enim

Si enim voluntariè procurans incisionem propter castitatem servandam, & sic propter finem supernaturalem est irregularis, ut dictum; ergo multò magis propter utilitatem humanam, & finem minus excellentem,

Deinde *mutilatio* sui illicita causat irregularitatem, sed mutilatio ob vocem servandam ex magis communi & frequentiori Doctorum sententia est illicita, ergo. hæc minor propositio probatur autoritate Divi Thom. 2. 2. *quest. 65. art. 1. Diana, parte. 3. Tract. 5. Resolut. 38. & parte 6. Tract. 8. Resolut. 36. Bonac. d. l. & aliorum plurium apud hos & Caramuelem, l. cit. Item in Novell. 142. generaliter sub poena talionis, & bonorum confiscationis prohibuit Imperator hominum castrationem sine causa necessitatis intentatam. Adde L. 4. §. 2. ff. ad L. Corn. de Siciariis Ratio est, quòd cum nemo sit membrorum suorum dominus, nemo potest in eorum abscissionem consentire, nisi quatenus id exigat conservatio totius corporis, vel membri principalis, & quia castratio importat præsens vitæ periculum, ut in d. Novel. dicitur, nemo potest se vitæ periculo sine causa necessitatis, aut Reipublicæ exponere. Aliæ rationes in resolutione contrariorum patebunt.*

Igitur ad primum argumentum contrarium respondetur, suavitatem vocis muliebris neutquam esse perfectionem corporis virilis, & evirationem plerumque apud homines rideri, & probro duci; quamvis autem suavitas vocis applicetur ad cultum divinum, non est tamen cultui divino necessaria; ut nihil dicamus, quòd fermè frequentius extra Ecclesiam, aut nonnunquam etiam intra lasciviam deseruiat.

14 Ad alterum argumentum dicitur, de jure usufructuarium rem meliorem facere

posse, si id faciat sine mutatione prioris status, non autem posse, auferendo rem etiam minus utilem (quæ simpliciter & absolute inutilis non sit, ut arbor arida,) & reponendo meliorem, quam quatenus id gratum sit domino. *Textus apertus in Corpore Gothofredi in l. 7. in fine. cum l. seq. & l. 11. ff. de Usufructu.* sed non videtur gratum Deo, qui est Dominus nostri corporis, sine causa necessitatis mutilare partem corporis à se plasmati, cum tales abscisiones *Dei conditionis inimici* dicantur, in *supra d. dist. 55. ergo.*

Ad tertium reponitur, ex causa utilitatis temporalis, & lucri pecuniarii non licere amputare membrum, tum quòd nemo sit dominus membrorum suorum, quæ pro suo arbitrio pro lucro computare valeat; tum etiam quòd corpus liberi hominis non recipiat aestimationem. L. 3. ff. *Si quadrupes pauperiem. l. 1. §. 5. & l. ult. ff. de his, qui effuderint, vel detecerint.*

Cæterum si quis post susceptos Ordines vitiatus fuerit, suâ culpâ, aut facto proprio, ab Altaris Ministerio debet removeri. *cap. significavit. 4. hoc tit.* si verò non suâ culpâ, sed alieno facto mutilatus, debilitatus aut deformatus quis fuerit, in illis poterit officiis ministrare, ad quæ propter talem vitiacionem non est inhabilitatus. *c. Presbyterorum. 2. de Clerico agrot. Garcias. de Beneficiis, p. 7. c. 12. n. 101.*

De *Epilepticis & Energumenis*, sive à Daemonibus obsessis statutum est, ut tam diu censeantur ab officio suspensi, usque dum unius anni spatio per discretionem Episcopi à malo suo inveniuntur liberati. *c. communiter. 3. dist. 33. c. 1. c. an. 7. q. 2.*

Abstemius licet ad Presbyterium ascendere nequeat, ex probabiliori tamen sententia ad Subdiaconatum vel Diaconatum reputandus non est inhabilis, quia inferiores Ordines



TITULUS XXI.

De Bigamis non ordinandis.

SUMMARIÆ.

1. Bigamia quid, & cur inducat irregularitatem?
2. Bigamia vera quid?
3. Quid interpretativa, & quibus casibus contrahatur?
4. Cum vidua nulliter contrahens an officiatu bigamis?
5. Quid si matrimonium fuerit nullum ex defectu consensû?
6. Peccans cum corrupta, vel cum pluribus non est irregularis.
7. Ducens à se prius corruptam non est irregularis.
8. Bigamia in infidelitate contracta an noceat post conversionem?
9. Bigamia similitudinaria quid?
10. Explicatur c. un. h. t. in 6.
11. In bigamia quis dispenset?
12. Apostolorum dicta non omnia faciunt ius divinum.

Bigamia nihil aliud, quam Matrimonii reiteratio; & quamvis mortuâ primâ uxore licitum sit ad alias nuptias transire (non verò plures uxores simul retinere, quod peccatum *Polygamia* dicitur, ut in *Lib. IV. tit. ult. traditur*) causat tamen bigamia irregularitatem, quod Apostolus. 1. *ad Timoth. 3. v. 2.* Episcopum jubeat, *unius uxoris virum esse*. Licet autem Apostolus de Episcopo loquatur, nihilominus eodem vocabulo etiam Presbyteros intellexisse communis sanctorum Patrum sententia est, & Concilium Nizænum addidit, nec ad quemcunque Ordinem Clericalem bigamum promovendum esse. *c. cognoscamus. 14. dist. 34.* Ratio est non solum ex eo, quod in primitiva Ecclesia etiam Presbyteri Episcopi nomine fuerint quandoque compellati. *c. 1. dist. 21. c. legimus. 24. dist. 93.* sed etiam, quod generaliter à sacris Canonibus inconveniens existimetur,

T 3

metur,

Ordines dantur quidem in ordine ad ministerium Sacerdotii, sed non ad necessarium alicuius ad Sacerdotium. Ita plures sunt tituli Cardinalium, & plures præbendæ in Ecclesiis Cathedralibus, in quibus solum Ordo Subdiaconatus sufficit. Zypæus in *Analyti. Juris Pont. tit. de Ordinandis. num. 11. Navar. in Man. c. 27. num. 204.*

18. *Hermaphroditus*, licet, si in eo sexus virilis prævaleat, viris annumeretur, *L. quaritur. 10. ff. de Statu hominum.* non tamen videtur ad Ordines admittendus propter moralem indecentiam & monstruositatem, cum non sit vir simpliciter, sed naturam feminam participet. *Navar. dicto loco n. 203. Videatur etiam Zoësius, hoc tit. num. 12.*

19. Postremò in hoc tit. sciendum est, quod cum mutilatis vel deformatis irregularibus ordinariè tantum S. Pontifex dispenset. *Covar. in Relect. Clem. si furiosus. de Homic. p. 1. in princ. n. 7.* possit tamen Episcopus imprimis declarare, an defectus sit talis, & tantus, qui indigeat dispensatione. Deinde possit Episcopus subinde deformato, qui in publico honestè apparere nequit, dare licentiam celebrandi in privatis Capellis teste *Innoc. in c. 1. hoc tit.* quod intelligendum, si post Ordines susceptos aliquis deformetur, prius enim deformatus admitti non deberet. Denique, si irregularitas proveniat ex mutilatione illicita occulta, poterit Episcopus dispensare autoritate Conc. Trident. *Sess. 24. de Reform. c. 6.*

Quandònam autem mutilationi vel occisioni alienæ causam præbentes fiant irregulares, in *Lib. V. Tit. de Homicidio. tractatur.*

metur, ut quis ad Sacramenta fidelibus ministranda ordinetur post conjugium prius habitum, si ipse in Sacramento Matrimonii defectum passus sis. Patitur autem bigamus defectum in Sacramento Matrimonii quoad ejus significationem; nam Sacramentum hoc significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, teste Apostolo *ad Ephes. cap. 5.* Christus autem uni tantum se conjunxit sponse Ecclesie, bigamus vero duabus &c. *c. debitum. 5. hoc tit.* Propterea bigamia communiter a Doctoribus dividitur in *veram, interpretativam & similitudinariam.*

2 *Vera bigamia* uno modo contrahitur, quando scilicet quis successively duas legitimas uxores habuit, & ambas cognovit. Text. Gloss. & Interpp. passim. *in dist. 20. & 34. & tit. toto presenti.*

3 *Bigamia interpretativa* tribus casibus committitur: I. quando Matrimonium celebratur cum corrupta, sive jam illa vidua sit, *c. si quis viduam. 13. dist. 34. c. de bigamis. 3. & c. debitum. 5. hoc tit.* sive per copulam fornicariam desolata. *cap. cur audum. 9. precipimus. 10. dist. 34.* etenim licet Matrimonium contractum cum corrupta verum sit Sacramentum, representans per mutuum consensum conjunctionem Christi, & anime justae, non est tamen quoad significationem omnino perfectum Sacramentum, quippe quod minime significet conjunctionem Christi cum unica & immaculata Sponsa Ecclesia, sive, ut loquitur summus Pontifex, *in d. cap. debitum. hoc tit.* corrupta in uxorem ducta non est unica unice. Si vero primum Matrimonium, quod vidua contraxit, consummatum non fuisset, nec illa alias virginitatem amisset, absque bigamiae irregularitate posset in uxorem duci. *d. c. debitum. in fine.*

II. *Interpretativa* bigamia contrahitur, quando maritus reddit debitum con-

jugi adulterae, etiamsi ignoret illam adulteram esse, aut debitum pendente ante praecipuum Ecclesie reddat. *c. si cuius. 11. & seq. dist. 34. Zocellus hoc tit. num. 6. & alii passim.* neque enim necesse est, ut quis bigamus dicatur, quod scienter contraxerit bigamiam, quia bigamia non in penam contrahentis, (ubi sine dubio propositum & scientia desideraretur) sed propter defectum Sacramenti, quem etiam ignorans patitur, impedimentum facit ordinando, ut bene notat Joan. Honorius, *hoc tit. num. 3.* Patitur autem defectum in Sacramento is, qui conjugem suam adulteram cognoscit, quod ipsius Matrimonium cesset significare conjunctionem Christi cum Ecclesia unica unice.

III. *Interpretativa* bigamia efficitur, qui in figura & specie Matrimonij viduam, vel plures mulieres tanquam uxores suas cognovit, quamvis a parte rei propter impedimentum aliquod dirimens uxores legitimae non fuerint, tales enim bigami censentur, non quidem propter defectum significationis Sacramentalis, cum ex supposito nullum Matrimonium, aut Sacramentum fuerit, sed propter affectum intentionis, cum opere subsequuto, quia quantum in ipsis fuit, secundas mulieres matrimonialiter sibi junxerunt. *c. nuper. 4. c. fin. b. i.* Unde haec est specialis exceptio ab illa regula, quod non praestet impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, omnes enim regulae generales procedunt regulariter, & cedunt constitutionibus specialibus. Requiritur autem in omni casu bigamiae perfecta copula, & non sufficit nudus contractus Matrimonii.

De eo, qui cum vidua nulliter contraxit, putat Navar. *in Manual. cap. 27. num. 195.* probabiliter dici posse, non contraxisse irregularitatem, quod, *cap. fin. hoc tit.* tantum de Clerico loquatur, de Laico au-

tem sic contrahente nulla juris dispositio habetur. Nihilominus probabilius videtur, non esse hac in parte inter Clericum & Laicum differentiam faciendam, quia ratio constitutionis, scilicet intentio sive affectus Matrimonialis cum opere subsecuto in utroque locum habeat; ubi autem est eadem ratio, eadem debet esse juris constitutio. Zoëlius, *hoc tit. num. 12.* Covar. *in Relect. Clem. sifuriosus de homicid. parte. 1. §. 1. num. 2.*

Quid autem si Matrimonium cum corrupta uerit nullum, non tantum ob impedimentum consanguinitatis, aut aliud dirimens, sed ex defectu consensûs, cum ille, qui contraxit, tantum ad habendam mulierem simulavit Matrimonium? Etiam hoc casu contrahi irregularitatem, censet Zoëlius *hoc tit. num. 11.* eò quòd Ecclesia attendat exteriorem consensum, qui ponit indecentiam, & arguitur, *ex c. 4. hoc tit.* quod loquitur de sacerdote contrahente, qui utique non potest habere verum consensum in Matrimonium. Libenter quidem subscribo huic opinioni eo casu, quo constat, aliquem de facto contraxisse cum corrupta, & non satis constat de defectu intentionis, quæ cum sit de internis, facile apparere non potest. Attamen cessante scandalo, & casu occulto posito, ubi v. g. aliquis cum corrupta contraxisset, quæ tamen publice Virgo credebatur, putarem, valde probabiliter talem ab irregularitate excusari: quia Canones non quancunque conjunctionem, sed cum intentione maritali requirunt, & cum alias irregularitas sit strictè interpretationis, *is qui. 18. de sententia excom. in 6.* non videtur ultra verborum proprietatem extendenda. Neque hic in foro externo poneretur indecentia aut scandalum, cum supposita virginitatis estimatione nulla crederetur inducta irregu-

laritas. Instantia etiam de Sacerdote allata non convincit, licet etiam Sacerdos, de quo, *in cap. 4. hoc tit.* non potuerit habere intentionem contrahendi Matrimonium Canonice & juris, potuit tamen habere intentionem naturalem & facti.

Hinc etiam est, quòd ex defectu consensûs Matrimonialis, & sacramenti bigamus reputandus non sit, qui extra Matrimonium cum corrupta peccavit, vel plures concubinas habuit. *cap. quia circa. 6. hoc tit.* Sed cur magis sit irregularis ducens corruptam, quam corruptus ipse, rationem assignant, quod sicut motus specificatur à terminis, ita etiam actus contrahendi Matrimonium & vitium corruptionis non cadat supra se ipsum, sed supra alterum conjugem, & consequenter, si etiam mulier esset capax Ordinis, ducendo corruptum efficeretur irregularis. Hanc rationem à Divo Thoma assignatam communi consensu approbati testatur Covar. *d. l. sub num. 3.* Aliæ rationes videantur apud Gloss. *in c. debitum. §. hoc tit.*

Quod si quis à se tantum prius corruptam in uxorem duxerit, verius est cum Gloss. *fin. in d. c. debitum.* & Covar. *cit. l.* non censendum irregularem, quia talis adhuc est *unica unici*, & Matrimonium subsequens quoad forum externum tollit præcedentem maculam, ac fictione juris habetur perinde, ac si copula in Matrimonio contigisset. *DD. in c. tanta. 6. Qui filii sunt legitimi.*

De infidelibus ad fidem conversis dubitatur, an si prius in infidelitate corruptam duxerint, vel plures uxores habuerint, hæc polygamia causet irregularitatem? In hac questione SS. PP. Hieronymus, & Augustinus olim in diversas sententias abierunt, ut videre est *in c. 1. & seqq. dist. 20. magis*

magis tamen recepta est sententia affirmativa, quæ fuit S. Augulini, Ambrosij, & Innoc. eò quòd hæc irregularitas non fundetur in aliqua culpa, quæ per baptismum tolli possit, sed in ratione & defectu significationis Sacramenti Matrimonialis sapius insinuata. Nec etiam obeft, quòd jus Pontificium non liget infideles, quia saltem ligat post conversionem, quando ratio irregularitatis ex actibus in infidelitate factis adhuc perdurat. Covar. in Relect. Clem. si furiosus. parte 1. §. 2. n. 5. de Homic.

9 *Similitudinariam* demum bigamiam contrahit, qui prius per votum solenne Religionis, aut sacris Ordinibus annexum spirituale matrimonium cum Deo vel Ecclesia contraxit, & postea Matrimonium carnale de facto attentare præsumsit. Dicta est hæc *similitudinaria* bigamia à similitudine, quam inter se habet spirituale & carnale conjugium. cap. quæ Christo 10. caus. 27. quest. 1. cap. 1. & cap. 2. Qui Clerici vel vocentes. cap. fin. hoc tit.

Dubitari etiam posset, quomodo intelligendum sit cap. unicum. hoc tit. in 6. ubi declarat Pontifex, bigamos omni privilegio clericali esse nudatos, & jurisdictioni fori sæcularis esse addictos, prohibitos quoque sub anathemate deferre habitum, & tonsuram clericalem? n. interpretationem esse desumendam ex cap. unico. de Clericis conjugatis. in 6. ubi Clericus in minoribus constitutus, si cum unica & virgine contraxerit, dicitur gaudere omni privilegio clericali, & Trident. Sess. 23. de Reform. cap. 17. voluit, si deficiant Clerici cælibes pro exercitio minorum Ordinum, Clericos conjugatos saltem in Ecclesia habitum clericalem geitantes constitui. Quòd si ergo Clericus in minoribus constitutus bigamiam contraxerit, ipso jure perdit clericalia privilegia; in sacris autem Ordini-

bus constitutus non perdit privilegium clericale, sed si ante Ordines susceptos contraxerit bigamiam, manet irregularis, & suspensus usque dum dispensationem impetrarit: si postea de facto attentarit Matrimonium, & sic bigamiam similitudinariam incurrerit, poterit ab Episcopo dimissa uxore absolute obtentâ, & peractâ longiori arbitrio Episcopi infligendâ poenitentia, certaque emendatione apparente officio suo restitui, & etiam ad ulteriores Ordines promoveri. cap. sane. 4. & ibi Gloss. de Clericis conjug. dummodo non cum vidua, vel corrupta, aut pluribus uxoribus contraxerit. cap. nuper. 4. & cap. fin. hoc tit. Barb. in d. cap. 4. num. 2.

Sciendum ultimò, quòd hæc irregularitas ex communi Doctorum sententia tantum juris positivi sit, & consequenter in ea summus Pontifex dispensare valeat, non obstante, quòd in cap. 2. & seq. hoc tit. dicitur, doctrinam Apostoli esse, ne bigamus ordinetur, & ideo in bigamia dispensare non licere: quia Doctores hæc verba de difficultate dispensationis, & præsertim non suppositâ satis iustâ causâ intelligunt. Ceterum autem non omnia, quæ Apostoli constituerunt, juris divini sunt, nisi aut subiecta materia, aut verba Apostoli insinuent, quòd ex Deo acceperint, quia & ipsi Apostoli tantquam suo tempore Primates & Antistes Ecclesiæ multa separatim à præceptis divinis pro rationabili fidelium directione, sicut hodie solet summus Pontifex, & Episcopi latuerunt; prout Apostolus in eodem contextu. 1. ad Timoth. 3. ubi de bigamo loquitur, etiam prohibuit, ne percussor, vel criminosus ordinetur, & tamen in cap. & si Clerici. 4. §. de Adulteris. de Judicialibus. conceditur Episcopo, post peractam poenitentiam in adulteris, & alijs minoribus delictis dispensare, & optimè con-

firmant verba Apostoli. *1. ad Corinth. 7. v. 12. veteris ego dico, non Dominus &c.*

Episcopo autem non nisi in similitudine *bigamia* dispensare conceditur, vel si casus necessitatis ob penuriam Clericorum & difficilem accessum ad summum Pontificem daretur; & ex jure novissimo Conc. Trident. *sess. 24. de Reform. c. 6.* si bigamia sit necessitate & simul ex delicto contracta, ut est illa, quæ oritur ex duplici Matrimonio, utroque vel saltem alterutro invalido. Barb. de Officio Episcopi parte 2. *Alleg. 49. n. 21.* Vide tamen, quæ dicam inferius in Tit. de Major. & obed. §. 4. ubi conabor probare, idem esse, de qualibet bigamia occulta etiam, sine delicto contracta.

Superiores Regularium habentes jurisdictionem quasi Episcopalem possunt in illis casibus dispensare cum suis Regularibus, in quibus Episcopi; per solum autem ingressum in Religionem non tolli hanc irregularitatem, neque dispensari posse à Prælato non exempto carente Episcopali jurisdictione, ferme communiùs receptum est, quod id in jure statutum non sit. Vid. Barb. d. l.

TITULUS XXII. De Clericis Peregrinis.

SUMMARIA.

1. Clerici peregrini sine testimonio Episcoporum de sua ordinatione non sunt admittendi ad sacra saltem publica.
2. In defectu testimoniorum qualiter probentur Ordines?
3. Cognitio de Ordinibus circa Clericum peregrinum pertinet privatè ad Episcopum.

Contingit non rarò, ut se divinis ministeris ingerant, qui aut ritè ordinati non sunt, aut certè aliquà censurà ecclésiasticà excommunicationis, suspensionis, Interdicti, vel irregularitate affecti

existunt, ideò hic & sequentes tituli materiae ordinationis annectuntur:

In hoc itaque tit. prohibetur Episcopis, ne Clericos peregrinos, id est incognitos & alienigenas publicè in Ordinibus ministrare permittant, vel ad altiores Ordines promoveant, etiam si juramento assererent se ritè ordinatos, & ab omni censurà liberos esse, nisi id ipsum per suorum Episcoporum scriptum testimonium, aut testes fide dignos ostendant, præsertim antequam per aliquod tempus ipsorum vita & boni mores approbati fuerint. *cap. 1. & 2. hoc tit.* faciliùs tamen in privata Capella ex devotione Sacerdos peregrinus celebrare permitti potest, si de illo nulla alia gravis suspicio habeatur. *cap. 3. hoc tit.* Quod si de facto Clericus peregrinus sine licentia Episcopi celebravit, nullam suspensionem aut irregularitatem ex hoc incurret, cum id jure expressum non sit. Barb. in Collect. DD. ad d. cap. 3. n. 4.

Quid autem si Clericus per injuriam belli exul, nec instrumenta, nec testes de sua ordinatione producere possit? Item quid, si suas literas aliquo casu perdidit, nunquid sufficiet, si juramento se ordinatum probaverit? *n.* quamvis in *cap. 2. h. t.* dicatur, non esse credendum Clerico juranti se ordinatum, nisi aliunde probet, id tamen intelligendum de eo, qui omisà petitione literarum à suo Episcopo, quas facile habere potuisset, discessit, cujus fides plurimum suspecta redditur, si se tam facile ad juramentum offerat, ad instar testis, qui non requisitus pronus est ad deponendum Panorm. in d. c. 2. n. 2. Verùm si Clericus peregrinus iustas causas probaverit, ob quas legitimum testimonium de sua ordinatione producere nequeat, tali causa, quia de nullius gravi præjudicio agitur, etiam per famam, bonam conversationem, item quòd

communiter reputetur pro Clerico, & alia indicia, ac insuper per juramentum ab Episcopo delatum Clericatus aut Sacerdotium probari recte poterit. Panorm. d. l. Garc. de Benef. part. 7. cap. 1. num. 138. Quid juris autem sit circa fori competentiam, quando captus à Laico Judice se Clericum esse prætendit, vid. tex. in c. si judex Laicus. 12. de Sent. excom. in 6. & trademus ad Tit. de Foro compet.

3 Notat quoque Panorm. in cap. 4. h. tit. num. 5. Joan. Honor. eod. tit. num. 6. ex tex. c. fin. h. t. quòd inferiores Prælati habentes jus instituendi in quibusdam Parochiis vel Beneficiis non debeant Clericum peregrinum instituere, antequam coram Diocæsano Episcopo exhibuerit suas dimissorias, aut probaverit se Sacerdotem, quòd hæc cognitio privativè ad Episcopum de jure pertineat.

TITULUS XXIII. De Officio Archidiaconi.

SUMMARIUM.

1. Archidiaconus quis, & quod ejus officium?
2. Archidiaconus de quibus causis judicare non possit?
3. Explicatur c. referente. 7. de Præbendis.
4. Archidiaconus solet in hac Diocesi major jurisdictione demandari.
5. Archidiaconus que prohibetur facere?
6. Archidiaconus non habet jurisdictionem in Monasteriis.
7. Archidiaconus an possit excommunicare?

Archidiaconus græcâ significatione primus, seu Princeps ministrorum dicitur, archos enim primum, & Diaconus ministrum denotat. cap. 1. dist. 21. Unde de jure antiquorum Canonum Archidiaconatus prima dignitas erat post Episcopum, sicut probat Barb. Jur. Eccl.

univ. lib. 1. cap. 24. num. 2. & 3. hodie tamen usus primum Ministerium Vicario generali attribuit, ut dicitur ad Tit. de Officio Vicarii num. 2.

Officium Archidiaconi de jure est I. Clericis & ministris Ecclesiæ, quæ faciendæ sunt, præcipere, Ecclesiasticum & divinum officium disporre, lectiones assignare, Acolythos constituere. cap. 1. & 2. h. t. II. Primariam sacrorum vasorum & Ecclesiæ custodiam habere. cap. ea quæ. 3. h. t. III. Loco Episcopi per Episcopatum prospiciens corrigere debet, quæ corrigenda sunt, nisi adeo fuerint ardua negotia, quæ absque Episcopi presentia nequeant terminari, unde & oculus Episcopi dicitur. c. Ad hæc. 7. h. t. & in Trid. Sess. 24. de Reform. cap. 1. in quo Trid. l. etiam requiritur, ut Archidiaconus, si fieri possit, Magister in Theologia, aut Doctor vel Licentiatus in Jure Canonico existat. IV. De tertio in tertium annum, si Episcopus non possit, diocæsin visitet. c. 1. h. t. quæ tamen hodie visitatio singulis annis per Episcopum ipsum, aut eo impedito, per Vicarium generalem fieri debet, & intra annum, vel saltem, si nimis ampla sit diocæsis, intra biennium completi. Trident. Sess. 24. de Reform. c. 3. V. Ecclesiis sui Archidiaconatus semel in anno visitare, nec sæpius, nisi ex causa necessitatis. canon. damus. 6. h. t. Addit quoque Conc. Trid. d. c. 3. quòd Archidiaconi, Decani, & alii inferiores in Ecclesiis, ubi hæctenus visitationem exercere legitime consueverunt, debeant assumpto Notario, de consensu Episcopi deinceps per se ipsos tantum ibidem visitare, ac visitationis factæ infra mensem rationem reddere, & depositiones testium ac integra acta eidem Episcopo exhibere, non obstantibus quacunque consuetudine, exemptione, vel privilegio. VI. Demum causæ Ecclesiasticæ coram Archidiacono ventilantur. d. c.

Ab hac. 7. Concilium tamen Trident. *Seff.*
24. de reform. c. 20. exceptit causas *matri-*
moniales, & criminales, majores scilicet,
 sed & causæ *beneficiales,* aliaque *altioris*
indaginis videntur esse supra jurisdic-
 tionem Archidiaconi, per *tex. in d. cap. 20.*
 Trident. & quæ ibi notat Barb. *in Collect.*
num. 6. nam & de jure communi tantum
de modicis jurgiis, & causis Clericorum,
 præsertim pecuniariis competere Archidia-
 cono cognitionem notavit Gloss. *in d. c.*
Ad hoc. in v. jurgia, & textum in c. re-
ferent. 7. de Præbend. ubi Archidiaconus
 Clericum beneficio privavit, & in eo alium
 instituit de jure speciali scilicet consuetudine,
 vel privilegio, ex quo illud beneficium ple-
 no jure ad Archidiaconum pertinuit, inter-
 pretatur Panorm. *ibidem n. 2.* vel quod id
 factum sit autoritate Episcopi censet Barb.
d. cap. 24. num. 28.

Verum in quibusdam Diocæsi-
 bus, ut in hac Salisburgensi, Archidiaconis, etiam
 de matrimonialibus, & aliis causis in pri-
 mæ instantiâ judicare concessum, ex speci-
 ali commissione Episcoporum, quam jam
 longior consuetudo confirmavit. Quare in
 similibus causis, quæ Archidiaconis non
 competunt vi sui officii, & ex jure com-
 muni, sed ex speciali commissione non tam
 Archidiaconi, quam Vicarii foranei (de
 quibus inferius in tit. de Vicario dicemus)
 censendi sunt.

Diximus hæcenus, quæ Archidiaconus
 vi sui officii facere potest, & debet ex præ-
 scripto juris; nunc subsequenter videamus,
 quæ facere prohibeatur. Et quidem I. sine
 mandato Episcopi alicui curam animarum
 committere non potest, & sic non habet in-
 stitutionem, quam vocant *Autorizabi-*
lem. c. cum sit is. 4. hoc tit. Institutio tam-
 en *corporalis,* sive actualis beneficiati in
 possessionem introductio ad eum pertinet.
d. c. Ad hoc. 7. hoc tit. sicut & actualis Ab-

batum, & Abbatissarum in sedem collocatio.
c. Ut nostrum. 9. hoc tit. Non obstat *c. Li-*
cet Episcopus. 28. de Præbendis in 6. ubi
 responsum est, missionem in possessionem
 beneficiorum ad Episcopum pertinere: quia
 potest intelligi de sententia seu decreto ju-
 diciali, non verò de ipsa executione, seu, ut
 vulgò loquimur, installatione. II. Archi-
 diaconus sine licentiâ Episcopi *dimissorias*
 dare nequit ordinandis. *c. Significasti. 8.*
hoc tit. III. Multò minus ex defectu Ordi-
 nis Episcopalis Ordines conferre potest;
 examinare tamen debet ordinandos, & Epi-
 scopo præsentare *d. c. Ut nostrum. 9.* quæ
 tamen hodiè præsertim post Trid. ubi exa-
 minatores ab Episcopo deputantur, aliter
 usu observantur. IV. In Monasteria ju-
 risdictionem non habet, nisi quantum tri-
 buit ei generalis vel specialis consuetudo.
cap. Dilecto. 10. hoc tit. V. Excommuni-

care non potest. *c. Archidiacono. 5. hoc tit.*
 Nisi & hoc ipsum habeat vel ex autoritate
 Episcopi, vel ex consuetudine, quo sensu
 intelligitur. *d. cap. referente. 7. de Præ-*
bendis. c. cap. 1. de eo, qui surrive ordi-
nem suscepit. Nec movet, quod Archi-
 diaconus sit judex ordinarius, quilibet au-
 tem ordinarius ipso jure potestatem excom-
 municandi habeat, sicut videtur tenere In-
 noc. *in d. c. Archidiacono. arg. cap. 3. de*
Officio jud. ordin. nam potest responderi,
 excommunicationem esse actum majoris Ju-
 risdictionis, & quæ non nisi in gravioribus
 causis ferri solet: Archidiacono autem tan-
 tum competere minorem jurisdictionem in
 levioribus causis, ut dictum, sicut ergò in
 statu seculari potest dari jurisdictio ordi-
 naria minor (quam Practici *hassam* vocant)
 sine jure gladii temporalis; ita etiam in
 statu Ecclesiastico potest esse jurisdictio
 quædam inferior ordinaria sine jure gladii
 spiritualis. Denique in variis Diocæsi-
 bus

U 2 circa

circa Archidiaconos plurima in desuetudinem abierunt, vel certè per Vicarium, aut alios Ministros expediuntur.

TITULUS XXIV.

De Officio Archipresbyteri.

SUMMARIA.

1. Archipresbyter quis? Et subest Archidiacono.
2. Archipresbyter urbanus & ruralis.
3. Archipresbyter an habeat jurisdictionem.
4. Archidiaconus & Archipresbyter debent suscipere Ordinem suo nomini congruentem.

Archipresbyter, quasi primus Presbyterorum, dicitur ille, qui præest Presbyteris & Presbyterialibus officiis, *cap. 1. hoc. tit.* aliòque nomine etiam *Decanus* quandòque vocari solet *c. Ad hæc 7. de Officio Archidiaconi.* Subest Archidiacono *cap. 1. b. t.* licet enim sit ordine major tanquam Sacerdos, cum non requiratur, ut Archidiaconus sit Presbyter; est tamen inferior jurisdictione, quia ad Archidiaconum totius Diocesis sollicitudo de jure antiquorum Canonum pertinet, unde & *Vicarius natus* à Doctoribus appellatur, de qua præcedentia inter Archidiaconum & Archipresbyterum videri potest *Barb. Jur. Eccles. univ. lib. 1. cap. 24. & seq.*

2. Sunt autem Archipresbyteri alii *urbani*, seu *civitatenses*, alii *plebani*, sive *rurales*. *Urbani* sunt, qui in Ecclesia Cathedrali hōris Canonici præstant, & Episcopi vicem in divino supplent officio. *Rurales*, qui curam animarum in plebe exercent, & super alios Parochos, ac Presbyteratos, qui per minores titulos habitant, inspectionem gerunt, circa quos inferiores Clericos ea quidem, quæ minora sunt, absque figura judicii disponere & componere possunt, majora verò omnia; & ea, quæ sine judicii

figurâ expediri nequeunt, ad Episcopum referre debent. Imò nec inobedientes, & negligentes vel delinquentes sine autoritate Episcopi punire valent. *c. officium 3. c. fin. ubi Glossa. in v. referant. & Abbas hoc. tit.* Riccius in *Praxi aurea. parte 2. Resp. 93. Barb. Jur. Eccles. univ. lib. 1. cap. 25. n. 32. & seqq.* Hinc est, quòd Archipresbyter non habeat propriè dictam jurisdictionem, & nec propriè sit judex ordinarius. Contrarium quidem insinuat Innocentius in *c. Archidiacono. 5. de Officio Archidiaconi.* eò quòd in *cap. 3. de Officio Jud. Ord.* supponatur, Archipresbyterum posse sententiam excommunicationis ferre; verior tamen est interpretatio Glossæ & Barb. in *eodem cap. 3.* quòd plebanus, de quo fit mentio in illo *cap. 3.* ex consuetudine (quæ aliquando dat jurisdictionem, *c. dilecti. 4. de Arbitris*) vel alio speciali privilegio habuerit majorem potestatem, quam aliàs de jure communi Archipresbyteris competit.

Porro Archidiaconi, & Archipresbyteri admonendi sunt, ne solum nomen, sed etiam ordinem nomini congruentem suscipiant; unde nisi Archidiaconus intra annum a die suscepti officii ordinem Diaconatus, & Archipresbyter Presbyteratus consequatur, amittunt officium. *cap. 1. dist. 60. cap. 1. X. & Clem. 2. de Etate & qualitate.*

TITULUS XXV.

XXVI. XXVII.

De Officio Primicerii, Sacristæ, & Custodis.

Primicerius dicitur, quasi primus in choro, & primus ratione cantus, atque alio nomine *Præcentor* vocatur secundum

alium Hostien. in Summa hoc tit. Offici-
um enim cantandi, & psallendi, atque ali-
os in eadem re instruendi illi principaliter
de jure incumbit, & inferioribus Clericis
lectiones ad matutinum, & modum can-
tantis assignare debet. cap. 1. §. ad primice-
rium. dist. 25. cap. unico. hoc tit.

Sacrista dicitur, ad quem propriè sacro-
rum vasorum, & thesauri Ecclesiastici cura
spectat, unde etiam *Thesaurarius* vocatur
dist. 25. cap. 1. in fine.

Custos est quasi Minister Sacristæ. Gloss.
& Panor. ad Rubric. 1. de Officio Custo-
di. Ad ejus officium pertinet iussu Archi-
diaconi ad horas canonicas pulsare, pallia &
linceamina altaris, & reliqua utensilia Ec-
clesiæ diligenter custodire, & quæ ad Sacri-
ficium Missæ necessaria sunt, parata habe-
re. cap. 1. & 2. de Officio custodis.

Ista quidem officiorum distinctiones,
& subalternationes de jure traduntur; ho-
die verò in diversis Ecclesiis diversi mores,
ac ritus reperuntur, ita ut titulum, vel
prebendam talium officiorum Canonici
obtineant, ipsius verò officii executio per
Vicarios, etiam Laicos, & Ecclesiarum fam-
ulos expeditur.

Præterea olim in Ecclesiis Cathedralibus
natus constituebatur, qui Clericos inferio-
res latinum sermonem, cantum, & alias ar-
tes, ac disciplinas docebat, atque inde
Scholasticus dicebatur, de quo etiam sta-
tuit Trid. sess. 23. de Reform. cap. 18. ut
Doctor, vel Licentiatu Theologiæ, aut Ju-
ris Can. esse debeat, qui valeat per se ipsum
id Scholasticæ munus implere. Sed & hoc
officium hodiè non exercetur, dum Clerici
in Gymnasiis, & Universitatibus artes
liberales, & scientias addiscunt; nomen ta-
men adhuc retinetur in Ecclesiis Cathedra-
libus, & sibi appropriat, qui *Scholasticus*
appellatur.

TITULUS XXVIII.

De Officio Vicarii.

SUMMARIA.

1. Vicarius alius natus, alius datus.
2. Vicarius alius generalis, alius foraneus.
3. Vicarius generalis potest esse tantum in Spiritua-
libus.
4. Vicarius foraneus quis?
5. Vicarius Generalis & foraneus in pluribus diffe-
runt.
6. A Vicario Generali non appellatur ad Episcopum.
7. Ponitur exceptio.
8. Excommunicato Episcopo an suspendantur Jurisdictione
Vicarii.
9. Vicarium an teneatur habere Episcopus, & an pos-
sit esse Religiosus, vel Laicus?
10. Vicarius in quibus debeat habere speciale manda-
tum, latius expenditur.
11. Vicarii officium qualiter finiatur?

Quamvis Archidiaconus & Archi-
presbyter Vicarii Episcoporum di-
cantur; c. 1. de Offic. Archidiacon. tum
quia in divinis officiis vices Episcopi; tum
in inspectione Diocesis curam gerunt:
quia tamen isti in minoribus tantum causis
potestatem habent, idè jure & moribus
receptum est, quòd Episcopus soleat alium
Vicarium deputare, qui in ejus tribunali
universum jus & justitiam administret, at-
que principalis Episcopi Minister existat.
Unde & Barb. de Offic. Episcop. alleg. 54.
num. 16. Archidiaconos & Archipresby-
teros vocat *Vicarios natos*, quibus ipso
jure, & unà cum officio Archidiaconali vi-
cariatus quasi agnoscitur, & alios *vicari-
os datos*, qui ab Episcopo creantur: sicut
infra dicitur alium esse *legatum natum*,
alium *missum*; & de jure civili tutor alius
legitimus, alius *datus*, juxta tex. &
Interp. in tit. Inst. de Legitimâ agn. tut.
& Tit. de Attil. tutore.



2 Vicarius Episcopi vel *generalis* est, vel *foraneus*:

Generalis, qui & *Officialis* Episcopi dicitur, est ille, qui generale mandatum habet ad totam Episcopi Jurisdictionem (specialibus tantum quibusdam exceptis) in civitate, & tribunali ipsius Episcopi exercendam, adeoque & propter praerminentiam sui officii in dignitate constitutus esse censetur, *Clem. 2. de Rescriptis, cap. statutum. 11. de Rescriptis in 6.* eumque principalem Episcopi ministrum appellat, & praeter omnibus aliis Canonicis, & Clericis saltem absente Episcopo habere praecedentiam dicit Riccius in *Praxi aurea parte 4. resolut. 391.* in qua tamen praecedentiarum materia ad consuetudines locorum potissimum attendendum est.

3 *Dubitant* Doctores, an ut aliquis dicatur *Vicarius Generalis*, debeat non tantum habere administrationem in *spiritualibus*, puta circa Clericos, beneficia, curam animarum, aliasque spirituales causas, sed etiam in *temporalibus*, nimirum circa bonorum temporalium alienationem, elocationem, reddituum collectionem? Utramque administrationem requirit Rebuffus in *Praxi beneficiorum, in Tit. Forma vicariatus, n. 16.* & Azor. *parte 2. lib. 3. c. 43. quest. 7.* Contraria tamen opinio, & quod sola administratio *spiritualium* sufficiat, probabilior, & receptior est. arg. text. in *Trid. sess. 13. de Refor. c. 2.* ibi: seu illius etiam vicario in *spiritualibus generalis*, & in *cap. cum nullus 3. de Temporalibus ordinat. in 6.* ibi: ipsius in *spiritualibus Vicarius Generalis* etc. *Garc. de Benef. parte 5. c. 8. n. 122.* Barb. *de Officio Episcopi parte 3. Alleg. 54. num. 57.* Uterius haec posterior opinio non parum confirmatur ex *Trid. sess. 24. de Reform. cap. 16.* ubi statuitur, ut Capitulum sede vacante infra

8. dies post mortem Episcopi Vicarium (utique *generalem*, quia ad totam Capituli jurisdictionem exercendam deputatur) constituat, vel existentem confirmet, & praeter istum Vicarium voluit tamen etiam deputari *aeconomum*, qui fructus & redditus Ecclesiae colligat, uterque autem futuro Episcopo rationem reddat, ille de iustitia, hic de temporalium administratione facta sede Episcopali vacante. Ex quo satis clare colligitur ad administrationem temporalium ad officium *Vicaris Generalis* ipso iure non pertinere.

Vicarius foraneus est, quem Episcopus habens amplam dioecesim in certa aliqua eius parte constituit. *Foraneus* dicitur, quod *foris* extra civitatem Episcopi constitutus sit. *Gloss. in cap. Romana. 1. in v. foraneos. de Officio Ordinarii. in 6.* Concludit quoque Barb. *d. loco. num. 126.* quod Episcopus quidem in civitate, ubi ipse residet, possit duos *Vicarios generales* creare, ut caularum expeditioni facilius consulatur, non autem in diversis locis, & extra civitatem suam, ita quidem, ut eum Episcopus haberet duas dioeceses aequè principaliter unitas (idem videtur, si una dioecesis extendatur in duas diversas Provincias) non tamen posset duos *Vicarios generales* constituere, sed ille, qui foret in civitate, ubi Episcopus residet, esset *generalis*, alter *foraneus*. Verum haec sententia apud nos recepta non videtur, solent enim Episcopi habentes amplas dioeceses ad diversas Provincias extensas plures *Vicarios generales* constituere. Haec quidem propositio in iure fundata est: *Omnis Vicarius foraneus constituitur extra civitatem Episcopi*: at forsitan non ista universalis conclusio: *ergo omnis, qui extra civitatem Episcopi constituitur, est foraneus*. Erit tamen talis Vicarius non *generalis simpliciter*,

ter, sed cum addito, in tali Provincia vel districtu; & si ab ipso ad Episcopum appellatio concederetur, tunc in effectu parum differret à foraneo, & erit potius Vicarius generalis titularis.

5 Interest autem in effectu, an quis sit Vicarius generalis vel foraneus. I. Si in jure vel rescripto Apostolico aliquid Vicarijs generalibus committatur, ad foraneum non pertinebit. II. Vicarius generalis est in dignitate, & propterea habilis, ut sit delegatus vel executor causarum Papalium, non vero Vicarius foraneus Clem. 2. de Rescript. junctio c. statutum. 11. eod. tit. in 6. Est enim dignitas administratio cum jurisdictione & precedentia, qualis precedentia singularis de jure Vicario foraneo non competit, adeo, ut ne Præpositos Collegiarum Ecclesiarum præcedat; & propterea magis officium quam dignitatem habere censetur, teste Barb. d. loc. num. 140. nisi consuetudine forte Vicariatus foraneus pro dignitate haberetur. III. Vicarij generalis tribunal est ipsum tribunal Episcopi; ideo à Vicario generali non ad Episcopum, sed Archiepiscopum appellatur, ne ab eodem ad eundem appellatur. cap. 2. de Consuet. in 6. c. Romana. 3. de Appellat. in 6. At vero à Vicario foraneo, qui separatim tribunal habet, ad Episcopum appellari posse, probabilius est, cum Gloss. in d. cap. Romana. in princ. in explicat. s. fin. & in d. Clem. 2. in v. foraneo. idque etiam apud nos usu receptum, ubi ab Archidiacono (quos habere cognitionem causarum matrimonialium, & criminalium de jure communi præsertim Conc. Trident. eis non competentem & ideo rectè Vicarijs foraneis numerari, superius dictum est) ad Episcopum appellatio interponitur.

7 Interim circa Vicarium generalem non pauci Doctores concludunt, quòd licet à

sententia definitiva Vicarij generalis ad Episcopum non appelletur, appellari tamen possit ab interlocutoria, item etiam de nullitate sententiæ coram Episcopo agi. Zerola in Praxi Episcoporum. v. Vicarius. Joan. Honorius. hoc tit. n. 23. & alij ibidem cit. Ratio esse potest, quòd Vicarius interloquens, aut sententiam de jure nullam proferens officio suo planè functus non sit, ac consequenter jurisdictionem Episcopi necdum exercuerit per totius causæ definitionem, ut propterea nihil obstet, quin in eadem causâ ab Episcopo exerceri valeat.

Sed & si ab Episcopo una specialis causa, quæ ordinario jure & ex generali mandato (de quo mox dicemus) Vicario non competit, eidem delegetur, ab eo ad Episcopum appellandum erit, ceu à delegato ad delegantem. L. unica. Cod. Qui pro sua jurisdictione. Si tamen detur potestas Vicario talem causam quodcumque emergentem semper imposterum tractandi, non erit Vicarius simpliciter sed delegatus ad universitatem causarum, & coadunabitur hæc potestas accessoria cum potestate ordinaria in ordinario tribunali Episcopi exerceri solita, juxta c. accessorium 42. de R. I. in 6. & non amplius ad Episcopum, sed ejus superiorum appellatio dabitur.

Præterea etiam videtur probabiliter dici posse, quòd excommunicato Episcopo non suspendatur jurisdictio Vicarij foranei: nam Gloss. & Doctores cap. 1. hoc tit. in 6. de Vicario generali accipiunt, & quidem ex hac causâ, quòd idem cum Episcopo tribunal habeat, quæ ratio deficit in Vicario foraneo, uti etiam in delegato notavit Gloss. in eodem cap. 1. in v. ipseus.

Quæritur etiam, an Episcopus teneatur creare Vicarium, & an possit Laicum vel Religiosum Vicarium constituere? R. I. si Episcopus velit, & sufficiat causas

ANGEL
VICARIUS
G.M.

fas per se tractare, non posse cogi ad Vicarium constituendum, quia ipsi Episcopo principaliter competit jurisdictio, & exercitium ejus; tunc vero si ob amplitudinem Diocesis, aliasque occupationes sive difficultates id facere nequeat; tunc enim ratio naturalis id exigit, ut justitiam, litigantibus, & statui Ecclesiastico per deputationem Vicarii consulatur; quo modo conciliari posse videntur diverſae de hac quaestione Doctorum opiniones relatae à Barb. d. Alleg. 54. n. 122.

R. II. de Religioso communiter affirmari cum Navar. in Commentario 2. de Regularibus. n. 68. Azor. parte 2. lib. 3. cap. 43. quaest. 10. quod cum licentia sui Abbatis possit esse Vicarius Episcopi. *Excipiunt* tamen Religiosum de Ordine mendicantium propter text. in Clem. 1. §. ad Prioratus. de Regularibus. Item & Religiosum illegitimè natum, qui licet per ingressum in Religionem legitimeretur quoad Ordines, non est tamen capax dignitatum. Majolus de Irregularitate. lib. 1. c. 3. n. 10.

R. III. de Laico communiter negari, quod Vicarius Episcopi esse valeat, quia utique inconveniens est, ut Laicus personam Episcopi representet, in ejus tribunali praesideat, & omnem spirituales jurisdictionem exerceat, contra cap. 2. de Judiciis. Unam tamen vel alteram causam pecuniariam, & civilem Laico delegari posse ab Episcopo, non improbabiler docet Glossa in d. c. 2. in v. non presumant. Panorm. ibidem n. 9. & 13. Assessorum quoque sive Consiliariorum Episcopi in causis Ecclesiasticis posse esse Laicum non tantum inter Doctores, sed etiam in praxi receptum est. Vicarium etiam Episcopi in temporalibus tantum nimirum ad colligendos ejus redditus (qui potius a economi officium habet) Laicus esse non prohibetur.

Ceterum Vicarius generalis licet habeat generale mandatum, non tamen potest omnia facere, quae Episcopus: sunt enim multa, quae speciale mandatum requirunt. Imò etsi Episcopus constituendo Vicarium diceret: *do tibi potestatem, omnia meo nomine exercendi. etiam quae speciale mandatum requirunt*: adhuc tamen talis clausula in jure pro non sufficiente, & nimis generali haberetur, adeoque adhuc procederet regula 81. juris in 6. quod in generali concessione non veniant ea, quae quae versimiliter non esset in specie concessurus. Ut ergo Episcopus cum effectu possit constituere Vicarium etiam ad specialia, debet aliqua specialia nominatim exprimere addita dicta clausula & omnia alia &c. & tunc quidem Vicarius poterit omnia minora expressis, non autem majora: Ita enim in mandato Procuratoris (a quo bonum est argumentum ad mandatum Vicarii, qui quodiammodo est Procurator Episcopi) testis aperte patet ex cap. qui ad agendum. 4. de Procuratoribus in 6. junctim Clem. 2. eod. t. Garc. de Beneficiis parte 5. cap. 8. n. 68. & communiter alii.

Verum quam sint illa omnia, quae speciale mandatum requirunt, difficile est, aliqua generali regula complecti propter diversas Doctorum sententias & opiniones. Unam regulam ponit Garc. d. l. n. 46. & 63. quod ea quidem, quae sunt de justitia necessario administranda, ut decisiones causarum litigiosarum, institutio praesentiarum &c. regulariter possit Vicarius, non vero ea, quae sunt mera gratia, ut dispensare, conferre beneficia &c. nisi utrobique speciali jure exceptio ponatur.

Attamen etiam haec regula non est infallibilis, vel apud omnes recepta. Etenim circa actus justitiae ut plura alia omittimus, docet Rebuffus in Praxi benefici-

rum in tit. *Forma Vicariatus*. n. 126. quod Vicarius presentatus à patronis sine speciali mandato instituere non possit. Item n. 155. quod causas matrimoniales tractare nequeat, licet interim in utroque puncto communior opinio sit in contrarium apud Barb. d. *Alleg.* 54. num. 70. & 74. Circa actus etiam *gratia*, ut dispensationes, remissiones denuntiationum matrimonialium, & similes, plures contrarium sentiunt apud eundem Garc. d. l. num. 54. cit. Quare potius videtur dicendum cum Sanch. de *Matrim.* l. 3. disp. 59. quest. 2. n. 1. & seq. quod, cum Vicarius utatur jurisdictione, & tribunali Episcopi, regulariter, quae conceduntur Episcopo, etiam ipsi concessa intelligantur, nisi fuerint specialiter in iure excepta, vel resarduae, & magni praedicii quae verisimiliter Episcopus nolle sine suo praesentato expediri.

Excipitur autem specialiter in iure. I. Quod licet in Vicarium ex generali mandato transferatur causarum cognitio, id tamen potius de civilibus, quam criminalibus intelligendum sit, adeoque sine speciali mandato Vicarius non habeat potestatem inquirendi, puniendi, beneficiis, officiis vel administrationibus privandi cap. 2. hoc tit. n. 6.

Excipitur II. collatio beneficiorum, quae est species donationis: donationes enim rei alienae administrator facere nequit, etiam si illi libera administratio concessa sit, cap. 3. eod. tit. in 6. Quod tamen, ut dictum, communius de collatione libera, non de institutione accipiunt: nam institutio propterea non habet speciem donationis cum praesupponat jus petendi in praesentato, cui ex praesentatione Patroni jus acquisitum fuit.

III. Vicarius Episcopi non potest sine speciali mandato dare *dimissorias literas*, ENGEL IN DECRET. LIBER I.

nisi Episcopo in remotis agente. cap. cum nullus. 3. de *Temporibus ordinat.* in 6. Unde & stylus est, quod Vicarii dantes *dimissorias* inferant nominatim clausulam, *ex speciali mandato &c.* Quodnam autem Episcopus dicatur in remotis agere, tractat ibidem Glossa. in v. *remotis*, ubi postquam diversas sententias retulit, nimirum quod aliqui censeant, si absit extra Provinciam, arg. l. ult. Cod. de *Prescript. long. temp.* vel si sit ultra duas dietas à sua Civitate, arg. cap. nonnulli. 28. de *Rescriptis*. denique concludit, hoc esse arbitrarium, scilicet pro majori, vel minori difficultate conveniendi Episcopum.

IV. Licet Episcopus in omnibus irregularitatibus & censuris ex delicto occulto provenientibus (excepta eà, quae oritur ex homicidio voluntario & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum) dispensare possit, juxta Trident. Sess. 24. de *Reform.* cap. 6. id tamen Vicario absque speciali mandato non conceditur, ut apparet ex illis verbis in cit. loc. Trident. positus: *per se aut Vicarium ad id specialiter deputandum &c.* in haereticis autem crimine Conc. d. loco. Episcopis tantum, non eorum Vicariis absolutionem concedit. Non desunt tamen Interpretes, quorum meminit Sanch. de *Matrimonio*, lib. 2. disp. 40. n. 17. qui putant, etiam casum haereticis posse specialiter Vicario delegari, dummodo illa delegatio non sit perpetua, sed ad unum, vel alterum praesentem casum restricta: durum enim videtur, ut Episcopis delegandi potestas à communi iure concessa universim adimatur, adeoque benigniori interpretatione opus est.

V. Non potest Vicarius sine speciali mandato absolovere à calibus Episcopo reservatis. cap. 2. de *Poenitent. & remiss.* in 6.

VI. Vicarius sine licentia Episcopi alium

X

Vica-

Vicarium substituere nequit: nam is tantum mandare jurisdictionem potest, qui eam suo jure, non alieno beneficio habet. *L. more majorum. s. ff. de Jurisdictione*, mandata autem jurisdictionem ipsemet habens, sicut Vicarius, caret propria jurisdictione, & alienam utitur, scilicet ipsius Episcopi. *l. i. ff. de Officio ejus, cui mandata est*. consequenter alteri mandare non potest. Est autem *mandare jurisdictionem*, universalitatem causarum alicui committere, ut in sequenti titulo explicabimus. Unam vero & alteram particularem causam Vicarius Episcopi, & quicumque *mandatam* jurisdictionem habet, etiam sine mandato speciali delegare non prohibetur. *L. cum Prator. 12. §. 1. ff. de Judiciis*. Gloss. in *cap. 1. in v. ipsius. hoc tit. in 6.*

VII. Sine speciali commissione Diocesim visitare non potest Vicarius: hoc enim onus principaliter Episcopo incumbit, nisi iusto aliquo impedimento detineatur. *c. si Episcopus. 6. & ibi. Gloss. in v. permittitur. de Officio Ordinarii in 6.* Et hæc sunt, quæ textibus clarioribus innuntur. Multa vero alia refert Barb. *de Officio Episcopi. Alleg. 54.* quæ Vicario prohibita sunt, in quibus tamen sæpe reperiuntur discordes opiniones Doctorum, & alia regula dari vix potest, quam ex arbitrio prudentis viri, an nimirum casus emergens sit similis, vel major illis, qui in jure expressi sunt, & quem Episcopus verisimiliter nolit sine suo præfatu expediri: e. g. auctoritatem in alienatione rerum Ecclesiasticarum majoris momenti interponere, resignationes beneficiorum recipere, pensionibus vel collectis, aut charitativo subsidio onerare beneficia & Clericos, concedere alieno Episcopo licentiam actus Ordinis in Diocesi exercendi, relaxare censuras ab Episcopo latis, & similia. In praxi rarius est difficultas, quia

si Episcopus sit præfens, negotia magis ardua ad ipsum referuntur; si sit absens, solet dare plenius mandatum etiam ad specialia ipsi Vicario; & deinde consuetudo & stylus judicii plerumque declarat, in quibus Vicarius Episcopi sine speciali mandato procedere valeat.

Finitur officium Vicarii revocatione Episcopi. Item morte vel excommunicatione, sicut in Episcopo tollitur jurisdictione, ita etiam in Vicario, qui non censetur habere propriam, sed mandatam & Episcopi jurisdictionem. *cap. 1. hoc tit. in 6. Zoch. hoc tit. num. 12.*

TITULUS XXIX.
De Officio & Potestate
Judicis Delegati.

SUMMARI A.

1. *Judex delegatus quis?*
2. *Delegati alii ad universitatem causarum, qui proprie dicuntur habere mandatum Jurisdictionem; alii ad particularem causam, qui proprie delegati sunt.*
3. *Inter mandatam & delegatam Jurisdictionem, quæ sunt differentia.*
4. *Alii delegati à Jure, alii ab homine.*
5. *Quatuor modis Episcopo tribuitur specialis Jurisdictio & potestas.*
6. *Delegatus ab homine debet edere suam commisionem.*
7. *Qui possunt delegare: & quid de minoribus Judicibus?*
8. *Examinatur exactius illa questio, an delegatus Principis possit subdelegare, etsi impetratus non sit?*
9. *An à subdelegato ad delegatum vel primum delegantem appelletur? distinguitur.*
10. *Delegatus non debet excedere fines sue commisionis, potest tamen provocationem quandam ferre ex consensu partium, & causi exigente.*
11. *Delegatus Pape debet esse in statu digniori quam inferiorum delegati.*

- 12. Item potest exequi suam sententiam, non delegati inferiori.
- 13. Omnes delegati habent aliquam coercionem contra contumaces: Delegatus autem Papa amplior.
- 14. Quando delegatus Papae non possit subdelegare?
- 15. Quomodo delegatus potest dare potestatem subdelegandi sui nomine & alias quisvis delegatus unum casum articulum subdelegare potest.
- 16. Quod iuris si delegatio unius casus sit facta pluribus?
- 17. Quomodo finitur delegatio?
- 18. Quomodo in causa suspecti Judicis procedatur.

Post Vicarios, qui generaliter vices alienas gerunt, recte agitur de *delegatis*, qui in iudiciis in unâ vel certis causis vices alterius subeunt. Est igitur *Judex delegatus*, qui in legibus *Judex datus* appellatur, ille, qui ex commissione alterius causae alicujus iudicalem cognitionem confequitur. Spec. in princ. hujus tit. creatur enim *delegatus*, quando *Judex*, coram quo alias ordinario jure partes inflare deberent, vel non vult, vel impeditus non potest causam per se tractare, quam propterea alteri tractandam committit. Unde & Practici tales delegatos *commissarios* appellant; & de illis specialem tractatum edidit Rurigerus Rulandus.

Sunt autem *delegati* varii. Quibusdam delegatur in universum iudicatio, ut de Jure Can. *Generalis Vicario* Episcopi; de jure Civili olim *Legato Proconsulis*. L. 4. §. 6. & L. *Legati*. 13. ff. de Officio Proconsul. hodie Praefectis castrorum, & oppidorum ad dominos temporales pertinentium; vel certam saltem genus causarum, v.g. matrimonialium, aut criminalium, ut *Vicario foraneo*. Tales vocantur *delegati ad universitatem causarum*, & secundum proprios juris terminos dicuntur habere *mandatam jurisdictionem*. Quibusdam verò committitur una tantum, vel altera particularis causa hic & nunc emergens cogno-

scenda, aut terminanda, & isti proprie, & simpliciter *delegati* sunt, de quibus potissima capitula hujus tituli loquuntur.

Quae differentia inter *mandatam* & *delegatam* jurisdictionem ad intellectum jurium diligenter est advertenda. *Mandatam* enim jurisdictionem habentes magis ordinariis iudicibus comparantur, ut dicemus infra in Tit. de Officio Judicis ordin. n. 3. Deinde alii effectus *mandatae*, alii *delegatae* jurisdictioni attribuuntur, prout in L. fin. ff. de Officio ejus, cui *mandata* est *jurisdictio*, & in L. *more majorum* s. ff. de *Jurisdictio* dicitur, quod *mandata* jurisdictionem nequeat, qui ipse tantum *mandatam* habet, sed in L. cum Praetor. 12. §. 1. ff. de *Judicis* conceditur potestas *dandi iudicem* (id est *delegandi* ad particularem causam) etiam ei, qui *mandatam* jurisdictionem habet. In L. 1. ff. quis, à quo *appelletur*, non recte ab habente *mandatam* ad mandantem appellatur, sed ejus superiorum. At verò in L. unica. Cod. *Qui pro sua jurisdictione* admittitur appellatio à *delegato* ad *delegantem*. Videatur Fachinæus Lib. 1. *Controv.* c. 28. & lib. 12. cap. 89. Interim circa punctum appellationis videtur probabiliter textus accipiendus de *mandata* jurisdictione *universali*, quae exercetur in tribunali mandantis, sicut habet *Vicarius generalis*, ne ab eodem tribunali ad idem appellatur, non autem de *particulari* in separato tribunali exerceri solita, prout de *Vicario foraneo* dictum.

Rursus alii sunt *delegati ab ipso jure*, & alii *ab homine* constituti. *Ab ipso jure* constituti delegati censentur Episcopi, quibus jus in certis casibus contra exemptos privilegatos ad conservandam disciplinam Ecclesiasticam jurisdictionem delegatam delegatione *clausa in corpore juris* concessit, cujus rei exempla plura sunt tum de

ANGEL
 DE
 JURIS
 COD.
 III
 720



jure antiquo in cap. irrefragabili. 13. §. ceterum. de Officio Ordinarii. Clem. unica. de Suppl. negl. Prælatorum & sæpius alibi. tum in Conc. Trid. sess. 5. de Reform. c. 2. sess. 6. de Reform. cap. 2. & seq. & passim in aliis sessionibus. qui casus à nobis juxta materiam qualitatem in propriis titulis traditi sunt, & congesti videri poterunt apud Azor. Inst. moral. parte 2. lib. 3. cap. 54. Est autem hoc loco advertendum, Episcopo tribui specialem jurisdictionem, & potestatem à jure quatuor fermè modis:

I. Simpliciter cum clausula: *authoritate Apostolica*, vel *tanquam Sedis Apostolicæ delegatio*, &c. Et hoc casu Episcopus erit delegatus, ab eoque ad delegantem Pontificem appellabitur.

II. Clausulæ additur particula *etiam*, v. g. ut procedere possit *etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatus*, ut in Trid. sess. 6. de Ref. c. 4. & sess. 22. c. 10. cujus particulæ is est effectus, ut Episcopo censeatur data utraque potestas, ordinaria, & delegata, quæ maluerit uti. Volunt autem Doctores, quòd in dubio potius censeatur uti delegatâ, cum propter appellationem ad summum Pontificem sit ei magis honorifica, & rariùs contingat appellari.

III. In concessione jurisdictionis quandoque solum removentur obitacula ordinariæ jurisdictionis, puta, cum dicitur, *non obstantibus privilegiis*, ut in sess. 5. d. cap. 2. vers. *questores*. sess. 7. cap. 5. & 7. Clem. unica. de Testamentis. & in tali casu non censebitur facta delegatio, sed revocata privilegia, & excitata jurisdictione ordinaria.

IV. Denique aliquando Episcopis datur specialis potestas v. g. absolvendi, dispensandi, &c. sine ullius clausulæ adjectione, ut in Trid. sess. 24. de Reform. cap. 6. & tunc censebitur talis potestas eis data *speciali jure ordinario*. Videatur Barb. de Officio Episc.

parte 3. alleg. 92. Sanchez in Decalogo tom. 2. lib. 7. cap. 29. num. 181.

Ab homine constituti delegati sunt, quibus à summo Pontifice, Imperatore, vel aliis inferioribus Prælatibus, & Principibus, vel Judicibus causæ committuntur, quorum jurisdictione, cum non sit in jure fundata, sed per specialem delegationem data, non priùs accitatur, quam si Judex delegatus citacionem saltem authenticam suæ commisionis citato transmiserit, & comparent, ac petenti originale exhibuerit; nam aliquem delegatum esse quid facti est, facta autem non præsumuntur, nisi probentur. Gall. l. 1. observat. 48. num. 17. Mynf. Centur. 3. observ. 1. quamvis ab ordinariis magistratibus, item & delegatis à jure constitutis, quorum jurisdictione in jure fundata est, citatus simpliciter comparere debeat, & exceptionem declinatoriam fori, si quam habet, proponere. *L. si quis ex aliena*. §. ff. de Judicis. nisi hæc ipsa exceptio in jure communi fundata sit, uti est exceptio Clericorum respectu sæcularis Judicis; Studiorum respectu alterius magistratus, quam Academici; quo casu etiam ab ordinario magistratu alieno citatus comparere non tenetur, non enim debet Judex jus certum & regulare ignorare.

Delegare causas possunt magistratus ordinariam, aut etiam *mandatam* jurisdictionem habentes. *L. unica*. Cod. Qui pro sua jurisd. d. l. cum prætor. 12. §. ff. de Judicis. Minores tamen judices v. g. municipales, qui tantum de causis levioribus judicare valent, an delegare possint, controversia est inter DD. Negativa tamen sententia cum Fachinæo *L. 12. Controv. cap. 29.* videtur usui, & juri magis conformis; quia textus in *L. eum, qui 13. ff. de Jurisd. & in d. l. cum prætor. 12. §. 1. ff. de Judic.* majoribus tantum magi-

Porro hoc tit. nempe, ut si delegatus à Papa totam causam subdelegarit, nihil sibi reservando, tunc ad Papam; si verò aliquid sibi reservarit, certi v. g. articuli cognitionem, tunc ad ipsum subdelegantem appelletur, cum enim delegatus non habeat aliam in causa, quam delegatam jurisdictionem, si eandem per subdelegationem totam à se abdicet, non erit, quo jure recipiat appellationem.

10 Fines porro sui mandati, seu commissionis diligenter custodire debet delegatus, nec prorogare jurisdictionem ad alias personas in litteris commissionis non comprehensas cap. 40. h. t. potest tamen prorogare ex consensu partium de tempore ad tempus, de re ad rem, de loco ad locum; item etiam de connexis, & sine quibus causa principalis terminari non potest, jus dicere valet, & cogere partes parere suis mandatis per censuras Ecclesiasticas, vel alia media compulsozialia, invocationem brachij &c. et si litteræ id non expriment. Si dubitet delegatus, an actus aliquis suæ potestatis sit, secundam jussionem (ut Practici appellant) à delegante impetrare debet.

11 Inter delegatum S. Pontificis, vel alterius summi Principis & inter Delegatum inferiorum judicum notabiles sunt differentia. Nam I. S. Pontifex nunquam solet (quamvis utique possit) causas aliis personis delegare, quam in dignitate Ecclesiastica aut personatu constitutis, & etiam Cathedralium Ecclesiarum Canonicis; Unde Rescriptum, in quo alijs, quam hujusmodi personis delegatio facta est, de falsitate suspectum censetur. cap. statutum. 11. de Rescript. in 6. Episcopus verò & alii Judices inferiores (excepto Legato Pontificis d. cap. statutum) cuique Clerico aut Viro docto causas delegare possunt, quia illi melius norunt qualitates privatorum

Clericorum, quam S. Pontifex, & propter auctoritatem delegantis major status eminentia in Delegato Pontificis, quam inferioris desideratur.

II. Delegatus inferioris Judicis sententiam quidem ferre potest (nisi eandem sibi delegans reservaverit) ejus tamen executionem deleganti remittere debet. l. à Dro. Pio. 15. in pr. ff. de Re Jud. Delegatus autem Papæ quamvis possit executionem Ordinario demandare, cap. significasti. 7. & cap. pastoralis. 28. §. quia verò hoc tit. eandem tamen ipsemet rectè facit, atque potestas ejus circa executionem faciendam non ad tempus quadrimestre restringitur, sed ad annum integrum extenditur. c. quovrenti. 26. h. t. An verò possit alicui etiam ab inferiore Judice executio, merum aut mixtum Imperium delegari, suo loco dicitur.

Licet autem communiter, ut ante innuatam, concessa jurisdictione illa quoque concessa intelligantur, sine quibus jurisdictionis expediri non potest l. 2. ff. de Jurisdic. l. fin. ff. de Offic. ejus &c. specialiter tamen circa delegatum Pontificis statutum est, quòd omnes jurisdictionem suam impediētes, vel in judicium venire detrectantes, Ecclesiasticà districtione coercere possit, etiam si litteræ commissionis id non continerant, vel persona coercenda Episcopus sit, aut in suà dignitate major delegato: nam cum Delegatus vices Papæ agat, merito in illa causà superior omnibus alijs censeri debet, & major illis, quorum causam suscepit terminandam; ut Episcopo resistenti vel ingressum Ecclesiæ, vel sacerdotale officium interdiceret, aut etiam pro gravitate contumaciæ terram illius interdicto supponere valeat. cap. preterea. 5. hoc tit. cap. sanè 11. cap. pastoralis. 28. &c. ex litteris. 29. hoc tit.

14. III. *Delegatus* à Papa, sicut & de Jure Civili *Delegatus* à summo Principe potest causam *subdelegare*, saltem ex causa, ut supra dictum est. Quod si tamen à S. Pontifice alicui non jurisdictionis super totâ causâ, sed certum tantummodo ministerium delegatum esset, v. g. prædicare crucem, excommunicare, absolvere, dispensare, inungere poenitentias &c. ad tale ministerium delegatus, qui non foret simul Legatus Sed. Ap. subdelegare non posset. Sicut & tunc delegatio subdelegatio negatur, quando ei inquitur in crimina, vel ut Ecclesiæ de Prælato aut Ministris provideat, vel alia gravis causa, quæ sine ipso commode tractari non potest, committitur, quod tali casu industria personæ delegatæ electa censetur, *cap. fin. s. 3. autem h. t.* Delegatus verò ab Episcopo alicuique inferioribus Judicibus (imò etiam ab ipso Legato Sed. Apost. Zoëf. *h. t. n. 6.*) alium subdelegare non potest, cum id soli Delegato Principis concessum sit, *cap. cum causam. 62. in fin. de Appel. l. ad iudic. c. 5. C. de Jura.* potest tamen delegans dare delegato potestatem, ut ipsius delegantis nomine subdeleget, quasi tunc censetur ipse delegans noviter delegare, juxta regulam, *quod quis per alium &c.* Felin: *in cap. super quest. 27. §. Porro n. 18. h. t.* Sanch. de *Matrim. lib. 3. d. 31. n. 6. & 8.* Deinde unum causæ articulum v. g. examen testium, posse à Delegato inferioris Judicis subdelegari, verius censo cum Barth. *in l. more. §. ff. de Jur. dicit. om. jud.* contra Fachin. *in contror. c. 46.* quia tali casu magis intelligitur dare auditorem, quam Judicem. *arg. d. c. super quest. §. verum.*

16. Caterum *delegatio* fieri potest, non tantum uni, sed etiam pluribus, cum magis integram sit jurisdictionis, quod plurimorum sententiis confirmatur, *cap. prudentiam. 21. h. t.* Verum delegatione pluribus factâ num-

quid omnes delegati simul adesse & judicare debent? R. Attendendum esse, cum quâ *clausulâ* delegatio facta sit. Quandoque enim delegatur causa pluribus *simpliciter* sine omni *clausula*; & tunc nisi simul omnes delegati adfuerint, vel absentes vices suas aliis, vel ipsis conjudicibus subdelegarint, processus validus non erit, *c. causam. 16. hoc tit. l. duo 39. ff. de Re jud.* Quandoque autem adjicitur *clausula*, & hæc est in duplici differentia. Prima *clausula* est concepta his vel similibus verbis: *quod si omnes interesse nequiverint, reliqui exequantur*; & hoc casu valebit id, quod ab aliquibus ex condelegatis gestum est, qui etiam cogi non poterunt: admittere absentium subdelegatos, dummodo constet de impedimento absentium. Ita porro conditio: *si nequiverint*, involvit etiam conditionem: *si noluerint*, adeoque condelegatis *nolentibus* interesse, reliqui procedere poterunt, *d. cap. prudentiam. §. adjicimus.* Altera *clausula* singulos Delegatos *in solidum* constituit, si nimirum scribatur, *ut omnes Condelegati*, vel *duo*, aut *unus exequatur*. Ideo si vel unus solus hoc casu negotium irrequisitis aliis tractare coeperit, is solus exequetur, nec alii se ulterius intromittent, nisi infirmitate, vel alia iustâ de causâ illum, qui negotium inchoavit, impediri, vel spontè cedere contigerit, *cap. cum plures. §. junct. gl. in v. liberè. h. t. n. 6.* Istud quoque hîc notabile est, quòd si duo Condelegati diversas sententias proferant, utraque in pendentem futura sit, donec delegans alterutram confirmet, *cap. fin. de Sentent. & re jud. l. duo Judices. 28. ff. de Re jud.* Quamvis in Judicibus ordinariis diversas sententias proferentibus prævaleat, quæ est pro reo vel causa favorabili, *d. cap. fin. l. inter partes. 38. ff. de Re jud.*

De-

ANGEL
 DE
 OFFICIO
 JUDICIS
 DELEGATI
 C. III

17 Demum sciendum, quod *Delegatio* expiret.

I. *Revocatione*, aut morte delegantis vel subdelegantis re integrâ ante citationem, *c. gratum. 20. hoc tit. juncto c. fin. de Officio Legati. c. 6. & 7. hoc tit. in 6.*

II. *Morte Delegati*, neque transit ad successores, nisi facta sit delegatio non sub nomine proprio, sed sub nomine dignitatis v. g. tibi Abba, tibi Episcopo delegamus, &c. *c. quoniam. 14. hoc tit. Zoëf. eod. v. num. 33.*

III. Si *Delegatus* pronunciaverit sibi jurisdictionem non competere propter delegationem invalidam, *cap. significantibus. 38. hoc tit.*

IV. *Lapsu temporis* ad delegationem expediendam præfinita, nisi consensu partium prorogetur. *c. 4. ubi Gl. c. consuluit. 24. b. l. 2. §. 2. ff. de Judic.*

V. Postquam judex delegatus per se vel per alium sententiam executioni mandaverit, aut mandari præceperit, *cap. in litteris 9. hoc tit.*

18 VI. Denique recusatione suspecti. *c. causam. 17. & c. insinuante. 25. hoc tit.* Recusationis autem causa ita tractatur: si Delegatus Papalis sit, qui suspectus dicitur, & is condelegatum habeat cum clausulâ? *quod si non omnes &c.* causa suspicionis ab hoc condelegato cognoscatur. Sin minus, Arbitri communiter eligentur, qui cognoscere & pronunciare debent, verane sit & legitima causa suspicionis, *c. suspicionis. 39. & ibi DD. h. t.* ita ut si pronunciaverint justam, expiret delegatio, si injustam, delegatus valeat ut prius procedere, *c. secundo 41. §. 1. de Appell. & c. legitima. 2. eod. in 6.* poterit quoque Delegatus, antequam suspicio contra ipsum proponatur, causam subdelegare: postquam verò suspicio proposita est, non aliter valebit subdelegatio,

quàm cum consensu recufatoris. Imò si iam pronunciatum sit, veram esse causam suspensionis, tunc ne quidem cum consensu recufatoris subdelegatio fieri poterit, quia per talem sententiam proflus desit delegatio (non ordinarij, ut suo loco dicitur) jurisdictionis, *c. Judex. 5. hoc tit. in 6.* Et hæc ita se habent, si Delegatus Papalis sit. Si vero Delegatus sit vel Officialis Episcopi, qui ut suspectus recufatur, hujus recufationis cognitio ad Episcopum pertinebit. *c. si contra. 4. hoc tit. in 6.* De hoc plura infra in *Tit. de Appell. Lib. II.*

TITULUS XXX. De Officio Legati.

SUMMARIÆ.

1. Legati qui dicantur?
2. Legati Sedis Apost. triplices.
3. Legatorum officium.
4. Legati de Latere potestas.
5. Legatorum de latere circa beneficia potestas in Germania.
6. Nuntij Apostolici potestas.
7. Nuntius cum potestate Legati de latere missus quid possit?
8. Legatum se dicens debet probare, nisi fuerit Cardinalis.
9. Nuntij Apostolici ambientes literas recommendationis à Principibus excommunicantur.
10. Legati nati potestas.
11. Legati hodie in prima instantia non debent impedire Ordinarios.
12. Exempti possunt prorogare jurisdictionem Legati nati.
13. Legati officium qualiter finiatur?

Legatus aliter in Jure Civili, aliter in Jure nostro Canonico accipitur. Etenim in Jure Civili Legati dicuntur non tantum missi ad pacem vel aliud arduum negotium inter Principes tractandum (quorum violatio juri gentium adverfatur, *cap. 1. in*

ius gentium. 9. dist. 7.) sed etiam vicarij præsidum & proconsulum, quibus ab ipsis præsidibus & proconsulibus jurisdictio mandata fuerat. l. vicarius. 13. ff. de Legation. & tot. tit. ff. de Legato procons. Verum in Jure Canonico Legati s. Pontificis non tantum *mandatam* & vicariam, sed ordinariam jurisdictionem habent, & ipsis præsidibus & proconsulibus, qui olim apud Romanos ad regendas provincias deputati fuerant, comparantur, cap. 2. hoc tit. in 6. quorum Auditores, quos tales Legati constituere solent in provincijs sibi commissis, potius *legatis proconsulum* accesserit possunt.

2. Sunt autem *Legati Apostolici* in triplici differentia; quando enim Papa unum ex Collegio Cardinalium suorum quasi à *latere suo* (cui Cardinales semper assistunt) ad aliquam provinciam dimittit, dicitur *Legatus de latere*; quando alium Clericum, Episcopum, vel Prælatum non Cardinalem dimittit, dicitur *Nuntius Apostolicus*, vel *Legatus missus*; quando denique titulus legati alicui Archiepiscopatu vel alteri Ecclesie annexus est, dicitur *Legatus natus*, circa hos igitur

3. *Quæritur* II. quodnam sit Legatorum officium? R. Officium omnium Legatorum esse, in spiritualibus & Ecclesiasticis negotijs supremam in provincijs Ecclesie catholice gubernationem, & inspectionem habere, Principes & populos in fide & affectione erga Sedem Apostolicam conservare, Constitutiones Pontificias in usum deducere, aut quo minus juxta statum provinciarum deduci possint, summum Pontificem informare, aliæque, quæ pro utilitate Ecclesie expedire viderint, ad ipsum referre, & ideo Præsidibus & Proconsulibus comparantur, quibus olim Imperatores provincias regendas distribuebant, ut tantò faci-

lius universim populum Romanum in obedientia continerent.

Quæritur II. qualis potestas competat *Legato de latere*? R. Eum dignitate & potestate ceteros legatos longè antecellere. cap. 1. hoc tit. in 6. nam in primis præsentem *Legato de latere* alij legati non debent uti insignibus, aut officio suæ legationis, propter reverentiam enim majoris judicis suspenditur jurisdictio minoris. textus & Gloss. in cap. volentes. 8. hoc tit.

II. Legatus *de latere* ipso jure potestatem habet judicandi exemptos, & Abbatum exemptorum electiones confirmandi. cap. si Abbatem. 36. §. 1. de Electione. in 6. Gloss. in cap. 1. v. universas. hoc tit.

III. Absolvere potest percussores clericorum undecunque advenientes à censurâ reservatâ. cap. ad eminentiam. 20. de Sententia excom. cap. 4. & penult. ubi Gloss. in v. mittuntur. hoc tit.

IV. Circa dispensationes, absolutiones, matrimonii solemnizationes habet concurrentem jurisdictionem cum quolibet Ordinario suæ provincie. Barb. Juris Ecclesiast. univers. lib. 1. cap. 5. num. 72.

V. Potest in provincia sua concedere indulgentias *centum dierum*, quæ etiam durant finito officio legationis. Barb. d. loco num. 5.

VI. Potest facere *statuta obligantia* provinciam circa negotia spiritualia & ecclesiastica, quæ durant in perpetuum etiam post decessum suum, usque dum ab alio majore, vel simili potestate prædito revocentur, quæ tamen potestas generaliter Legatis, adeoque etiam alijs, quàm *de latere* attributa est. cap. fin. hoc tit. cap. 2. in eodem in 6.

VII. In conferendis beneficijs *Legato de latere* ampla potestas concessa est, nimirum conferendi quolibet etiam ad Sedem devoluta beneficia suæ provincie, ita ut

Y

inter

NGEL
 DE
 URIS
 III

inter ipsum & ordinarium Collatorem locus sit præventioni, sed & vacatura suæ collationi reservandi, dummodo non reservet pro speciali persona (ob periculum scilicet captandæ mortis) vel eundem collatorem binâ reservatione non impediat, aut gravet, *cap. 1. 3. & 4. hoc tit. in 6. cap. 2. de Præbendis in 6.* Item dummodo non sint dignitates, vel beneficia electiva. *d. cap. 4. aut de jure patronatûs laicorum competente ex fundatione, constructione, vel dotatione, cui nec ipse Pontifex solet derogare. Barb. d. loca num. 46.* In unienâ quoque Episcopatibus, vel transferendis Episcopis, eximendis Ecclesijs, & alijs, quæ in signum præminentia sunt reservata Sedi Apostolicæ, Legatus potestatem non habet. *cap. 3. & 4. x. hoc tit.*

Queritur autem III. an etiam in Germania talis potestas conferendi beneficia Legatis competat? *q.* quia in *Concordatis Germaniæ* inter Nicolaum V. Pontificem, & Fridericum Imperatorem, aliosque Principes & Prælatos Germaniæ initis diserte promittit summus Pontifex, quod in mensibus Ordinariorum & beneficijs non reservatis nolit eorundem Ordinariorum collationem impedire, ideo Legatus Pontificis id facere nullatenus potest, cum non sit supra jus, neque aliquid valeat, quod juri deroget, præsertim pactis, & contractibus, teste Barb. *d. cap. 5. n. 10.* Ad summum igitur Legatis in Germaniâ jus remanet conferendi beneficia ex negligentia inferiorum ad Sedem Apostolicam devoluta; non item beneficia reservata, nisi ex speciali privilegio. *Gloss. in cap. 1. in v. ampliori. hoc in 6.* Imò si beneficium ex negligentia Abbatis exempti esset ad Episcopum, seu Sedis Apostolicæ delegatum devolutum, *juxta Clem. unicam. de Sup. neglig. Prælatorum,* communiter sentiunt Authores, teste Erasmo

à Chokier. *de Jurisdictione Ordinarii in exemptos parte 2. quest. 2. num. 18.* *seq.* quod Legatus *de Latere* in hoc casu Episcopi collationem impedire non possit, quia Legatus habet Privilegium conferendi beneficia generale, Episcopus verò hoc casu speciale, in omni autem jure generi præspeciem derogatur. *cap. 2. hoc tit. cap. 19. neri. 34. de Reg. Juris in 6. Leg. in toto. 80. ff. eodem tit.*

Queritur IV. qualenam potestatem habeat *Nuntius Apostolicus*? *q.* totam potestatem *Nuntii Apostolici* esse potissimum de sumendam ex ejusdem commissione vel privilegio. Etenim de jure communi neque in beneficijs, *cap. 1. hoc tit. in 6.* neque in causis exemptorum, *cap. si Abbatem. 4. vers. hujusmodi. de Electione in 6.* vel in alijs singularis potestas ipsi tributa reperitur, nisi quod in *cap. penult. hoc tit.* absolutio à percussione Clerici, circa subditos tamen solummodo suæ provinciæ, concedatur, & in *cap. fin. hoc tit. & cap. 2. eodem in 6.* *Judex ordinarius* pronuntietur. Specialiter verò

Queritur V. quid censendum de *Nuntio*, qui ad Imperatorem, aliosque Reges mittuntur cum Titulo: *Nuntius Apostolicus cum potestate Legati de latere*, quæ *clausula* de stylo curiæ Romanæ solet ad illi Legatis, quibus S. Pontifex vivâ voce legationem demandavit, teste Hostiensis *in princ. hoc tit.* Nihil interesse, an quis Legatus *de Latere* sit, vel *eum potestate Legati de latere* mittatur, docet Zoëstus *hoc tit. num. 15.* *Garc. de Beneficijs. parte 5. cap. num. 82. arg. legis 1. ff. de Tutoribus datus.* ubi Proconsul, & proconsulari potestate præditus equiparari videntur.

Verùm mihi semper probabilius visum est, tantum interesse inter verum Legatum *de Latere*, & Nuntium missum *cum potestate*

state Legati de Latere, quantum interest, an quis habeat jurisdictionem ordinariam à lege, vel tantum specialiter demandatam; an quis sit Episcopus, vel tantum Vicarius Episcopi; Cardinalis, vel vices gerens, Dominus, vel tantum Procurator cum generali mandato. Etenim *hic Titulus* cum sit de jure scripto incognitus, & tantum de stylo Curie uittatus, ideo etiam de jure nulla specialis potestas ipsi adscripta est, & sicut Vicarius Episcopi cum generali mandato ut possit omnia, quæ Episcopus, Procurator ut possit omnia, quæ Dominus, non potest quedam majoris præjudicii, quæ Episcopus, vel Dominus non fuisset verisimiliter in specie concessurus. *cap. qui ad agendam. 4. de Procuratoribus in 6.* sic nec *Nuntius*, cui data est potestas omnia faciendi, quæ Legatus *de latere*. Ita sanè Piafocius in *praxi Episcop. parte 2. c. 5. n. 9.* expressè docet, quod *Nuntius cum potestate Legati de Latere* missus beneficia conferre nequeat, nisi ex speciali privilegio, & recte allegat textum in *cap. 1. hoc tit. in 6.* ubi legatus, qui Cardinalis non sit, denegatur potestas conferendi beneficia, *quantumcumque*, aut ibidem Pontifex, *plenam legationem obtineat*. Ipsi quoque prioris sententia Authores, Garcia, *d. cap. 6. num. 53.* de stylo Curie magnam differentiam inter Legatos *veros de latere* & *Nuntios* cum simili potestate missos admittere debent, quod illi regulariter omnia beneficia, sibi verò tantum simplicia, quæ valorem 24. Ducatorum non excedunt, conferre permittuntur. Ex quo etiam à minori ad majus inferre licebit, quod similes *Nuntii* neque in Exemptos habeant jurisdictionem sine speciali mandato; nam beneficia tantum de Episcopi, Exemptorum autem caute ille præjudicio Papæ sunt. Sed nec Legatus *natus* presente tali Nuntio veri-

similiter sua insignia, purpuram scilicet & alia, quæ enumerat Barb. *d. loco. num. 22.* deponeret. Non obest *d. L. 1. ff. de Tutoribus datis*. Quia ibi non dicitur, quod vices Proconsulis aut Præsidis gerens omnia possit, quæ Præses, vel Proconsul, sed tantum agitur de datione Tutoris; à particulari autem ad universale non est bona illatio, eadem enim datio tutoris in *d. L. 2. §. 1.* etiam Legato Proconsulis permittitur, qui tamen utique potestate minor est Proconsule. Item non obstat, *cap. si Papa. ro. de Privilegiis. in 6.* ubi dicitur, quod verba Papæ aliquid operari debeant, nihil autem operarentur, si Nuntius *cum potestate Legati de latere* missus non haberet majorem potestatem, quam alius Nuntius. *n.* enim talia verba operari relative, quia se referunt ad mandatum Pontificium, & privilegium, quod in ampliori forma datur talibus Legatis, quam aliis; & ut compendio dicam, potestas istorum Legatorum non ex Titulo seu clausula, sed Titulus ex potestate in literis commissionis inserta deducitur.

Queritur VI. an asserenti se Legatum à summo Pontifice missum, credi debeat citra exhibitionem mandati Apostolici? *n.* esse distinguendum inter Legatum Cardinalem, & Nuntium Apostolicum: Cardinali enim asserenti se Legatum (dummodo noscatur esse Cardinalis) creditur sine aliâ probatione, eo quod Cardinales non solent à Curia abesse sine officio Legationis, nisi tamen aliqua à jure communi sibi non concessa prætenderet, qualia non præsumerentur aliter, quam ex mandato Apostolico probata. Inferiori autem Clerico vel Prælato asserenti se Nuntium Apostolicum non habetur fides, nisi ostensis literis Papalibus. Textus & Gloss. in *cap. fin. dist. 97. c. cum in jure. 31. de Officio delegati.* Azor. *Instit.*

stitut. moral. parte 2. lib. 5. c. 27. quest. penult. Idemque dicendum, tamen si asserat se Nuntium cum potestate Legati de latere: adhuc enim Cardinalis non est, & consequenter illam præsumptionem pro Cardinalibus militantem non habet, generaliter autem Nuntium esse, vel cum simili potestate missum quid facti est, facta autem non præsumuntur, sed probari debent. arg. *L. 2. ff. de Juris & facti ignor.*

9 *Incidenter* hic adnotari potest in Bulla Pij IV. quæ incipit: *Et si Romanorum &c.* excommunicationem esse latam contra quemcumque Nuntium Apostolicum, qui à Principibus, ad quos mittitur, dignitatis, aut gradus v. g. Cardinalatus alteriusque officii, vel beneficii in curia obtinendi causâ literas commendatitias quovis modo ambierit, sive eorum studio, & favore pro se aut consanguineis suis usus fuerit non tamen additur in d. Bulla hanc censuram esse reservatam.

10 *Queritur* VII. quam potestatem habeat Legatus natus? *¶* de jure communi nec circa collationem beneficiorum, nec circa absolutionem à violenta manuum injectione in Clericum Legato nato quatenus tali competere facultatem. *cap. penult. & c. 1. hoc tit. in 6.* neque jurisdictionem in exemptos, sed totam ejus potestatem ex forma Privilegii, in quo talis legatio concessa fuit, vel alius subsequenter dependere, teste *Gloss. in cap. 1. v. universas. x. hoc tit.* Prout & Cellisil. nostro Archiepiscopo Salisburgensi varia concessa sunt privilegia, absolvendi ab hæresi, conferendi beneficia in mensibus Papalibus, ordinandi extra tempora, dispensandi in tertio & quarto gradu ad Matrimonium cum illis, qui labore manuum victum quærunt &c.

Queritur VIII. quomodo intelligendum sit, *d. cap. 1. hoc tit.* ubi dicitur

quod Archiepiscopus, qui simul est Legatus à subditis Suffraganeorum possit imitari per appellationem, sive per querimoniam adiri? *¶* Legatos quoque de jure habere concurrentem jurisdictionem cum Ordinariis suæ provinciæ, etiam in causis fori contentiosis, ita ut licet Archiepiscopus alius regulariter non habeat jurisdictionem in subditos sui Suffraganei Episcopi extra causam visitationis, appellationis vel negligentie, si tamen sit Legatus possit mox in prima instantia à subdito Suffraganei adiri.

Verum hodie in Trident. *Seff. 24. de Reform. c. 20.* statutum est, ut causæ omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes in prima instantia coram locorum Ordinariis duntaxat cognoscantur, neque Legati etiam de latere, Nuntii, Gubernatores, aut alii quarumcumque facultatum vigore Episcopos in prædictis causis impedire, aut aliquo modo eorum jurisdictionem præripere, aut turbare præsumant, vel contra laicos, aliasque personas Ecclesiasticas, nisi Episcopo prius requisito, eoque negligente procedant.

Exempli quamvis jurisdictionem alterius judicis in præjudicium S. Pontificis prorogare nequeant, Legati tamen nati jurisdictionem eos posse prorogare, insinuat *Glossa, in d. c. 1.*

Queritur denique, qualiter finiatur officium Legati? *¶* finiiri *I. translatione negotii* ad Papam per relationem vel appellationem, *cap. licet. 5. l. t. l. 1. C. d. Relat. l. ex illo, 13. C. de Appellat.*

II. Revocatione Legati per Papam, postquam hæc revocatio Legato innotuit; alia gesta per ipsum valent, usque dum habeat revocationis scientiam: imò revocatus non videtur amittere jurisdictionem, priusquam actualiter provinciam exceßerit, arg. *L. 3. ff. de Officio Præsidis.*

III. Per mortem Legati, si legatio perfecta, sed si dignitati annexa sit. Per mortem autem S. Pontificis non extinguitur officium Legati, quia Legatus est Judex Ordinarius. *c. Legatos. 2. h. t. in 6.*

TITULUS XXXI. De Officio Judicis Ordinarii.

SUMMARIUM.

1. Quis dicatur Ordinarius?
2. Mandata Jurisdictio an sit ordinaria, vel delegata?
3. Referenda est ad ordinariam, non tamen in rigore.
4. Vicarius Episcopi non tantum generalis, sed etiam fori est ordinarius.
5. Quis inter sit in esse, an quis sit ordinarius vel delegatus.

Judicem ordinarium appellamus eum, qui ordinarie in causis controversis adiri & judicare potest. Hæc enim est differentia inter *Delegatum* & *Ordinarium*, quod Jurisdictio Delegati sit restricta ad particularem causam v. g. quæ hic & nunc vertitur inter Titium & Sempronium, & regulariter data non habenti de cetero Jurisdictionem; Ordinarii verò Jurisdictio competat *Jure Magistratus*, quando nimirum aliquis à Principe, Repub. Universitate aut Collegio honesto tale officium consecutus est, cui de Jure scripto vel de consuetudine aliqua Jurisdictio generalis est annexa, ex qua talis Judex in omnibus controversiis, vel certo saltem causarum genere judicare valeat.

2. Sed quid de *mandata a Jurisdictione* dicemus; an ordinaria vel delegata appellabimus? Sanè inter *mandatam Jurisdictionem*, & *delegatam*, necessario differentiam esse constituendam, diversa Juris loca evincunt, quæ sine manifestâ contradi-

ctione cæteroquin conciliari vix possent. Etenim in *l. fin. ff. de Off. ejus, cui mand.* & c. negat I. C. quòd mandatam Jurisdictionem habens eam alteri demandare possit. Econtra *l. cum Prætor. 12. §. 1. ff. de Jud.* dicitur, etiam eum, cui mandata est Jurisdictio, Judicem dare posse. Item in *l. 1. ff. Quis à quo appell.* dicitur, quòd ab eo, cui mandata est Jurisdictio, non detur appellatio ad mandantem, sed ad mandantis iuperiorem; econtra in *l. unica. C. Qui pro sua Jurisdictione.* rescribit Imperator à Delegato rectè appellationem ad Delegantem interponi. Quam ob rem rectissime præter alios notavit Fach. *1. Cont. c. 78. & lib. 12. c. 89.* Georg. Obrecht. *de Jurisd. lib. 4. c. 3. n. 7.* quòd mandare Jurisdictionem & delegare plurimum inter se differant: nam in propriis terminis tunc dicitur *Jurisdictio mandata*, quando ea in *universum ad omnes generaliter*, vel *saltem ad omnes unius generis causas* committitur, puta quando quis ad *totam* mandantis Jurisdictionem ejus nomine exercendam, vel saltem in omnibus causis Civilibus tantum, aut Criminalibus tantum Judex creatur; *l. si let. 16. cum l. seq. ff. de Jurisd. C.* Cujusmodi mandatam Jurisdictionem de Jure Canonico habet Vicarius Episcopi, de Jure Civili Legatus Proconsulis; *l. 4. §. 6. & l. legati. 13. ff. de Off. Proconsulis.* Delegatum verò propriè accipimus, qui ad unam tantum particularem causam terminandam Judex constituitur, utque in Jure Civili quandoque *Judex datus*, quandoque Delegatus appellatur, *d. l. cum Prætor. ff. & l. à Judice. C. de Judic.*

Igitur cum ex istis liquido appareat, mandatam Jurisdictionem non esse delegatam, nisi habentem mandatam Jurisdictionem *Delegatum ad universitatem causarum* dicere velimus, ideo mandatam Jurisdictionem ad ordinariam referendam esse

putamus; tūm quod mandatam habens ordinarie tanquam Judex adiri possit; tūm quod mandata jurisdictio censeatur propria ipsius mandantis, non mandatarij. *l. 1. §. 1. ff. de Off. ejus & c.* & consequenter ordinaria, cum non nisi ordinariam jurisdictionem habens eam alteri demandare possit. *l. more majorum §. ff. de Jurisd.* tum denique quod illa, quae de Judice Ordinario ad differentiam Delegati dicuntur, etiam habenti mandatam jurisdictionem recte conveniant. Gail. *lib. 1. obs. 97. num. 12.* Quamvis interim libenter concedamus, eum, qui mandatam jurisdictionem habet, non esse ordinarium, si propriissime, & in rigore loquamur; quia eam non habet jure proprio, & à lege, sed alieno beneficio, nec eam demandare potest, atque per mortem mandantis revocatur; quae omnia aliter se habent in ordinario propriissime dicto.

Hinc inferimus non tantum Vicarium Episcopi Generalem Ordinarii nomine venire, ut cum Gl. in c. Romana. 3. in v. generaliter. de Appell. in 6. docent Garc. de Benef. parte 5. c. 8. n. 21. Zoëf. de Offic. ord. n. 11. & communiter alii. Sed etiam Vicarium Episcopi Foraneum, qui in certa tantum parte Dioecesis constitutus est. Sylv. V. Vicarius. q. 4. quidquid doceat Molina de I. & I. tract. 5. disp. 10. n. 4. & 6. Sanch. de Matrim. lib. 8. disp. 29. n. 10.

Singularis quidem est controversia, an Vicarius etiam in ijs, quae ipsi per speciale mandatum committuntur, sit Ordinarius? In qua, omnis aliorum opinionibus quae videantur apud Sanch. d. l. num. 6. nos convenienter nostris fundamentis semel positus, ita distinguimus: si Vicario per specialem commissionem dato sit potestas illa specialia semper imposterum exercendi, tali casu Vicarius ex doctrina supra posita erit Delegatus ad universalem causarum,

& consequenter ordinarius, & coadunabitur haec commissio specialis cum prima generali, juxta cap. accessorium 42. de R. I. in 6. Si vero per speciale mandatum detur solummodo potestas limitata, hic & nunc unum speciale emergens peragendi, censemus Vicarium in tali casu esse simpliciter delegatum, & proinde ab ipso ad Episcopum recte appellari: cum utique non sit ordinarius; qui non potest ordinarie in similibus causis adiri. Lopus, Ancharanus & Dominicus apud Sanch. pro nostra sententia d. n. 6.

Porro an quis sit Ordinarius vel delegatus, non est tantum quaestio de nomine, verum in re ipsa plurimum interest.

Nam I. Delegatus, qui non sit summa Principis causam sibi commissam alteri delegare non potest, Ordinarius vero regulariter jus delegandi habet.

II. Judex Ordinarius, quamvis ut respectus saltem de Jure Canonico, c. si quis 4. de For. comp. & c. ut debitus. 59. de Appell. reculari possit, tamen illae causae, ex quibus posset reculari Delegatus, non semper sufficiunt ad recusandum ordinarium, sed debent esse de causis gravioribus. Vid. Holt. in Summa. in tit. de Off. Jud. Delegati. sub rubr. de recus. jud. deleg. & in Tit. de Appell. sub rubr. de recus.

III. Delegatus ab alio quam à summo Principe, non potest exequi suam sententiam, sed debet executionem Deleganti remittere. ut ex d. c. si quis. 4. de For. Comp. & L. à D. Pio. 15. in princ. ff. de Re jud. communiter traditur, quod secus est in Judice Ordinario, qui si mixtum habeat imperium, sententiam suam executione mandare potest, & debet Valleng. de Off. jud. deleg. §. 4. num. 7.

IV. Citatus ab ordinario, si dubitet de Jure citantis, venire debet & exceptionem suam

suam proponere *L. si quis ex aliena. s. ff. de Jud. citatus verò à Delegato comparere non tenetur, nisi sibi de delegatione prius files fiat. Gail. 1. obs. 48. num. 17. Minf. Cent. 3. obser. v. 1.*

V. Quando jura aliquid committunt Ordinarius locorum, tunc appellatione Ordinariorum veniunt omnes habentes ordinariam jurisdictionem, nisi ex subjecta materia appareat tantum Episcopos intellectos fuisse, vel nisi expressè nomen Episcopi, vel Diocesis appositum fuerit, Gl. in c. Ordinariorum. 3. de Off. Ord. in 6. Joan. Honor. eod. tit. num. 1. Notanter dico: nisi ex subjecta materia aliud appareat, unde quamvis licentiam matrimonium contrahendi vagis juxta Trid. sess. 24. de Ref. matr. c. 7. prater Episcopum etiam Vicarius concedere possit, Sanch. de Matr. lib. 3. disp. 25. num. 10. Archidiacono tamen hæc potestas non videtur concedenda, cum ad eum cognitio causarum matrimonialium non pertineat. Trid. sess. 24. de Ref. c. 20. Concederem tamen, si hæc ei cognitio in primâ instantiâ per Episcopum demandata esset, tunc enim tanquam mandatam jurisdictionem habens in causis matrimonii Ordinarii nomine veniet.

VI. Denique *Delegatio* expirat, si Delegans re integrâ moriatur, non verò officium Judicis Ordinarii, etiam si Princeps, qui ipsum Ordinarium constituit, moriatur. c. 2. de Off. Leg. in 6. Quod tamen patitur limitationem in Vicario Episcopi & omnibus illis, qui mandatam jurisdictionem habent, ex speciali ratione, quod illa jurisdictione sit propria ipsius mandantis, & consequenter una cum ipso etiam extinguitur. *L. & quia 6. ff. de Jurisd. Sanch. de Matr. lib. 3. disp. 30. num. 7.* Quæ de jure Ordinarii in specie hic subnecti solent, dicemus infra in *Tit. de Majorit. & Obedienc.*

TITULUS XXXII.
De Officio Judicis.

SUMMARIUM.

1. Quid sit Judex?
2. Servi prohibentur esse judices: communis tamen error in hoc & alii casibus jurisdictionem tribuit, ita ut acta valeant.
3. Famine regulariter non debent esse judices: fallit in Illustribus quibusdam & in Abbatibus.
4. Minores quatenus possint vel non possint esse judices?
5. Infames quoque prohibentur, item excommunicati, suspensi heretici & schismatici, & num. 6.
7. Judex quomodo debeat esse vir bonus?
8. An Judex in favorem amici possit judicare?
9. Inter duas equaliter probabiles sententias eligere potest Judex, quod juxta arbitrium boni viri videbitur.
10. Judex à muneribus abstinere debet.
11. Esulentia & poeulentia Judex potest recipere à partibus: consultus tamen est abstinere.
12. Quid de sportulis?
13. Quæ sit differentia inter sportulas & muneribus?
14. Judex an possit esse, qui Jurisperitus non est?
15. Cur medicus male curans, & advocatus male consulens ex imperitia teneatur ex vero delicto, non autem Judex male indicans per imperitiam.
16. Potestas Judicis dividitur in Imperium & Jurisdictionem. Item Imperium in merum & mixtum & quid sit merum Imperium?
17. Tres gradus meri Imperii.
18. De Jure Canonico datur etiam merum Imperium?
19. Quid sit mixtum Imperium?
20. Jurisdictio simplex, in quo consistat, & quomodo penes Judices delegatos sit?
21. Quæ differentia inter officium Judicis nobile & mercenarium?
22. Quibus modis acquiratur Imperium & Jurisdictio: esseque alia ordinaria, alia delegata.
23. Merum & mixtum Imperium ac Jurisdictio præscriptione acquiri possunt.
24. Quantum temporis ad talem præscriptionem requiratur?
25. An præscriptio immemorialis circa res & Jura ad summum Principem pertinentia requiratur, remissive.

26. An concessio castro simpliciter, censeatur per hoc concessum merum ac mixtum Imperium?
27. De iure Civili merum Imperium delegari non poterat? secus de hodierna consuetudine: Et quid de iure Canonico?
28. An mixtum Imperium possit delegari? Regulariter affirmatur.
29. Num Academiis competat merum Imperium: Et quid de nostrâ Salisburgensi?
30. Prorogatio iurisdictionis quid sit? Et quot modis fiat?
31. Qualiter fiat de personâ ad personam?
32. Non habet locum in iudice delegato in Clerico respectu Laici, nec in foro penitentiali, nec ad declinandam iurisdictionem alicujus patrimonialem.
33. Non potest fieri à studiosis ad declinandam iurisdictionem Rectoris.
34. Qualiter fiat prorogatio de re ad rem, de loco ad locum, Et de tempore ad tempus.
35. Prorogatio necessaria est reconventio.

Postquam de Delegatis & Ordinariis iudicibus dictum est, etiam de ipso iudicis officio in communi merito hic subnectitur. Et quidem Iudex quasi jus dicens appellatur, & describi potest, quod sit *persona legitima, & vir bonus, juris & æquiperitus, de negotiis, sive controversiis litigatorum cognoscendi promunt iandique jus habens.* cap. forus. 10. de Verbo. signif. Harp. ad tit. Inst. de Officio Iudicis.

Dico I. Iudicem debere esse *personam legitimam*, quæ scilicet à lege non sit prohibita officium Iudicis suscipere.

2. Prohibentur autem I. *Servi. L. cum prator. 12. §. 2. ff. de Iudiciis. l. servitutem. 209. ff. de Reg. Jur.* si tamen servus communi hominum opinione pro libero habitus Iudicis munere fungatur, ejus acta ob utilitatem publicam hominum, qui non debent in rebus magni momenti decipi, sustinentur, ut est notabilis textus in *l. Barbarius. 3. ff. de Officio Pratorum.* Licet autem hodie sublata servitute inter Christianos hic casus sit rarus, nihilominus dictum textum Doctores communiter extendunt ad alios

etiam profanos, & ecclesiasticos, ubi Iudex sive fori externi, sive interni ex causa aliqua illegitimus pro legitimo habitus fuit, & pro axiomatico dicere solent: *communis error jus facit.* Videtur Thomas Sanchez de *Matrim. lib. 3. disp. 22. num. 49.*

II. Prohibentur *Femine*, quæ partim ob verecundiam sexus, partim ob inconstantiam, & imbecillitatem iudicij à publicis muneribus arcantur. *c. mulierem. 17. ca. 33. quæst. 5. l. Femine. 2. ff. de Reg. Jur. l. alienam. 18. Cod. de Procurat.* Tolerant tamen consuetudo Regni, in quo Fæmina majoris dignitatis iurisdictionem habent, præsertim si talis iurisdictionis administratio Bonorum, seu Calstrorum; in quæ Fœmine jure hæreditario, vel etiam feudali, dependentibus masculis, si feudum fœminatum sit, vel mixtum, succedunt, cohæreat. *cap. dilecti. 4. de Arbitris.* Item & Abbatis ratione dignitatis aliquam iurisdictionem concedunt Doctores. Panorm. Barb. & Glor. per textum in *cap. dilecta. 12. de Majoritate & obedientia.* Ita tamen, ut quod ibidem dicitur, Abbatissam posse suas Canonicas & Clericos suæ iurisdictioni subiectos ab officio, beneficioque suspendere, non sit accipiendum de suspensione propria dicta, quæ sit censura, & cujus transgressio irregularitatem inducat; cum fœminis non sint concessæ claves Ecclesiæ, *cap. novum. 10. de Penitentis & remiss.* sed de simplicis prohibitionis celebrandi divina, & fructuum subtractione. Deinde notat Panorm. in *cap. dilecti. 4. de Arbitris. num. 1.* quod fœmina ex privilegio, vel consuetudine habens iurisdictionem, possit eam per se exercere, & sententiam ferre. Ita Angelus in *l. cum Prator. 12. ff. de Iudiciis* dicit, se vidisse Joannam Reginam Neapolis sedentem in folio regio, & ferentem sententiam capitalem. Ita Debora Prophetissa iudicavit populum.

populam Iſraeliticam. *Judic. 4.* Interim ut
tamquam jurisdictionem habentes passim per
se solas judicent sine consilio virorum pru-
dentium, non putarem aliquam consuetudine
introduci posse, & facit textus, *in d. cap. dilecti.* non enim foret consuetudo ratio-
nabilis, quia adversaretur verecundia, &
honestati sexus muliebris, & traheret se-
cum quotidianum periculum multorum erro-
rum cum gravi partium damno ex infir-
mitate iudiciorum, multis insuper pas-
sionibus (utpote plerumque amore, aut
odio infestatum) obnoxio. Illa propterea
omnium receptissima est consuetudo, ut
feminae jurisdictionem suam Jurisperitis
delegant, quos praefectos suos, Administrato-
res & Judices constituunt.

III. Naturam (scilicet ex defectu naturalis
iudicij) prohibentur esse Judices *ſurdi, mu-
ti, ſurſi, & impuberes* ait. *JC. in d. l. cum Prator. §. 2.* Sed quid de Minore 25
annis dicendum? *xx. de Jure Can. Judicem*
dari posse, qui 20. annum complevit, infra
annum autem 20. non posse dari Judicem,
nisi à Principe, aut certe ex consensu parti-
um eum, qui saltem 18. annos compleverit,
cap. cum vigesimum. 41. de Officio dele-
gati. De Jure Civili, in l. quidam consule-
bant. 57. in pr. ff. de Re judicata. genera-
liter dicitur, eum, qui complevit 18. annum
Judicem esse posse, & nota *Gloss. in d. l. cum Prator. §. impubes.* Si jure haredita-
rio, aut feudali competat jurisdictione cohæ-
rens Bonis (sicut competit Principibus,
aliisque Dominis temporalibus) ea etiam in
populum, & alios utcumque naturam prohibi-
tos transit, sed per Tutores, Curatores,
vel Administratores exercetur. *Schraderus,*
de Feudis. parte 10. Sect. 4. n. 54.

IV. Prohibentur esse Judices infamia ju-
risnotati *d. l. cum Prator. & ibi Inter-*
pretes.

V. Excommunicati, Suspensi, Hæretici, &
& Schismatici, *cap. quod sedem. 9. de Cf-
ficio Jud. Ordin. cap. audvimus. 4. cau-
sa. 24. quest. 1. cap. excommunicamus. 13. §. credentes. de Hæreticis.* Excom-
municatio enim suspendi: quancunque ju-
risdictionem, ita ut nec delegari possit, quia
& delegatio actus jurisdictionis est, *cap. 1. de Officio Vicarii. in 6.* Quae de re videan-
tur tradita *in Tir. de Sen. excom.* ubi ha-
betur, quod hodie post Concilium Constan-
tensie excommunicatus non amittat jurisdic-
tionem, nisi fuerit per Episcopum denun-
tius, vel notorius percussor Clerici, *Cov-
var. in Relectione cap. alma mater. de Sen. excomm. in 6. parte 1. §. 7. num. 9.*
Item etiam, quod absolutio à censura, quam
tribuunt Confessarij privilegiati vel alij, re-
gulariter tantum proit quoad forum inter-
num, nimirum recuperationem sacramen-
torum, & suffragiorum ecclesiae, non verò
quoad recuperationem communicationis fori
externi, & jurisdictionis externae, nisi con-
suetudo habeat, ut talis absolutio etiam pro
foro externo acceptetur, vel in foro externo
absolutio data sit ab Ecclesiastico Judice.

Dico II. *Judicem* debere esse *virum bo-
num*, id est incorruptum, prudentem &
constantem. Unde in primis vitabit, ne in
judicando respectum personarum habeat,
aut affectum privatum sequatur; nam *qui-
cunque aut consanguinitate, aut amicitia,
vel è contrario hostili odio in judi-
cando ducitur, pervertit Judicium Chri-
sti, qui est Justitia, & fructum illius
vertit in damnationis amaritudinem.*
ait divus Augustinus *in cap. quicumque. 79. causa 11. quest. 3.* Neque etiam *quid
durius, aut remissius constituere debet,
quam causa deposcat; ne aut severitatis,
aut clementie gloriam affectare videatur,
sed perpenso judicio, prout quæque*
res

NGEL
URIS
III



res postulat, statuet. l. prospiciendum. 11. ff. de Pœnis. Item in cognoscendo neque excandescere adversus eos debet, quos malos putat, neque precibus calamitosorum illacrimari, id enim non est constantis, & recti Judicis, cujus animi motum vultus detegit; ait JC. in l. observandum. 19. §. 1. ff. de Officio Præsidis. Notanter autem dicit JC. in cognoscendo non debere Judicem excandescere: nam ubi delictum probatum est, & de ejus correctione agitur, stylus Judiciorum est, ut nonnunquam in delictis minoribus loco pœnæ exprobratio gravior & investio Judicis in delinquentem, vulgò ein Bertheiß/ statuat, & notatur in l. interlocutio. 19. Cod. Ex quibus causis infamia irrogatur.

Quærent Doctores: An Judex ita debeat affectum privatum seponere, ut nullo casu possit in favorem amici judicare?

Non dubito, quin Judex certum jus, aut saltem probabiliorem opinionem derelinquere, & injustam sententiam, vel minus probabilem pro favore amici ferre non possit. Item non dubito, aliquando pro favore certæ personæ posse judicium ferre, si ille favor non sit privatus, sed juris; ita enim in dubio jure pro reo potius, quam pro actore, pro causa pia, pro persona miserabili, pro possessore, pro agente ad valorem matrimonii judicandum esse, vulgò innouit. cap. fin. de Sent. & re jud. cum concord.

Tota igitur est difficultas, quid si controversia aliqua ita sit apud Doctores disputata, ut revera utraque contradictionis pars fermè æquali probabilitate nitatur, sicut multæ sunt controversiæ, quæ Principis decisione indigerent; an inquam tali casu liceat Judici pro favore amici, quam maluerit sententiam sequi, licet is de cœtero nullum specialem favorem in jure mereatur?

Non posse Judicem datâ utrinque æquali probabilitate causæ alterutri pro suo arbitrio, & multò minus propter respectum amicitia adjudicare, censet Laym. lib. 1. tract. 1. cap. 5. sub num. 16. contra Valent. Sayr. & Sanchez. ibidem cit. sed post accuratam discussionem neutra non superare videatur, debere vel causam ad superiorem remittere, vel arbitros partium consensu statuere, vel compositionem aut transactionem suadere, vel imperare, vademum rem inter litigantes dividere, arg. cap. adfert. 2. de Præsumpt.

Verùm ego quidem consentio, nihil omnino tribuendum esse privato affectui, induendoque personam Judicis, exequendum esse personam amici, neque in judicis acceptionem personarum habendam, juxta Regulam 12. Juris in 6. cœterum autem planè opinor inter duas æquales probabilitates posse Judicem alterutram seligere: juxta boni viri arbitrium, licet ista electio per consequens cedat in utilitatem amici, dummodo amicitia ad hoc modo eligendum principaliter non moveat; imò si de facto ex respectu amicitia moveretur, crederem quidem peccatum peccato acceptionis personarum ob inordinatum affectum, non verò contra justitiam, eò quòd supponit æquali probabilitate eligendo alterutram partem nihil contra Jura agat. Ita sane habet praxis omnium penè Dicasteriorum, ut in quæstionibus maximè controversis alterutram sententiam pro suo arbitrio teneant. Idque confirmatur ex Novell. 129. ubi Imperator jubet, ut causas quantumcunque difficiles non amplius judices ad Imperatorem referant, sed ipsimet, prout eorum justum legitimumque videbitur, decernant, reservato parti, quæ se gravatam putabat, appellationis remedio. Quòd verò Laym. putet deductis utrinque æqualiter probabili-

tionibus juris vel facti, aut transactionem paribus imperandam esse, aut rem dividendam; prius quidem ex sententiâ Panorm. in cap. cum inter R. 16. de Elect. num. 9. Barbo. de Officio Episcopi alleg. 79. num. 9. aliquando fieri potest, dissentiente tamen Baldo in l. ex stipulatione. 7. Cod. de Sententiis, & interloc. Suttingero in Processu Judicis io. Obser. 47. contractus enim ab initio sunt liberi. l. sicut. 5. C. de Oblig. & ad l. unum. 11. Cod. de Contrahend. empti. sed non est necessarium; imò nonnunquam minus Judici honorificum, quasi videatur necesse in causa difficili sententiam ferre. Alterum verò, scilicet necessitas dividendi, non habet solidum in jure fundamentum; vel enim probationes juris, id est, allegationes legum & Authorum sunt æquales, vel probationes facti, id est, productiones relictum & instrumentorum? Si prius, Juxta potest alterutram sententiam eligere, ut premissum; & cum sententia Judicis debeat esse conformis libello, satis videtur incongruum, ut is, qui totum petit, & probationes respectu totius in judicio producat, tantum partem ferat. Neque aliquid evincitur ex d. c. asserte. de Præsumptionibus: quia ibi non dicitur, litigiam rem esse inter partes dividendam, sed solum refertur exemplum Salomonis, ex lib. 3. Regum. cap. 3. inter duas mulieres super uno infante litigantes, judicium facientis, ubi tantum simulabat divisionem infantis, ut ex affectu compassionis super filio occidendo veram matrem agnosceret. Si posterius; & probationes facti sint omnino & per omnia recales (quod tamen vix unquam contingit, ut non sit ex unâ parte prior probatio, & testes producti numero plures, opinione integrioris, præsumptionibus majoribus adjuti, juxta c. in nostra. 32. de Testibus) tunc probationes probatio-

nibus enervantur, & in pari causa pro reo, vel pro possessore erit pronuncianum, juxta Regulam. 11. & 56. Juris in 6. Si uterque litigans personam rei, vel possessoris sustineat. e.g. si duo vicini super jure venandi, piscandi, aut pascendi litigent, & uterque de possessione docuerit, præfertur is, cujus possessio est antiquior, vel titulo munita; quod si utrobique sit paritas, cuilibet possessio pro indiviso, & communiter adjudicanda erit, servando formam Interdicti, uti possidetis, ita possideatis; quod si uterque sine periculo armorum possessionem communem ita à Judice assignatam continuare nolit, sequestranda erit possessio, usque dum alteruter dimisso possessorio petitorium instituat, & ibidem de justo titulo privative quoad alterum doceat, vel succumbat, aut certe inter se amicabiliter componant, prout hæc de re agunt prolixè Interpretes in Tit. de causa possessionis & proprietatis. & in c. licet causam. 9. de Probat.

Præterea ad bonitatem Judicis pertinet, 10 ut ab acceptione munerum absteat, munera enim excæcant prudentes, & subvertunt verba justorum, Exod. 23. v. 8. & Deuter. 16. v. 19. Atque Judicem accipientem munera ad restitutionem teneri, & graviter pro delicti circumstantia puniendum esse, textus sunt, in tit. ff. & Cod. ad l. Juliam repetundarum: nam opera justitiæ venalia non sunt, nec justitia est materia vendibilis. qui rectè judicat, ait Divus Gregorius, in cap. qui rectè. 66. causa 11. quest. 3. & præmium remunerationis expectat, fraudem Deo facit, quia justitiam, quam gratis impartiri debuit, vendidit. Unde & J.C. in l. 2. §. 2. ff. de Conditione ob turpem caus. respondit, crimen esse, si detur Judici, ut etiam in bona causa secundum dantem sententiam ferret, & propterea de rigore juris eum, qui

qui dedit, causam perdere; tunc quod, ut dictum, iustitia venalis non sit; tunc quod hæc datio ex præsumptione juris tendat in corruptionem Judicis, qui ob respectum muneris libertatem cognoscendi de veritate causæ amittit: neque enim semper causa illa iusta est, quam pars litigans talem esse asserit.

Ex quo ulterius regulam constituunt Doctores, quod datum ob causam necessariam, ad quam alias ex præcepto iustitiæ tenetur recipiens, sit omnino restituendum, & quidem danti, nisi & is propter aliquam admixtam dationi turpitudinem (nimirum si in specie ad eorruptendum Judicem dederit, quo casu fiscus vindicabit datum, vel in causis Ecclesiasticis superior iudex jubebit applicari pauperibus, vel Ecclesiæ) lege humanæ jure repetendi privetur. Videatur Covar. in Relecti. c. peccatum. de Reg. Juris in 7. parte 2. §. 3.

- 11 *Esulent a tamen & poculenta sine ulla exactione à partibus oblata Judex acceptare non prohibetur, quia ex his minutis non præsumitur insecti animus boni viri. cap. statutum. 11. §. in super. de Rescriptis. in 6. l. plebiscito. 18. ff. de Officio Præsidis l. silent. 6. §. 3. ff. de Officio Proconsulis. Sed & hic ad cavillationes, detractiones, & suspiciones partium litigantium, quæ non semper cum sententia Judicis quamvis æquissimâ contentæ sunt, evitandas longè melius facit Judex etiam à similibus abstinendo, monente Iſa. cap. 33. v. 15. justum debere excutere manus ab omni munere, & Apostolo, quod multa liceant, quæ non expediunt.*

Nunquid autem saltem pro suo labore Judex ab utraque parte *sportulas*, seu certam quotam pecuniæ exigere potest,

- 12 *¶. Est differentiam faciendam inter Jus Can. & Civile, etenim de Jure Can. nec*

Ordinarius, nec Delegatus *sportulas* exigere potest: quia regulariter solet esse persona Ecclesiastica: quæ sufficientem sustentationem ex suis beneficiis habere præsumitur, ut propterea gravari non debeat iustitiam administrare gratis, expensis tamen exceptis, quas delegatus petere potest, si forte ad alium locum in causa partium & ad expediendam commissionem suam proficisci debeat; modo partes pauperes non sint, quia tunc nec has recte peteret. Item profuso Assessore, si eo indigeat delegatus, quod ipsemet sufficientem jurisperitiam non habeat, moderatas *sportulas* à partibus ditioribus exigere valet. Text. & Gloss. in cap. cum ab omni. 10. de Vita, & honest. clericorum. d. c. statutum. §. in super. & seq. de Rescriptis. in 6. De Jure similiter Civili Ordinarius, qui plerumque aliunde, scilicet à Principe, Republica, vel Domino ipsum constituyente salarium habet, *sportulas* accipere non potest; *Delegatus* autem potest, si summa pro qua litigatur 100. aureos excedat, ita tamen, ut in principio litis tantum duos, & in fine etiam duos accipiat. Novell. 82. cap. 9. & ibi Gottofredus, Sylv. Verbo. *Judex. qua. 13. n. 13.*

An autem consuetudine possit introduci, ut vel de Jure Civili liceat Ordinarius, vel de Jure Can. *Ordinario* & *Delegato* *sportulas* exigere, dubitat Syl. d. lo. & negativè concludit. Sed cum consuetudo rationabilis habet vim legis. L. diuturnas. 33. ff. de Legibus, non video, quare jus merè positivum circa *sportulas* per consuetudinem immutari cæteris paribus non possit. Neque enim est irrationabile, ut Judex, qui maximam quandoque molestiam habet, in audiendis partium altereationibus legendis libellis, diuturnis sessionibus, evolvendis legibus, & Authoribus, pro tanto labore moderatum quid à partibus exigat.

arg. l. 4. §. in iudicio. ff. Finium reg. Co-
vat. d. parte 2. cap. 3. sub. num. 2. maxi-
me si Clericus beneficiatus, qui Judex est,
iam propter beneficium alia onera scil. ex-
ercendi curam, legendi missas &c. imposi-
ta habeat, vel Judex civilis non satis mag-
nam stipendium à constituto percipiat.

13. Dices: si licet Judici accipere sportulas
pro labore, quem subit iudicando, licebit
ei etiam sub hoc pretextu accipere munera?
R. Inter sportulas, & munera magnam esse
disparitatem; nam in primis munera ex in-
tentione dantium non solent dari pro la-
bore, sed pro sententia favorabili, quam
proinde quasi venalem faciunt. Deinde
munera, cum proveniant ex liberalitate
dantis, trahunt secum aliquam antidoralem
gratitudinis obligationem, quæ iudicem
plus æquo inclinat erga dantem; sportulæ
verò exiguntur ab utraque parte æqualiter,
& quidem ex debito, & sic earum datio
non inclinat, vel obligat iudicem ad specia-
lem favorem dantibus præstandum.

14. Dico III. *Judicem debere esse juris &
æqui peritum*: oportet enim ut secundum
Baldum in l. 2. C. de Sententiis ex brevi-
culo recitandis habeat duplicem salem in
mente sua, scientiæ scil. & conscientiæ, ne
sine scientiâ sit insipidus, & sine conscien-
tiâ diabolicus. Sed hinc

Quæritur: An Judex esse possit, qui ju-
ris & legum ignarus est? R. Regulariter
quidem non debere alium iudicem, si haberi
possit, constitui, nisi insignem juris periti-
am habeat juxta Nov. 82. & princ. Inst.
de Officio Judicis. attamen absolute lo-
quendo ista juris peritia de essentiâ non re-
quiritur, dummodo ceteroquin vir prudens
sit, & saltem juris consuetudinarij vel sta-
tutarij, aut eorum negotiorum, supra quæ
Judex constitutus est, notitiam habeat, &
in rebus arduis maxime ex jure scripto de-

pendentibus assessorum, vel prudentiorum
consilio utatur; sicut videmus in personis
Illustribus, & Prælati Ecclesiasticis, quibus
hodie jurisdictio unâ cum dignitate & hæ-
reditariâ successione agnosceatur; item in Ju-
dicibus militaribus, Judicibus mercatorum,
& similibus, qui raro juris peritiam habent,
L. certi Juris. 17. Cod. de Judicis. L. ult.
Cod. de Jurisdic. Hottomanus Illustri-
um questionum. quest. 38. & Matthæus
Stephani de Officio Judicis. lib. 1. cap. 5.
num. 20. & seq.

Ex quo etiam resolvitur illa questio, cur 15
Medicus malè curans, vel Advocatus malè
consulens ex imperitiâ teneatur actione le-
gis Aquiliæ ex vero delicto in solidum. Tex-
tus & Doctores in §. 6. & 7. Inst. de Lege
Aquilæ. Judex verò per imperitiam malè
judicans teneatur tantum ex quasi delicto,
nec in solidum, sed quantum superiori æ-
quum videbitur. juxta princ. Inst. de Oblig.
gat. quæ ex quasi delicto. Nam responde-
tur, ideò Medicum vel Advocatum teneri
ex verò delicto, quòd imperitiâ culpæ an-
numeretur in iis, qui artem aliquam profes-
tentur, maxime si spontè sua serviant, & pro
mercede operas suas elocent; at verò Judex
nec artem juris necessariò proficitur, ut di-
ctum, nec spontè suâ, sed superioris plerum-
que Imperio jus dicit. Harp. in d. principio
Inst. de Oblig. quæ ex quasi delicto num. 8.
Revideantur etiam tradita infra in Tit. de
Injuriis, & damno dato, ubi dicimus, Me-
dicum vel Advocatum nonnunquam à resti-
tutione excusari, si in casibus controversis
probabilem Doctorum opinionem sequendo
consilium dederit, quòd præter intencio-
nem ipsius malum eventum habuit.

Dico IV. *Judicem debere habere potesta-
tè cognoscendi & pronuntiandi de contro-
versis litigantium*. Hæc porò potestas
dividitur in Imperium & jurisdictionem.

16 Imperium pro jussu, coërcitione, & executione accipitur, atque subdividitur in Imperium merum, & mixtum. Imperium merum vocat Ulpianus in l. 3. ff. de Jurisdictione. habere jus gladii ad animadvertendum in facinorosos. Aliter merum imperium describit Glos. in prolocutione ad tit. ff. de Jurisdictione, quod nimirum sit potestas, qua officio Judicis nobili per accusationem exercetur, publicam utilitatem respiciens. Dicitur merum imperium, quod ibi potissimum & principale officium Judicis in jussione, coërcitione, & executione consistat, lege ipsa dictante poenam, & quasi exercente jurisdictionem, praemissa tamen cognitione super facto, ut potestas Judicis ab executione ministrorum ejus distingatur. Rem declarat J. C. in l. 1. §. 4. ff. ad Senat. Cons. Turpilian. Si Judex, inquit, contra calumniatorem in judicio pronuntiaverit, calumniatus es, condemnavit eum; & quamvis nihil de poena subjecerit, tamen legis potestas adversus eum exercetur: nam facti quidem questio in arbitrio judicantis est, poena vero persecutio non ejus voluntati mandatur, sed legis Auctoritati reservatur. Unde fit, quod de jure communi civili nullus Judex inferior summo Principe possit poenam ordinariam legis remittere, nisi id jure regalium, seu privilegio aut consuetudine habeat, vel lex ipsa ex circumstantiis ætatis, imprudentiæ, aliisque similibus remissionem concedat, ut in tit. de Penit. dicitur.

17 Porro tres gradus meri Imperii tradit Matthias Stephani. de Officio Judicis lib. 1. cap. 7. n. 46. Primus continet poenam mortis naturalis. Secundus poenam mortis civilis, quæ nimirum alicui jus civitatis Romanæ & vitæ civilis aufertur, ut si de-

portetur in metallum, ad perpetuos carceres damnatur &c. Tertius gradus est poenarum non capitalium, uti sunt mutilatio membri, fustigatio, relegatio, honorum publicatio, aliæ poenæ pecuniaria.

De Jure Canonico nullum esse merum Imperium putat Zoësius ad tit. de Officio Judicis delegati. n. 18. eò quod hoc Jure poena gladii, & sanguinis nulli irrogatur, sed in delictis atrocioribus traditio fit per Ecclesiam judicio seculari cum intercessione tamen pro vita & membris rei traditi. c. cum non ab homine. 10. de Judicium c. novimus. 27. de Verborum signifi. & licet Episcopi, ac Prælati habeant etiam sui judicium sanguinis, ea tamen non habent nec Canonico, vel quatenus Ecclesiastici, sed jure feudali, quatenus Domini & Principes territoriorum, atque vasalli Imperii. Andreas Gail. Practicarum observat. 30. n. 4. Verum hoc Zoësi dictum non est ita generaliter, ut ponitur, admittendum, quia de particulari infert ad universale. Malè haut dubiè consequentia est; de jure Canonico primus gradus meri Imperii, vel aliqua species tertij gradus scilicet poena sanguinis non est, ergo nullum merum Imperium est. Sanè sicut de Jure Civili exercitatio gladii temporalis est, ita de Jure Canonico gladii spiritualis, excommunicacionis scilicet, quæ poenis capitalibus comparatur, quia vitam spirituales hominis tollit; Item & potestas degradandi, confiscandi, corporaliter castigandi, perpetuis carceribus mancipandi &c. Rectè proinde etiam hoc jure merum Imperium statuendum est cum Glos. in c. quod sedem. 10. de Off. Ordinarum. & utique etiam in foro Ecclesiastico officium Judicis nobile ad publicam utilitatem per accusationem, vel inquisitionem exercetur, quod proprium est meri Imperii. Sed & de Jure Civili merum Imperium quan-

quandoque alicui confertur non secundum omnem latitudinem, sed secundum gradus tantum inferiores, & pœnas non capitales, sicut habent Nobiles in suis castris, vel pœnas puniendi minora delicta, quam Prædicti *jurisdictionem bassam* appellant, quæ jurisdictionis, non utique simplex, sed ad Imperium, idque merum referenda est, ut ex dictis, & dicendis apparebit.

Mixtum Imperium dicit J. C. in leg. 3. ff. de *jurisdictione*, esse illud, cui inest jurisdictionis, *mixtum* quali & compositum ex jurisdictione, & imperio & Gloss. Civilis dicit de, describit *mixtum Imperium* quod sit *partes, quæ a nobili officio judicis exercetur privatam respiciens utilitatem*. Est enim *mixtum* Imperium circa causas civiles, vel criminales civiliter intentatas, ac sicut in *mero* Imperio principale est ipsa executio, & jus inferendi pœnam, ut publica quieti, & utilitati consulatur, accessorium autem cognitio facti, ita contra in *mixto* Imperio principale est juris redditio & definitio controversiæ; executio verò partibus ipsis principaliter incumbit & injungitur, Judici autem tantum in defectum & accessorie, ubi partes non paruerint.

Jurisdictio simplex in cognoscendo, pronuntiandoque consistit absque jure exequendi, prout habere solet Judex Delegatus, cui datur quidem potestas sententiam ferendi, sed executio Deleganti referatur, c. *quicquid*, 19. *causa* 2. *quæst.* 6. l. a *divo* Pio. 15. in *princip.* ff. de *Re judicata*, nisi fuerit Delegatus Summi Principis. c. *quærenti*, 26. de *Officio Delegati*. Interim cum quilibet Judex etiam Delegatus modicâ coercitione uti possit contra non obtemperantes mandatis suis, dum eos ad iudicium vocat &c. cum enim jurisdictionis datur, ea quoque concessa intelli-

guntur, sine quibus jurisdictionis expediri non potest, l. 2. ff. de *Jurisdictione*. l. *fin.* ff. de *Officio ejus* &c. ideo ordinariè *simplex* etiam *jurisdictionis* aliquid saltem *mixti Imperii* annexum habet, & secundum actum cognoscendi, pronuntiandique dicitur *Jurisdictionis*, secundum actum verò coercendi dicitur *Imperium*. Matthias Stephani. d. c. 7. n. 3. Hic iterum Gloss. Civilis ad dictum tit. de *Jurisdictione* describit *jurisdictionem simplicem*, quod sit illa potestas, quæ ab officio judicis *mercenario* expeditur privatam respiciens utilitatem.

Est autem inter officium Judicis *nobile* & *mercenarium*, cujus hactenus mentionem fecimus, ea differentia, quod *nobile* illud dicatur, quod Judex quali motu proprio præter actionem institutam, & ut solemus loqui, *ex Officio*, jure aut æquitate ita sua dente exequi solet. Ita in causis criminalibus accusator non debet in libello concludere ad pœnam, sed Judex *ex officio* eam inferet à lege determinatam. Ita Judex *ex officio* inquirere potest in delinquentes, c. *qualiter*, & *quando*, 17. de *Accus.* l. 3. ff. de *Off. Præsidis*. In civilibus quandoque *ex Officio* Judex deputat parti pauperi Advocatum, qui gratis ierviat; judicat de expensis litis, aut fructibus rei restituendæ; supplet ea, quæ ab Advocatis ex jure minus deducta sunt, juxta l. *unicam* Cod. *ut quæ desunt Advocatis* &c. sed & justus, executio, missio in honorum possessionem ad hoc officium pertinet, quia ab Imperio dependet. *Mercenarium* autem officium dicitur, quod ordinariè actioni institutæ inhæret, quando nimirum Judex actione propositâ consideratis circumstantiis, causæque meritis statuit, & judicat præcisè, prout jus illius actionis, & merita causæ allegata postularint. Unde si actor in libello fructus, & expensas non petie-

petierit, non tenebitur Judex ex officio *mercenario* de his pronuntiare; nisi *nobile* ejus officium per generalem libellorum clausulam imploratum sit.

22 Acquiritur Imperium & Jurisdictio ex concessione Principis, Legis, Consuetudinis, vel etiam ex Delegatione: est enim Jurisdictio alia *Ordinaria*, alia *Delegata*; *Ordinaria* dicitur, quæ jure magistratus, & publico judicandi officio competit, & *Ordinarius Judex* est, qui ordinariè in causis controversis adiri potest; *Delegata* verò, quæ ex speciali commissione Ordinarii ad singulares & particulares causas conceditur. Sed circa hæc ulterius.

23 *Queritur* I. An *merum & mixtum* Imperium, item & *Jurisdictio* præscriptione acquiri possint?

R. Affirmativam esse communem & inter Doctores receptam teste Covar. in *Relectione c. possessor. de Reg. Jur. in 6. parte 2. §. 3. arg. cap. irrefragabili. 13. in princip. Verf. excessus. de Officio Ordinarii. cap. cum contingat. 13. de Foro comp. l. viros. 8. Cod. de Diversis officiis. Licet verò isti, & similes textus tantum de consuetudine loquantur, inter consuetudinem autem & præscriptionem sit differentia, nihilominus, quando per consuetudinem jus alicui particulari, vel privato acquiritur, potius præscriptio quam consuetudo (utpote quæ propriè accepta commune omnium commodum vel damnum concernit, est enim quasi lex communis) censeri debet.*

Sietiam ex communi Doctorum sententia in *c. super quibusdam. 36. de Verb. signif. cum Panor. in d. c. cum contingat. c. c. cum vobis 14. de Præscript. Covar. d. parte. 2. §. 2. num. 12. alia regalia Principis (quæ ei non competuat in signum supremæ eminentiæ, uti est suprema appel-*

latio, vis condendi legem universalem, & sed tantum ejus dignitati sunt reservata) e. g. collectarum. aut vectigalium exactio, tabellionum institutio, jus monetam eudendi, & alia, quæ enumerantur in *tit. feudorum: Quæ sint regalia.* & ibi notat Godofredus, præscribi possunt, non apparet, cur non etiam *merum ac mixtum imperium*, & quævis Jurisdictio.

Queritur autem II. quantum temporis spatium ad istam præscriptionem requiritur?

R. Esse distinguendum, an præscriptio fiat contra ipsum Principem vel contra alium privatam, qui prius similia jura obtinebat? In primo casu tempus immemorabile vel quadraginta annorum cum titulo requiritur Covar. d. parte 2. §. 3. n. 4. quod præscriptio juris sit contra præscribentem ea, quæ dignitati Principis sunt reservata, ideoque procedat dispositio. *cap. 1. de Præscript. in 6.* Altero autem casu censet Covar. ordinarium tempus ad præscribenda jura incorporalia sufficere, additque jurisdictionem annumerari servitutibus habentibus causam continuam: quia radicatur principaliter in persona, cujus animo retinetur continua possessio, quamvis facti exercitium non sit continuum. Qualiter verò præscriptione acquirantur servitutes, videri poterit apud Harprecht. *ad tit. Inst. de Servitutibus prædiorum. §. ult. n. 6. & 10.* quod scilicet nullo personalium, realium, continuarum vel discontinuarum servitutum discrimine habito longo tempore, nimirum 10. annorum inter presentes, & 20. inter absentes præscribi possint. *l. ult. in fine Cod. de Præscript. longi temporis.*

Non obest difficilis textus in *l. servitutibus. 14. ff. de Servitutibus.* ubi dicitur, quod servitus v. g. itineris, quæ non habet continuam possessionem, cum nemo con-

continuo ire possit, non praescribatur longo tempore. Ex quo multi Doctores tenuerunt cum Gloss. in eadem l. 14. ad praescriptionem servitutum discontinuarum tempus immemorabile requiri. Respondetur enim, quod procedat de jure antiquo, & leges de hereditate, quae usucapionem servitutum, & rerum incorporalium, cum proprie possideri non possent, sustulerat. l. 4. §. ult. l. 11. §. 1. ff. de Usurpat. & usuc. quod deinde per posteriores leges immutatum est. ut ex d. l. fin. de usufructu causam etiam discontinuam habentem apparet: nam licet quaedam servitutes naturaliter continuo possideri aequant, possunt tamen civiliter, ut dictum. Id vero advertendum, quod in praescriptione longi temporis requiratur titulus, vel quae in corporalibus loco tituli censetur, Harp. d. l. num. 15. scientia & patientia adversarii; sine his vero tempus longissimum scilicet 30. annorum requiratur. L. si quis 3. l. omnes. 4. Cod. de Praescript. 30. annor.

25 Verum quamvis hoc secundum distinctionis membrum ita expeditum sit, circa primum tamen non est levis difficultas; cum enim dictum cap. 1. de Praescript. in 6. cui principaliter innititur Covar. sententia, tantum de rebus Ecclesiasticis loquatur, ingens dubium relinquitur, quid de rebus, & juri- bus ad Principem saecularem scilicet Imperatorem, vel alium superiorem non recognoscens pertinentibus dicendum sit? Quod quia latiore indaginem requirit, ad suum proprium titulum de Praescript. in lib. 2. remittimus. Videri etiam poterit. Covar. saepe d. part. 2. §. 2. n. 7. ubi hanc quaestionem specialiter examinat; item & Fachinanus lib. 8. Controv. cap. 23. Interim cum habet usum praesertim Germaniae *merum Imperium* & *Jurisdicção* castris ipsis inhaerent, & quasi pars illorum in quovis pos-

sessores transiens censeatur, neque ut olim singulari privilegio eligendo personae industriam conferatur, putarem ad quartam speciem honorum Principis à Covar. sub num. 14. relatum annumerandum esse, ita ut illud etiam sine titulo 40. annorum spatium exsententia ejusdem Covar. praescribatur.

Quaeritur III. An concessio alicui castro simpliciter hoc ipso censeatur etiam *merum*, ac *mixtum* Imperium concessum? Ratio dubitandi est, quod in generali concessione non veniant ea, quae speciali commissione dari solent. c. qui ad agendum. 4. de Procurat. in 6. *merum* autem imperium solet dari per specialem commissionem eligendo personae industriam. L. 1. ff. de Officio ejus. Ergo.

26. Respondeo distinguendum. Si jurisdictio adhaereat castro, ita ut semper antehac possessores talis castris jure proprio exercuerint jus gladii, & reliquam jurisdictionem: hoc casu una cum castro censebitur etiam *merum*, ac *mixtum* Imperium transire, tanquam accessorium, vulg. c. accessorium. 42. de Regul. Juris. in 6. & Princeps judicans personam habilem ad possidendum castrum, judicat etiam habilem ad exercendum *merum* imperium; vel si perpetuo annexit imperium castro, non videtur ad personam industriam respexisse. Si vero in castro concessio prius Princeps quae Princeps, & non quae possessor exercebat jurisdictionem, vel *merum* Imperium, principaliter consideranda erunt verba concessionis, ut si dixerit: *concedimus castrum cum omni vel tota jurisdictione*, aut similia ampla verba adjecerit, censebitur etiam *merum* imperium translatum. Gloss. notabilis in Clem. unica in V. omnimodam. de Foro compet. Imò Covar. Pract. quest. cap. 1. sub num. 18. circa finem, universim docet concessionem jurisdictionis esse favorabilem, & latioris

Aa inter-

interpretationis, ita ut in genere concessa Jurisdictione etiam merum ac mixtum Imperium concessum intelligatur, nisi praesudicium aliorum (qui forsan prius in tali loco merum imperium exercuerunt) interveniat, vel ex circumstantiis, & subjecta materia colligi possit, mentem concedentis tantum de simplici jurisdictione, vel ad summum de mixto imperio fuisse, quod in praxi ex modo, & literis concessionis, ac re concessa non difficulter apparebit.

27 *Queritur* IV. An & qualiter merum, ac mixtum Imperium delegari possit?

In hac quaestione juris Civilis & Canonici Interpretes non satis conveniunt. Etenim de jure Civili res in confesso est, quod merum Imperium, in cujus concessione industria personae olim eligebatur, & tantum Praesidibus, Proconsulibus, & majoribus officialibus dabatur, nequeat de jure scripto Justiniano delegari, nisi aliquando ex justa causa absentiae. *L. solent. 6. ff. de Officio Proconsulis. l. 1. ff. de Officio ejus, cui mandata est jurisdictio.* Hodie tamen merum Imperium ipsis bonis, & castris frequenter annexum est, & ideo cum personae industria electa non sit, Domini castrorum, & territoriorum suis Praefectis id recte delegant.

De jure Canonico imprimis merum Imperium sive jus gladii temporalis, si Praelatis Ecclesiasticis tanquam Dominis temporalibus, & vassallis Imperatoris competat, ab ipsis Praelatis delegari potest secularibus Judicibus, non enim convenit, ut personae Ecclesiasticae causas sanguinis per se tractent. *cap. ult. Ne Clerici vel Monachi in 6.* sed hoc merum Imperium non est proprie Juris Canonici, ut supra dictum.

De eo igitur *mero Imperio*, quod proprie ad Jus Canonicum pertinet, tota difficultas est, scilicet de potestate censurandi, deponendi, degradandi, &c.

Universim neutro jure merum Imperium esse delegabile censet Fachinaeus *lib. 3. Controv. cap. 99.* quia sine textu aperto talis differentia concedenda non est, cum expediat jura juribus concordare, *cap. cum expediat. 29. de Elect. in 6.*

Verum puto esse distinguendum inter merum Imperium, quod jure ordinario magistratus competit Episcopo, & illud, quod speciali privilegio, commissione, vel delegatione datur Vicario Episcopi, vel alteri priori Praelato; casu priori, censeo, id merum Imperium delegari posse cum multis citantur a Covar. *Var. resolut. lib. 3. cap. 20. num. 1.* & praeter ceteris videtur mihi probare textum in *cap. licet. 2. de Officio Vicarii in 6.* indistincte permittitur Episcopo cognitionem & punitionem causarum criminalium delegare: & ita etiam consuetudo, optimi Legum interpretes, declarat, quod Episcopi etiam sine gravi causa negotia utcumque ad sua Vicariis committant. Respondetur quidem Fachinaeus, propterea Vicario delegari posse causas criminales, quod is sit Ordinarius. Sed non recte sive enim Vicarius sit Ordinarius, sive delegatus, saltem Episcopus non per se ipsum exercet merum Imperium, & sic evertitur finis legis, quae prohibet merum Imperium delegari. Quomodo motum de jure Civili Legatus Proconsul habet mandatum & ordinariam jurisdictionem, sicut Vicarius Episcopi, & tamen *J. C. in l. solent. 6. ff. de Officio Proconsulis* dicitur, ordinariè & regulariter non posse delegato ea, quae sunt *meri imperii* delegari. Deinde si, quod frequenter contingit, Episcopus unam excommunicationem, depositionem, incarcerationem in singulari casu deleget Vicario, non poterit is sanè in hac causa dici Ordinarius, cum ordinario jure ad ipsam haec non pertineant, & non sit Ordinarius cui particularis tantum causa committitur.

Alio autem casu, quando Episcopus suo Vicario mandat merum Imperium, vel summus Pontifex ex privilegio concedit, id alicui delegari non poterit, quia non jure ordinario magistratus, sed speciali commissione competit, & circa Vicarium indultia personarum electa censetur.

28 De mixto Imperio est controversia inter Doctores, an delegari possit? Negativam de Jure Civili certiore supponit Covar. dicto loco num. 2. cum Barth. in L. 1. ff. de Officio ejus. Fundamentum est in L. 2. ff. jam d. 1. ubi decreti interpositionem ad vendendas res pupillares Prætor mandare non potest. Item L. necquicquam. 9. §. 1. ff. de Officio Proconsulis L. omnia. 71. ff. de Reg. Juris. ex quibus legibus nequeunt delegari, quæ plenam causæ cognitionem desiderant.

Nihilominus juri, & praxi magis conforme est utroque jure mixtum Imperium delegari posse, si casus specialiter exceptus non sit: Juri quidem, propter textus laticlaros in L. 1. §. ult. & L. ult. ff. de Officio ejus &c. ubi JC. dicit, imperium, quod non est merum mandari posse; quod non est merum, utique mixtum est, & in L. 4. §. ff. eodem. mandari posse dicitur immittentem, quam tamen constat ad mixtum imperium pertinere, L. 3. ff. de Jurisdictione. Fachinus d. l. 9. cap. 28. Praxi autem conformis est hæc sententia, cum quotidianâ experientia doceamur, quod Episcopi suis Vicariis, aut aliis etiam Clericis à se delegatis; Domini & Judices seculares suis Commissariis causarum civilium etiam arduarum cognitionem simul, & executionem (in quibus mixtum Imperium per dicta consistit) committant.

Ad rationes in contrarium respondetur, quod interpositio decreti in alienatione rerum pupillarum sit casus specialiter à lege

ipsis Præsidibus & Prætoribus reservatus, de cætero autem exceptio ista firmet regulam in casibus non exceptis. Ad dictam L. necquicquam. & l. omnia. negatur, quod sit mens legis, negotia requirentia plenam cognitionem delegari non posse, sed tantum dicitur ea per libellum non posse expediri. hoc est, non sufficere, solam partium supplicationem (si v. g. decreto in alienatione opus sit juxta l. 6. C. de Præd. minor.) sed alias probationes & cognitiones adhibendas esse.

Cæterum insignis & famosa est questio, 29 utrum Academia, vigore auct. habita C. De filiis pro patre, merum Imperium & Jus gladii prætere possint?

Sanè cum per d. auct. in quocunque negotio (quo nomine etiam causas criminales denotari palam est. l. in criminali negotio. 5. C. de Jurisdictione) & propter cuiuscunque provincie delictum vel debitum Studiosi coram Magistratu Academico conveniri jubeantur, ideo Matth. Steph. de Jurisdictione lib. 3. parte 2. cap. 12. & Joan. Jacob Trisch in sua speciali Resolut. jurisd. hujus quest. Academiae merum imperium competere egregie defendunt, nisi in fundatione aliter cautum sit. De nostra Universitate Salisburgenſi res dubio caret, quia in statutis & privilegiis ejusdem, §. de Judicialibus. aperte provisum est, ut de causa criminali capituli loco Magnif. Rectoris, utpote Clerici, Decanus Facultatis Juridicæ; vel si ipse quoque Clericus sit, ejus immediatus Antecessor cognoscere debeat. An verò Studiosus alibi delinquens ad Rectorem, vel ab hoc ad locum delicti remittendus sit, in Tit. de Foro competenti dicitur.

Denique præter supradictos modos acquiritur Jurisdictio per prorogationem. Est autè prorogatio Jurisdictionis nihil aliud, quam

quàm extensio ejus de consensu partium ultra limites, intra quos coërcita est. Et fit hæc extensio 4. modis, videl. *de persona ad personam, de re ad rem, de loco ad locum, de tempore ad tempus.*

31 *De persona ad personam* fit prorogatio, quando litigantes libero suo consensu se subjiciunt Judici de cætero in se jurisdictionem non habenti *l. si convenerit. 18. ff. de Jurisdictione & l. si quis in conscribendo. 51. C. de Episc. & Cler. l. pen. C. de Pact.* Nec opus est, ut ille consensus partium verbis expressus sit; sed sufficit, si ipso facto declaratur, quando nimirum partes scienter (non ex errore) Judicem incompetentem adeunt omisâ fori præscriptione. *l. 1. & 2. ff. de Judic.* Sed ad hanc prorogationem duo principaliter requiruntur.

I. Ex parte *Judicis*, ut is jam ante præsit jurisdictioni, nam aliâs privatorum consensus Judicem facere non potest. *l. 3. C. de Jurisdictione, & quidem ordinariæ non delegatæ, quia delegatæ jurisdictionis ultra personas in rescripto comprehensas non extenditur. cap. P. & G. 40. in fin. ubi Gl. de Officio Deleg.*

II. Ex parte *prorogantium* requiritur, ut non sint à jure impediti seu prohibiti, quin prorogare possint. Etenim *Clerici* jurisdictionem Judicis laici in se nunquam, Judicis autem *Ecclesiastici* incompetentis non aliter, quàm cum consensu proprii Ordinarij prorogare possunt. *cap. si diligenti. 12. & c. significasti. 18. de Foro comp.* Similiter in foro *Penitentiæ* nulli conceditur incompetentis Confessarii jurisdictionem prorogare sine licentiâ proprii pastoris saltem certis casibus rationabiliter præsumpta, quia ubi de salute animæ agitur, proprius Pastor est ad eundem, qui primariò pro eâ est rationem redditurus. *Barb. in d. cap. significasti. sub num. 8.*

Imò hodie generaliter etiam in foro seculari raro, aut non nisi cum consensu priorum Dominorum prorogationem admitti, ex Joanne Monach. in *Tract. de Prorogat. jurisd. cap. 2. num. 6.* tradit Matth. Steph. de *Officio Jud. parte 1. lib. 1. cap. 7. num. 65.* eò quòd Dominis territoriorum hodie pleniori jure, quàm olim, scilicet *patrimoniali* aut *feudali* competat jurisdictionis, quam per factum subditorum interturbari non sinunt.

Quid de *Studiofis* dicendum, anne aliter, quàm Judicis *Academici* jurisdictionem in se prorogare poterunt? Putamus negandum cum Vult. in *tit. C. de Jurid. num. 168.* Matth. Steph. de *Jurisd. Lib. parte 2. cap. 12. num. 51.* quòd competetia fori apud Rectorem *Academiæ* non tam favore privato *Studiofi*, quàm favore *Corporis & Universitatis Academicæ* publico introducta sit. Unde & causam etiam de facto coram alio Judice pendentem à Magistratu *Academico* advocari posse, tradunt *DD. cc. 11.*

De re ad rem fit prorogatio, quando Judex certarum causarum jurisdictionem habens ex consensu partium de aliis quoque causis judicium assumit, sive deinde *Ordinarius* sit, sive *Delegatus. cap. cum olim. 32. ubi Gl. in V. procurator. de Offic. de leg. l. de qua re. 74. §. 1. ff. de Jurat.* Debeant tamen hujusmodi res sive causa habere aliquam similitudinem in suo genere, nam de criminalibus ad civiles, vel e contra prorogatio non admittitur: ubi enim specialis jurisdictionis requiritur, & illa debet, extendi utique non potest. *l. solemniter. in fin. ff. de Judicis. Gail. de Pace public. lib. 1. cap. 12. num. 11.*

De loco ad locum prorogatur jurisdictionis, si Judex *Delegatus*, cum non debeat extra civitatem vel *Dioecesim*, in quibus de

putatus est, partes citare, de consensu partium alibi jus dicat, *cap. statutum. 11. §. 5. in nullo. de Rescript. in 6.*

Denique de tempore ad tempus dicitur fieri prorogatio, cum partes tempus illud, quod iudici pro ferenda sententia assignatum est, ulterius extendunt. Sed debet hæc extensio fieri antequam tempus actu elapsum sit, nam elapso tempore expirat iurisdicchio, consequenter extendi non potest. *cap. de causis. 4. de Officio Deleg. l. 2. §. 2. ff. de iudicis.*

Porro hæc Prorogatio, de qua hæcenus diximus, voluntaria est, ex consensu partium dependens. Alia autem est prorogatio necessaria, quæ fit ex auctoritate & necessitate legis, cogens aliquem etiam invitum coram iudice non suo respondere, & proprio nomine *Recurrentio* appellatur, de qua infra Lib. II. in Tit. de Mut. petit.

TITULUS XXXIII.

De Majoritate & Obedientia.

§. I.

SUMMARIA.

1. In Ecclesia triumphante & militante est certa Hierarchya.
2. Papatum esse de iure Divino institutum probatur.
3. Papa quis & quantus?
4. Papa quatenus maior Imperatore.
5. Papa an in temporalibus habeat jurisdictionem super omnes Mundi Principes?
6. Papa à nemine iudicatur.
7. Papa tanquam summus Princeps est iure positivo solutus.
8. Papa an dispenset in iure divino?
9. Papa potestus alia ordinaria, alia absoluta seu plenitudo potestatis.
10. Papa etiam in arduis non adstringitur consensui vel consilio Cardinalium.

11. De Constantini donatione facta Sylvestro.
12. Probatur donasse,
13. Potuisse donare,
14. Rectè donasse.

Alia Summaria post. §. 2.

Majoritas hoc loco dicitur prerogativa, quæ præstat majori minori, ex qua etiam nascitur *Obedientia*, quæ majoribus debetur. Etenim sicut in illâ felici Ecclesiâ celesti triumphante est certa Angelorum Hierarchya, Principes, Potestates &c. ita isthæc militans tanquam *acies ordinata* suam habet Prælatorum Hierarchyam, sive subordinationem, ut juxta dictum Apostoli *ad Rom. 13. v. 1. Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit; & qui potestati resistit, Dei Ordinationi resistit.* Postquam igitur de Prælatorum Electione & creatione in præcedentibus egimus, nunc de eorum in Ecclesia Majoritate, Officio, & Jurisdictione dicemus.

Licet verò huc spectent plerique Tituli præcedentes hujus Libri, quia tamen in specialibus Rubricis eos jam tractavimus, placuit in præsentem de illis præcipuè Prælati tractare, de quibus alibi speciales Tituli & Rubricæ non extant. Incipiamus ergo à Capite.

§. I.

De Summo Pontifice.

DE fide Catholica credimus, Papatum 2 jure divino in D. Petrum & Successores ejus à Christo fuisse institutum; quamvis enim quoad ordinariam baptizandi, prædicandi, solvendi, ligandique potestatem Episcopi, & Sacerdotes in Apostolorum locum successerint. *c. in novo. 2. dist. 21. cap. quorum vices 6. dist. 68. & omnium Apostolorum quoad hoc par fuerit potestas; quoad potestatem tamen extraordina-*

Aa 3 riam,

riam, & majoritatem, ac Primatum Petrus cæteris Apostolis fuit semper praelatus secundum apertissimos Evangelii textus *Joan. 21.* ubi ter geminatâ vice curam suarum ovium specialiter Petro Christus commendavit, & *Matth. 16.* Super hanc Petram edificavit Ecclesiam suam. Enimverò caput visibile in Ecclesia esse debere constanter hæcenus obtinuit; ita enim fuit in Synagoga Judaica (quæ erat Figura Ecclesiæ) summus Sacerdos: ita ante Ascensionem Christi ipse Christus, postea Petrus & Successores ejus, ut quidquid in contrarium pugnant hæretici, tamen revera nec porta inferi juxta Christi promissionem, *d. c. 16. Matth. potuerint prevalere.* Quis namque doceat oves errantes? quis interpretetur genuinum Scripturæ sensum ab Hæreticis toties disceptum, & perverse expositum? quis reparet lapsos, si Pastor visibilis non est, Hinc fit quòd Hæretici potestati Ecclesiæ, & Dei ordinationi resistentes in infinitas sectas, & errores abeant, & quisque sibi fingat fidem, & doctrinam secundum pessimam proprii cordis concupiscentiam. Sed hæc ad controversias fidei remittimus.

3 Ad nostrum propositum nullum est dubium, quin Papa (sic dictus à Græca voce, *papas*, id est: *pater patrum.* Gloss. in *proem. Clem. V. Papa*) tanquam caput omnes Dignitates & Ordines Hierarchiæ ecclesiasticæ præcedat; unde & Ordinarius Ordinariorum dicitur, ac cum quolibet Ordinario aut Prælato inferiori concurrentem jurisdictionem habet, ita ut quilibet omisso suo Ordinario possit immediatè Roma apud summum Pontificem agere, *cap. cuncta per mundum. 17. c. per principalem. 21. caus. 9. quest. 3. Gonzalez ad Regulam. 8. Cancellaria in premio f. 1. n. 8.*

4 Sed hic ingens disputatio inter Politicos

& Ecclesiasticos movetur, numquid Papa etiam major sit Imperatore tam dignitate, quàm jurisdictione?

Si de sola præ eminentia dignitatis loquamur, satis declaratum est: *in cap. duo sunt. 10. dist. 96. in c. solita. 6. hoc tit.* dignitatem Pontificiam præstare Imperatoriæ sicut solem lunæ. *Nesse debueras*; referens Innocentius III. Imperatori Constantinopolitano *in d. c. solita. quòd fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cæli: luminare majus, ut præset nocti & luminare minus, ut præset diei utrumque magnum, sed alterum majus. Ad firmamentum ventur cæli, hoc est, universalis Ecclesiæ fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates quæ sunt Pontificialis Authoritatis, & Regalis potestas, sed illa, quæ præcedit diebus, id est, spiritualibus, major est quæ verò carnalibus, minor, ut quantum est inter Solem, & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscitur.*

Et quid mirum, si in Christianitate Caput & Christum representans ejus Vicarius in majore præ reliquis omnibus dignitate censeatur.

Verùm nodus est intricatior, utrum majoritas Pontificis eo usque protendatur, ut ipsius jurisdictioni Imperator, non tantum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus subiectus sit: Tres sunt in hac materia diversæ Doctorum opiniones.

Prima est absolute negantium, & fundatur *in c. suscipitis. 6. c. quoniam. 8. dist. 10. c. cum ad verum. 6. dist. 96. c. corruptior. 21. caus. 23. quest. 8.* in quibus locis videtur Imperatori propria, & Papæ non subiecta potestas assignari; ita *in d. c. cum ad verum Christum ventum est, nec Imperatores jura Pontificis arripuisse, nec*

Pontificis supra Concilium, & in omnibus Concilijs excepta intelligitur. *c. significasti. 4. de Elect.*

Opponitur autem hoc loco textus in *6. nos si incompetenter. 41. caus. 2. quest. 7.* ubi Leo Papa in querelis contra se propositis subiecit se iudicio Imperatoris Ludovici, & Legatorum ejus. Sed Respondendum est, quod illa subjectio non fuerit ex necessitate juris, sed virtute humilitatis; nec tam Imperatori fuerit data jurisdictio in Pontificem, quam potius Pontifex ad tollendum scandalum diffamationis suam coram eo innocentiam demonstrare voluerit, ut propterea ille terminus *judicium in d. c. positus*, non sit accipiendus de iudicio propriè dicto.

7 Est quoque summus Pontifex in statu Ecclesiastico summus Princeps, & jure positivo solutus. *L. Princeps. 31. ff. de Legibus.* ita ut vi *coactiva* non teneatur, cum nullum habeat superiorem humanum Legislatorem, cui obedientiam debeat, & cum quo non eadem vel majori potestate fungatur. *c. innotuit. 20. de Electione.* Quamvis interim quo ad vim *directivam* & secundum dictamen naturalis rationis, ut *quod quisque juris in alterum statuit, ipse eodem utatur*, etiam summus Pontifex legibus positivis morem gerere debeat, quatenus causa legis in ipso est. Hinc summus Pontifex potest in omnibus canonibus juris positivi dispensare, licet illi canones à Concilio generali conditi essent, quia est supra Concilium *d. cap. significasti. 4. & cap. innotuit. 20. de Electione.* Trident. *Sess. 25. de Reform. cap. ult.*

8 Quid autem dicendum de *Jure Divino*, an etiam in isto dispensare potest Pontifex? Distinguendum imprimis inter jus Divinum absolute, & de se omnes obligans, & inter jus divinum, quod obligat tantum

ex præsupposita voluntate humana, ut in voto, & juramento. Quando igitur Papa voto aut juramento dispensat, non est propriè dispensatio in jure Divino, sed tantum relaxatio ipsius voti & juramenti, quo sublato hoc ipso cessat obligatio juris divini; jus enim divinum in hoc casu tam diu obligat voventem, quamdiu votum durat, cessante ergo vel sublato voto, cessat etiam juris Divini obligatio. Quod autem summus Pontifex ex rationabili causa possit votum tollere, non est aliquid exorbitans, aut insolitum: quia etiam sine autoritate Pontificis alijs pluribus casibus voti obligatio cessare potest, puta si votum uxoris, filii, filias, aut Religiosi, à marito, patre vel Abbate irriteretur; aut si materia voti ex politico deficiat, majus bonum impediatur &c.

Verum circa jus Divinum *absolute*, & per se omnes obligans, diversæ sunt Doctorum opiniones. Nam aliqui, quos refert, & sequitur Sanchez, *de Matrim. lib. 4. disput. 6. n. 5.* affirmant, posse summum Pontificem jus Divinum non tantum declarare, sed etiam ex gravi causa in eo dispensare; quam dispensandi potestatem ex commissione Dei eidem datam existimant: quæ admodum, inquirunt, recta Ecclesiæ gubernatio petit, ut Prælati inferioribus commissa sit facultas verè ac propriè dispensandi in Legibus Pontificijs in casu aliquo particulari, quando necessitas occurrit, nec potest commode adiri S. Pontifex, ita eadem recta gubernatio desiderat, commissum esse Pontifici, ut in lege aliqua Divina verè dispensare possit ob necessitatem occurrentem idque eò magis, quod in priori casu possit adiri Papa, quamvis non ita commode, ac in posteriori non possit adiri Deus pro dispensatione.

Alij e contra communis docent, summum Pontificem in jure Divino propriè dispo-

dispensare non posse, nam dispensatio cum
 fit actus jurisdictionis, requirit, ut dispen-
 satio sit superior lege, in qua dispensat. *Clem.
 ne humani. 2. in prin. de Electione.* Papa
 potestatem non est supra legem Divinam. Item
 ille tantum potest tollere legem, qui tulit,
 sed Papa legem Divinam non tulit, ergo &c.
 Videatur Barbolá *Juris Eccl. lib. 1. cap. 2.*
num. 120.

Si Sanchez, & ejus asseclæ admittant, si-
 cut admittere debent, esse quædam præcepta
 juris Divini ita universaliter & rigorosè ob-
 ligantia, ut nulla possit dari sufficiens causa,
 quæ tollat turpitudinem orientem ex trans-
 gressione illorum præceptorum, cujusmodi
 præceptum est, *honore parentes &c.* in
 aliis autem præceptis Divinis non nisi dis-
 pensationem ex gravi causa concedant, sanè
 mihi videtur hæc quæstio ut plurimum esse
 de nomine. Sufficit, si Pontifex se possit
 eximere ob justam causam ab obligatione leg-
 is Divinæ (v. g. à residentia in beneficio
 curato, quæ in Trident. *Sess. 23. de Reform.*
c. 1. dicitur jure Divino præcepta) sive de-
 inde per illam exemptionem dicatur dispen-
 sasse, sive declarasse jus Divinum in tali cir-
 cumstantia locum non habere: & ideò ne
 etiam potestatem summi Pontificis in tam
 accuratam quæstionem vocem, cui libet li-
 berum relinquere, quid hac in parte sentire
 velit. Si cui verò placuerit ulterius disputa-
 re contra Sanchez, legat Barb. *d. l.* ubi fun-
 damento Adversariorum respondet, quòd
 propterea in jure positivo aliquando liceat
 inferiori dispensare in Lege Superioris, quia
 Legislator humanus non potest omnes ca-
 sus prævidere. *L. 10. cum seq. ff. de Legibus.*
 quòd de Deo non videtur congruè dici pos-
 se, tanquam de perfectissimo rerum omni-
 um provifore, & prævifore.

9 Cæterum potestas summi Pontificis com-
 munitè distinguitur in *ordinariam* &
Engel in Decret. Lib. I.

absolutam. *Ordinaria* dicitur, quando Pa-
 pa juxta vim *directivam* incedens statutis
 Canonicis morem gerit, & vel secundum ea
 disponit, vel contra ea quidem, sed non ni-
 si ex urgente causa dispensat. *Absoluta* ve-
 rò potestas, quæ & alio nomine *plenitudo*
potestatis appellatur, est, quando Papa juxta
 summam auctoritatem, quam supra Cano-
 nes habet contra eos pro suo arbitrio dispo-
 nit, aut dispensat. Porrò si summus Ponti-
 fex absolutà potestate utatur, & nulla pror-
 fus subsistat ratio, valet quidem actus ita
 factus, quia Papa absolute supra Canones
 est, sed tamen ita indifferenter uti pleni-
 tudine potestatis non licet: imò non desunt,
 qui ipsum tali casu peccati mortalis reunt
 arguunt, quamvis alii benignius sentiant,
 & secluso scandalo, ac gravi alterius damno
 tantum venialiter peccare judicent. Laym.
Lib. 1. tr. 4. c. 22. n. 13. Illa præterea di-
 citur *plenitudo potestatis* & clausula *ex*
plenitudine potestatis uti solet summus
 Pontifex, quando ex justa causa dispensat,
 sed in casibus extraordinariis, in quibus ali-
 as non solet facile dispensatio concedi, ut in
 secundo gradu consanguinitatis, ad plures
 cathedrales Ecclesias, &c.

Uterius licet Papa soleat ardua expedi-
 re cum consilio Cardinalium, in alienatio-
 ne honorum adhibere subscriptionem, &
 consensum eorum, tamen absolute non obli-
 gatur; imò nec consuetudine introduci pos-
 se, quòd Papa solus nequeat ardua facere,
 tenent Allegati apud Tuschum *litera S.*
conclus. s. num. 12. non enim esset rationa-
 bile, ut Papa subjaceret inferiori, & hoc
 ipso subjectus legi foret quoad vim *coacti-
 vam*, quia sub pœna nullitatis cogeretur
 adhibere solemnitates &c.

Pro coronide *hujus s.* breviter aliquid di-
 cendum de illa *quæstione*, quam quidam
 Doctores præsertim hæretici movent Ro-
 mano

mano Pontifici, utrum donatio Territorii Romani Sylvestro Papa à Constantino Imperatore facta, ut refertur *in c. Constantinus. 13. dist. 90.* sit vera, & valida?

Ratio Negantium est, quòd cum Historici, qui res gestas Constantini Imperatoris accurate scripserunt, hujus donationis minime faciunt mentionem, sed potiùs, quòd idem Imperator testamento facto hanc partem Italiae, quam Pontifices possident, inter filios distribuerit; ideo dictum *cap. 13.* praesertim cum sit *palea*, & incerti auctoritatis, de falsitate suspectum videatur. Deinde non potuisse, existimant, Constantinum Imperatorem tantam Imperii partem abalienare. Addunt Haereticum Christum non elegisse sibi Vicarium potentem dominum, sed Piscatorem pauperem, &c.

Verùm hæc tanti non sunt, ut valeant jus Romani Pontificis evertere. Tria ergo probabimus contra Adversarios I. Quòd Imperator Constantinus territorium Romanum donaverit Papæ. II. Quòd potuerit donare; & III. quòd recte donaverit.

12. Quòd attinet ad primum punctum, probatur hæc donatio non tantum ex *d. c. 13.* Gratiani, sed etiam ex Decreto Constantini, quòd integrè traditur primo Concilio Tom. ab Ivone Carnot. *L. 4. tit. de Dignitate Rom. Eccl.* ab Iliid. *in Tract. de Synodo. tit. de Nicenâ Synodo* Castald. *in Tract. de Imperio. quest. 51.* ubi testatur, quòd hoc Decretum graecè & latinè fuerit repertum in Bibliotheca Constantinopolitana, Palatina, & Vaticana Romana, & plures alii ex antiquis Scriptoribus hujus Decreti testes sunt apud Covar. *Variar. Resol. lib. 4. cap. 16. sub. n. 8.* & Barb. *in Collect. ad dict. cap. 13. n. 5.* & qualiter Carolus Magnus, alique ejus successores hanc donationem expressè & solenniter confirmarint, habetur *in Clem. unica cir-*

ca fin. de Jurejur. & inc. Ego Ludovicus 30. dist. 63. Videant Acatolici in Chronico hoc nostro saeculo à Joan. Lud. Gouffrid cum figuris Matthæi Meriani Francofurti Germanico idiomate à suismet saeculis editum, ubi in secunda parte Monarchiae Romanae inter gesta Pipini & Caroli Magni disertè refertur, qualiter idem Principes S. Pontificem defenderint, & ditiones ac territoria Romanae Ecclesiae à Longobardis violenter occupata militari manu recuperarint, ac eidem Ecclesiae restituerint. Quare praefata testimonia de donatione Constantini etiam confirmat antiquissima & inconcussa Romanorum Pontificum possessio; quòd autem pro possessore sit juris praesumptio, rem, quam possidet, esse ipsius, utque dum Adversarius contrarium ostendit notorii juris est, & possessio relevat ab onere probandi, transfertque in Adversarium. Imò tot saeculorum possessio non tantum praesumptione, sed plenissimam praesumptionem & securitatem merito operata fuit.

Non obstat, quòd Historici dicti non nominerint hujus donationis (quòd fortassis exinde provenit, quòd hæc donatio longè in effectum deducta non fuerit, neque commode deduci potuerit ob potentiam adhaec Gentilium, & Haereticorum, Gothorum item & Barbarorum in Italia grassationem) eam tamen etiam non negant, & ex sola omissione non inferitur, quòd facta non fuerit. Licet verò aliqua conjectura ex hac omissione oriatur, testimonium tamen tot aliorum Scriptorum accedente tanti temporis possessione istam conjecturam prorsus evertat, prout alias praesumptiones praesumptionibus eliduntur. *L. Divus 7. ff. de integrum restit.* & in antiquis ob difficultatem probandi etiam imperfectas probationes admitti. saepius alibi traditum est. De testamento Constantini aequè non constat autem

authenticè, imò potius & magis specificè de donatione, cujus verba formalia apud Auctores habentur. Posito etiam, quod tale testamentum factum esset, adhuc incertum fuisse, an per id Imperator donationem legitime factam revocare potuisset.

1) Alterum membrum, quòd Imperator potuerit donare territorium Romanum Pontifici, exinde probatur, quòd Imperium Orientale fuerit vera Monarchia, ubi populus omnem suam potestatem in Principem transiit. *L. ff. de Constitutionibus Principum*. Et Imperator fuerit supremus territorii sui Imperii Dominus, adeoque potuerit etiam de re sua pro arbitrio disponere; prout Adversarii concedere debent, qui testamentum Constantini asserunt, & propugnant. Neque tunc fuerunt tales Imperii Principes, quorum consilio, & consensu Imperator fuisset alligatus, sed tantum Administratores, & Præsides Provincia- rum. Imò, ut nihil deesse videretur, Constantinus hanc donationem fecit cum omnibus Sacerdotibus, & universo Senatu, Optimatibusque suis, & cuncto populo Romano, qui omnes eam donationem utilem iudicaverunt, sicut *in d. c. 13.* ubi verba Constantini referuntur, expressè habetur. Deinde hodierni Imperatores Germani non tantum hæcenus, saltem plerique de hac donatione conquesti non sunt, sed insuper eadem verbis & factis abundè confirmaverunt, ut etiam superius allegavimus, utique considerantes, quòd & ipsi Imperium suum Occidentale mediante Pontifice Rom. acceperint, juxta textum & Interpretes in *c. venerabilem. 34. de Electione*. & sicut ipsi potuerunt Episcopis, & Archiepiscopis territoria donare, aut saltem in feudum concedere, ita etiam Constantinus Papa. Præterea per dona-

tionem Ecclesiæ factam non est considerandum Imperii temporalis præjudicium, sed potius utilitas, cum, quæ Ecclesiæ donantur, Deo donari censentur, ex quo gratia major ad reportandos triumphos de devictis hostibus Imperatori accrescit. Videatur textus elegans. *in d. c. Constantinus*.

Quòd autem 3. Imperator rectè donarit 14. Sylvestro Papa territorium Romanum, monstratur; tum ex hac laudabili in Deum pietate, juxta illud *1. Paralipom. c. ult. v. 14. Tuis sunt omnia Domine, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*, tum quia id factum est pro exaltatione Ecclesiæ Catholice, munitione contra Hæreticorum invalescentiam, & libertate in consulendo ac prospiciendo communibus Ecclesiæ necessitatibus remoto sæculari potestatis metu & impedimento melius tuenda. *cap. fundamenta. 17. de Elect. in 6.* tum denique quòd ita merebatur ingens beneficium Constantino Imperatori à Sylvestro Papa in curanda ejus lepra, conversione ad fidem Catholicam, & sacro Baptismo præstitum, de quo videatur Covar. *d. loco*.

Nihil verò movere debet inane Hæreticorum argumentum, quòd Petrus fuerit pauper piscator &c. quia id Christus fecit, ut ostenderet suam divinam virtutem non ininiti humanæ sapientiæ, juxta illud *Psalm. Ex ore infantium perfecisti laudem tuam*. & illud Pauli *1. ad Cor. 1. v. 27. Stultitia mundi elegit Deus, ut confundat sapientes*: postea verò ex hoc ipso enituit divina virtus, quòd Ecclesiæ tam tenuibus initiis cœpta, tantâ & tam crebrâ tyrannide impugnata, in tantum excreverit, ut quali medullam humanæ potestatis, scilicet Romanum Imperium possideret, etiam *portis inferi non prevalentibus*, & verè impletum sit illud *Isaia. c. 61. v. 6. Vos sacerdotes Domini*

mini vocabimini: ministri Dei nostri dicetur vobis: fortitudinem gentium comedite. (fuit autem omnibus Historicis testibus Urbs Romana vere fortitudo gentium) & in gloria earum superbiatis; quod ultimum verbum non de superbia peccaminosa, sed exaltatione gloriosa intelligendum. Prolixius de hac questione & materia etiam videri poterit Martha. de Jurud. p. 1. cap. 30. & seq. De potestate autem S. Pontificis congregandi Concilium Generale & autoritate vid. infer. in §. num. 43.

§. II.

De Cardinalibus Romanæ Ecclesiæ.

SUMMARIÆ.

15. Cardinales unde dicti, & quando inceperint.
 16. Cardinales creat solus Papa, aliquando tamen ad nominationem Regum, ex omni Natione.
 17. Cardinales cur utantur colore rubro?
 18. Cardinales precedunt omnes alias dignitates Ecclesiasticas.
 19. Cardinalium potestas enumeratur.
 20. Cardinales solum hodie eligunt Papam, & ibi referatur c. Hadrianus. dist. 63.
 21. Papalis Electionis specialia.
- Alia Summaria post §. 4.

15 **C**ardinales dicti sunt, quasi Romanæ Ecclesiæ, in quibus volvatur & regatur, *Cardines*: seu quia Sedi Apostolicæ, quæ axis est, & cardo aliarum Ecclesiarum, inserviunt. Gloss. in *Extravag. execrabilis. 4. in v. Cardinalibus. de Prebendis*. Originem videntur habere Cardinales figuratiter quidem à Sacerdotibus Levitici generis, qui in veteri Testamento summo Sacerdoti ministrabant; *exemplariter* verò ab Apostolis, qui Christo Domino summo novi Testamenti Sacerdoti semper adfuerunt. Quamvis autem credibile sit, semper ab exordio Ecclesiæ penes summos Pontifices fuisse quosdam de Clero,

qui ipsi ope & consilio in rebus arduis succurrerent, Cardinalis tamen nomen ante tempora Sylvetri Papæ existisse non constat; unde & ab ipso creditur inventum, qui in sexta Synodo Romana, quam post Constantini Imperatoris conversionem celebravit, ita legitur statuisse: *à Subdiacono usque ad Lectorem omnes subditi sint Diaconi Cardinali*.

Cardinales creare ad solum Roman. Pontificem pertinet, ita tamen, ut & Imperatori, & aliis Regibus jus nominandi certas qualificatas personas ipsi Pontifici competere quibus deinde Pontifex, si dignas compertit, Cardinalitiam dignitatem conferat, ad similitudinem juris nominandi, præferendi, instituendi, quod in inferioribus Beneficiis locum habet.

Sunt autem Cardinales ex omni natione viri selectissimi assumendi, ut unaqueque natio suam habeat in curia Romana Patrum tutelarem & Patronum.

Utuntur Cardinales *galero* & *veste rubro*, quo designatur, quod usque ad mortem & sanguinis effusionem pro exaltatione sanctæ fidei, & statu Ecclesiæ Romanæ se intrepidos exhibere debeant, uti habetur ex formula illius Cæremoniæ, cum qua Cardinali galero rubeo datur.

Præterea licet Cardinales non sint omnes Episcopi, sed quidam *in suis Titulis* tantum Cardinales Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, nihilominus sunt Episcopi, Archiepiscopi & Patriarchis propter officium digniores: quia isti unius private patriæ, illi totius populi Christiani utilitati præfunt, prout declaravit Eugenius IV. in sua *Bulla*, quæ incipit: *Non mediocri*. Neque inconveniens est, quod Cardinales quantum ad officium præponantur Episcopis, quamvis Ordine sint inferiores: nam & Archidiaconus ratione sui officii præponitur

Archipresbytero, lic. ille tantum Diaconus, hic Presbyter sit. *c. 1. de Offic. Archipresb.*

19 Ceterum circa potestatem, & prerogativam Cardinalium multa scripsit Barboia *Juris Ecclies. Universi. lib. 1. cap. 3. & 4.* inter quae haec sunt praecipua.

I. Quod Cardinales in Ecclesiis, quarum sunt Titulares, & aliis eorum Titulis subiectis habeant jurisdictionem Episcopalem. *cap. his que 11. h. 211.*

II. Ex communi opinione Cardinales, etsi non sint Episcopi, possunt conferre minores Ordines in propriis Titulis suis subditis, ac familiaribus. Tamburin. *de Jure Abbatum. tom. 1. disput. 11. quest. 4. num. 4.*

III. Privilegium ex consuetudine introductum habere dicuntur, quod ad supplicium ductum possint veste, aut pileo tegendo liberare. Plures cit. apud Barb. *d. c. 4. n. 67.*

IV. Assententia ex voto Cardinalium & consensu lata non datur appellatio.

V. Cardinales orto schismate Concilium congregare possunt, ut ita Ecclesiae pax restituantur, quamvis alias sine Authoritate Papae Concilia generalia convocare non liceat, ut inferius *in s. 4.* dicemus. Non tamen potest Collegium Cardinalium Sede Apostolica vacante quidquam potestatis vel jurisdictionis ad Papam pertinentis exercere, nisi aliquod tam grande vel evidens immineret periculum, ut omnibus & singulis Cardinalibus praesentibus videretur leviter occurrendum. *Clem. Ne Romani. 2. de Electione. & Bulla Pii IV. quae incipit. In eligendo.*

VI. Cardinalibus data est potestas interpretandi Tridentinum Concilium, de quibus Declarationibus *in Proemio.*

20 VII. Jus eligendi Romanum Pontificem hodie penes solum Collegium Cardinalium est, quamvis olim pro diversitate temporum ad electionem Pontificis quandoque to-

tus Clerus, & populus Romanus adhibitus fuerit. *cap. 5. 7. quest. 1.* id tamen postea immutatum est, ut dicemus. Imperatori quoque Carolo Magno ob insignia ejus in Ecclesiam merita datum esse privilegium, ut posset eligere Romanum Pontificem, traditur *in c. Adrianus. 22. dist. 63.* neque enim excedit vires Pontificis Laicum ad jus Spirituale per privilegium habilitare, prout ad jus patronatus omnes Laici habilitati sunt. Non desunt tamen Doctores, qui cum

Azor. *Inst. Moral. parte 2. lib. 4. cap. 2. quest. 3.* & Baronio *in Annalibus Ecclesiasticis Anno Christi 774. num. 10.* censeant, hoc privilegium vel commentitium, vel eo Imperatores non usos fuisse; sed ferme probabilius est, quod Pontifices non tollerassent in Decreto Gratiani praesertim

jani jussu Greg. XIII. emendato & correcto illud *Cap. Adrianus.* nisi dictum privilegium Imperatori revera datum fuisset. Demum autem cum experientia doceret, ex tanta multitudine eligentium, item & Imperatorum nimia potestate turbatam saepe potius quam expeditam summi Pontificis electionem, ea per posteriores Pontifices, & Concilia generalia solis Cardinalibus concessa est: privilegium enim propter abusum & publicam utilitatem revocari posse, traditur *in Titulo de Privilegiis.*

Porro electio summi Pontificis habet ista 21 specialia.

Quod non vocentur absentes Cardinales, sed tantum expectentur per 10. dies computatos a morte Pontificis.

II. Quod Cardinales eligentes, & praesentes a dictis decem diebus includantur *in conclave*, singuli per singulas cellas, & cubilia.

III. Nisi intra tres dies, postquam *Conclave* ingressi sunt, elegerint Pontificem, tunc per spatium quinque dierum sequen-

tium

Bb 3

tium

tium

tium

tium

tium

tium

tium

tium

tium

tium

tium

tium

tium

tium

tium

tium

tium

tium

tium

tium

tium

tium

tium

tium

tium

tium

tium

tium

tium

tium

tium

tium tam in prandio, quam in coena uno solo ferculo, & post hos dies sine electione etiam elapsos, solo pane, vino & aqua debeant esse contenti.

IV. Licet in aliis electionibus sufficiat, ut *major & sanior pars Capituli* in electione consentiat, in electione tamen Pontificia *duæ tertia* Cardinalium, seu duæ partes, si totum Collegium in partes tres dividatur, requiruntur.

V. Ut ista fideliter à Cardinalibus observentur, executores, & compulsiores à jure, & autoritate pontificiâ constituti sunt præcipui Magistratus, & Domini loci illius, siue Romæ siue alibi, ubi electio Pontificis celebratur, prout ista habentur *in c. licet. 6. de Electione. cap. 3. eodem tit. in 6.* tradit etiam Barb. *Juris Ecclæs. lib. 1. c. 1. n. 39. ubi n. 58.* exemplis, & ratione comprobatur, quod non requiratur, ut eligendus in Pontificem sit de numero Cardinalium, sed possit esse quicumque extraneus idoneus: quia *in d. cap. licet.* dicitur, quod nulla exceptio opponi possit ei, qui à duabus partibus Cardinalium electus est.

Solennitatem autem, quæ sit Romæ cum noviter electo S. Pontifice, ex Authore SS. Cæremoniarum prolixè refert Majolus *in diebus Canic. tom. 2. colloq. 6.*

§. III.

De Legatis Sedis Apostolicæ.

Quia de Legatis Sedis Apostolicæ supra speciali Titulo *de Officio Legati* actum est, eò me remitto.

§. IV.

De Patriarchis, Primatibus, & Archiepiscopis.

SUMMARIÆ.

22. Patriarcha qui, & quot?
23. Primates qui?
24. Patriarcharum Potestas.
25. Archiepiscopus quis?
26. Archiepiscopi superioritas & potestas.
27. Archiepiscopi jurisdictio in suffraganeos an sit tantum in casibus specialiter à jure permissa?
28. Archiepiscopus post Concil. Trid. qualem habeat jurisdictionem in criminalibus & civilibus Suffraganeorum causis.
29. Archiepiscopus potest censuras ferre in Suffraganeos per se, non per Vicarium.
30. Archiepiscopus in subditos Suffraganeorum regulariter jurisdictionem non habeat.
31. Fallit in casibus hic expressis.
32. Judex potest punire injuriam sibi tanquam injuriam illatam.

Quamvis olim post Summum Pontificem ante Cardinales primum locum obtinuerint *Patriarchæ*, hodie tamen Cardinales de consuetudine, & juris ratione præfunt Patriarchis tanquam unum Corpus constituentes cum summo Pontifice, & primarii Ecclesiæ Catholice Directores.

Patriarcha græcè *Summus*, seu *Princeps patrum* appellatur, teste Isidoro *in Cleros. 1. v. Patriarcha. dist. 21.* sunt autem Patriarchæ alii principales, alii minus principales. Principales in Ecclesia sunt quatuor, nimirum Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus; quorum tres posteriores tempore quidem priores sunt, sed Constantinopolitanus primus nominatur propter relictam Imperatorum Græcorum in urbe Constantinopolitana. Minus principales Patriarchæ dicuntur, qui inter Latinos Romani Pontificis indulgentiâ, vel ex inveterata consuetudine patriarchale nomen sibi vindicant. Ejusmodi sunt Patriarcha Aquileiensis, Venetus, Æthiopiæ, & Indiarum.

Primates, qui à nonnullis Patriarchis subinde dicuntur, sunt quidam Archiepiscopi

potentiores, & majores Metropoles regentes, ut in Hispania Toletanus, in Germania olim Magdeburgensis, hodie verò Cellisimus noster Salisburgensis. Sed quòd alicuius Patriarcha minor vel Primas appelletur, nihil in effectu tribuere, sed tantum augere titulum, quæ verò aliàs in jure de Patriarchis leguntur, de quatuor principibus intelligi debere, notavit Barb. d. 11. c. 6. n. 10. & 49.

24. Porro potestas Patriarcharum maximè in eo consistit, quòd Ordinarii habeantur omnium Archiepiscoporum & Episcoporum sui districtus, atque ab his appellationes jure recipiant, & crucem non tantum in suo Patriarchatu (sicut Archiepiscopi in sua Provincia) sed ubique extra præsentiam summi Pontificis, vel Legati ejusdem de lateri præferre possint. cap. antiqua. 23. & Clem. Archiepiscopo. 2. de Privilegiis Barb. de cap. 6. Verum quia hodie juxta prophetiam. Psal. 78. *Venerunt gentes in hereditatem Domini*, & primi quatuor Patriarchatus Græci non amplius in potestate Christianorum sunt, idèò qualem jurisdictionem, & auctoritatem nostri Patriarcha Latini habeant, ex specialibus eorum privilegiis, & consuetudine singulorum locorum petendum erit.

25. Archiepiscopus Princeps Episcoporum dicitur: *Archos* enim græcè *primum* vel *Principem* sonat. *Metropolitani* quoque à mensura, sive multitudine civitatum (dicitur autem *civitas* frequenter in Canonibus *Dioecesis Episcopalis*, sumendo partem pro toto, sive residentiam Episcopi pro toto ejus districtu) suæ provincie nuncupatur. cap. 1. dist. 21. & quamvis textus in d. cap. 1. videatur aliquam differentiam habere inter Archiepiscopum & Metropolitanum, tamen communis est opinio, nullam esse, nisi fortè alicubi reperiat Ar-

chiepiscopus, qui nullum sub se Episcopum suffraganeum habeat: hic enim Archiepiscopus, non verò Metropolitanus, & Archiepiscopus potius titularis, quàm verus dicendus esset.

Obtinet autem Archiepiscopus duplicem 26 superioritatem.

I. Respectu suæ immediatæ Dioecesis, in qua habet illa jura, quæ cuivis alteri Episcopo competunt.

II. Respectu sui Archiepiscopatus, sive *Provinciae*: & dicitur *Provincia* collectio omnium dioecesium inferiorum Episcoporum Archiepiscopo subjectorum, qui & Episcopi Suffraganei dicuntur, quòd suffragentur Archiepiscopo in officio Episcopali, in consecrationibus, conciliis, aliisque negotiis ipsum adjuvent.

Circa istam superioritatem Archiepiscopi respectu Provinciae notanda sunt sequentia.

I. Quòd præstantia Archiepiscopi non sit in sacro Ordine, seu in charactere spirituali, sed in dignitate majoris officii; hoc tamen officium quatenus complectitur jura præcisè Archiepiscopalia exercere non potest ante susceptum Pallium, sicut supra in tit. de *Auctoritate, & usu Pallii*: diximus.

II. Archiepiscopus est Ordinarius omnium Episcoporum suæ Provinciae. Non desunt autem, qui doceant, Archiepiscopum in Episcopos nullam habere potestatem, nisi in casibus à jure nominatim expressis, per textum in cap. 2. §. *sed neque de Translacione Episcopi*, ubi: *quia nonnunquam intelligitur prohibitum, quòd non invenitur concessum*. Ita Hostiensis & alii citati à Quaranta in *Summa Bullarum*. Verbo *Archiepiscopi Auctoritas*. num. 10. Sed non video quomodo hoc jure defendatur: si enim Archiepiscopus Ordinarius dicitur Suffraganeorum, teste ipso Quaranta. d. loco. arg. c. *cognovimus*. 6. *causa* 10. *quæst.*

*quest. 3. c. quia pastoralis. 11. in princ. ubi Abbas n. 2. & Barbola in Collect. num. 4. De Officio Ordinarii. cap. 1. Eodem in 6. quomodo non habet fundatam intentionem in iure, sicut quilibet ordinarius Iudex, qui regulariter potest omnia, quae ad jurisdictionem ordinariam pertinent, nisi specialiter reperiantur excepta? Quod si tantum posset specialiter permitta, potius delegatus à iure, quam Ordinarius dicendus esset; Textus vero in d. cap. 2. nihil probat: quia ibidem Pontifex non facit enunciationem universalem, sed dicit *nonnunquam*. id est, aliquando, & in materiis specialiter summo Pontifici reservatis, sicut ibi de translatione Episcoporum sermo est, intelligi prohibitum, quod non invenitur concessum.*

Hodie tamen noviter constitutum est per Trid. *sess. 24. de Reform. cap. 5.* quod causa criminalis Episcoporum graviore tantum à summo Pontifice, minores vero tantum à Concilio provinciali, vel ab illo deputandis terminentur.

- 28 Hanc Trid. constitutionem à S. Congr. Card. etiam ad causas civiles extensam refert Barb. *d. lib. 1. c. 7. sub n. 46. & in Collect. ad Trid. d. c. 5. n. 7.* Sed antequam dicta Card. declaratio in forma authentica exhibeatur, non possum adduci, ut credam, Concilii Congregationem hoc statuisse, idque ex sequentibus. Enim vero ante Concilium indubitatum & apud Doctores receptum fuit, Archiepiscopum tanquam Iudicem ordinarium posse cognoscere de causis civilibus suffraganeorum. Abb. & Barb. *in d. c. pastoralis. 11. de Officio Ordinarii. Scaccia de Appell. quest. 8. n. 98.* Concilium autem Trid. nec verbo causarum civilium exceptionem fecit; cum ergo tantum causarum criminalium meminerit, potius infertur, quod exceptio de causis criminalibus firmet regulam in causis civilibus non

exceptis: neque enim plus de iure veniebat correctum, quam expressum. *Præcipimus. 32. in fine. Cod. d. Appellat.* & quod Cardinales possint quidem Concilium declarare, non vero ultra proprietatem verborum extendere, in *Proemio De cretaliis* dictum est. Praesertim verò haec Cardinalium declaratio in istis locis, rarissima sunt Concilia provincialia praticari non posset, & perquam difficile foret in quacunquē causa Romanum Pontificem accedere, partes sumptibus gravare, & Metropolitanam intervertere.

III. In casibus ad jurisdictionem Archiepiscopi pertinentibus, cum rationabilis causa fuerit in suos suffraganeos censuras imponere, ita tamen, ut non statim ad excommunicationem deveniat, sed prius ingressum in Ecclesiam interdicit, ne per excommunicationem Episcopi mox sua jurisdictione cum Ecclesiae dispendio priventur. Item ut per se Archiepiscopus censuras ferat, non per Vicarium: quia Vicarius in Episcopos Suffraganeos censuras ferre prohibetur propter reverentiam Pontificalis officii, nisi Archiepiscopus in remotis exilat. *c. 1. de Officio Ord. in 6.*

IV. In subditos Suffraganeorum Archiepiscopus regulariter nullam jurisdictionem habet. *c. pastoralis. 11. de Officio Ordinarii. cap. venerabilibus. 7. de Sententia excom. in 6.* Quare nec eos in prima instantia iudicare potest. *cap. duo simul. 1. de Officio Ordinarii;* Et censet Panor. *in d. c. pastoralis. num. 2.* si Episcopus contra suum subditum litem habeat, quod non debeat eum convenire coram Archiepiscopo, qui non est iudex immediatus illius subditi; neque tamen etiam ipse Episcopus debeat esse iudex in causa propria, sed coram arbitris electis res expedienda sit; à quibus tanquam arbitris juris & necessariis dabitur

ad Archiepiscopum, appellatio. arg. cap. ab
arbitris. 11. de Officio Deleg. in 6. Insuper non potest Archiepiscopus compellere
 subditum sui suffraganei, ut testimonium
 coram se dicat, sed debet id facere per litem
 requisitorias, seu *mutui compassus*,
 qua testis non potest compelli, nisi a suo
 immediato Judice. *cap. 1. §. neque de Foro
 competentis. in 6. Quaranta d. loco 11. 12.*
 Venit hanc regula hujus notandi quarti habet
 aliquas exceptiones.
 31 Nam. V. in appellatione propter effectum
 notorium devolutivum & in visitatione
 Provinciae Archiepiscopus acquirit jurisdictionem
 in subditos suffraganeorum. *c. Romana. 3. de Appell. in 6. c. fin. de
 Censibus. in 6.* ubi dicitur, quod Archiepiscopus,
 dum visitat Provinciam, possit
 confessiones subditorum Suffraganeorum
 audire, & absolvere a casibus suo Episcopo
 reservatis, & a censuris.
 VI. In Vicarium Episcopi Suffraganei
 Archiepiscopus etiam jurisdictionem habet, si
 delinquat in officio sibi commisso, si
 delinquat causam appellationis delatam ad
 Archiepiscopum, si utatur jurisdictione sui
 Episcopi excommunicati, si non servet privilegia
 sedis Apostolicae. *cap. 1. & ibi Gl. ff. in
 1. rationabili. de Officio Vicarii. in 6.*
 VII. Crimina notoria, quae commiserunt
 subditi Suffraganeorum, Archiepiscopus
 punire potest etiam extra visitationem, &
 appellationem. *cap. 1. §. sine. de Censibus.
 in 6.* quod tamen Sylvester V. Archiepiscopus
 recte putat procedere, si Suffraganeus
 in puniendis illis criminibus fuerit negligens;
 videtur proinde monitio Archiepiscopi
 procedere debere.
 VIII. Potest punire subditos Suffraganeorum,
 qui sibi, nuntiis, aut familiae suae in
 exercitio jurisdictionis injuriam intulerunt.
 32 *cap. 1. de Panis in 6. Quaranta d. loco*

num. 23. sicut Judex quilibet potest punire
 injuriam sibi illatam propter reverentiam
 Judicis, ne cogatur coram alio Judice litigare.
*L. nullum. 14. Cod. de Testibus Gail.
 Lib. 1. Observ. 39.*
 IX. Archiepiscopus potest praecipere Suffraganeis,
 ut per suas dioeceses servent ea,
 quae ipse servat in sua, modo sint fundata in
 jure communi, vel statuta in Concilio provinciali;
 unde & potest pravam consuetudinem tollere,
 & contravenientes suo mandato punire,
 quia ad ipsum sollicitudo totius Provinciae
 pertinet. *cap. Dilectus. 30. de Simonia. &
 Quaranta d. n. 23.*
 X. Potest alicui praedicationis officium in
 tota sua Provincia, adeoque etiam in dioecesis
 Suffraganeorum interdicere, & malefactorem
 promeritum extra totam suam provinciam
 relegare. *cap. Tuarum. 11. de Privilegiis.
 c. 2. & ibi Barb. n. 4. de Arbitris.*
 XI. Supplet negligentiam, vel Jurisdictionem,
 si Episcopus Suffraganeus subdito denegat
 absolutionem, dispensationem juxta circumstantias
 rei, & personae de aequitate debitam,
 executionem ultimae voluntatis, institutionem
 ad praesentationem Patroni &c.
 XII. Potest concedere indulgentias, nimirum
 in dedicatione Ecclesiae cujuslibet annum unum,
 anniversario dedicationis 40. dies, quae
 prosint etiam subditis Suffraganeorum ad
 eas lucrandas adventibus, *juxta cap. cum ex eo. 14. Eccl. seg. de Penitentia &
 remiss.*
 Demum ratione rei sitae, contractus aut
 delicti non est dubitandum, quin subditus
 Suffraganei coram Archiepiscopo recte conveniatur,
 si in ejus dioecesi contraxerit &c. *c. fin. de Foro
 competentis.* quando vero Archiepiscopus
 Concilium Provinciale convocare, aut Provinciam
 visitare debeat, *§. sequenti.*

ENGEL IN DECRET. LIBER L

Cc §. V. De

NGEL
 DECRET
 LIBER L
 DE
 DECRETIS
 LIBER L
 DE



UNIVERSITÄTS-
 BIBLIOTHEK
 PADERBORN

§. V.

De Episcopis, eorum Officio & Potestate.

SUMMARIUM.

33. Episcopus unde dicitur?
34. Episcopi potestas diverso respectu à Christo & à Papa.
35. Episcopus potest in sua diocesi, quod Papa in Ecclesia, qualiter intelligendum?
36. Episcopi potestas alia Ordinis, alia iurisdictionis.
37. Lex iurisdictionis, & lex diocesana.
38. Episcopus non consecratus potest ea, quae sunt Ordinis delegare.
39. Episcopus circa iura Episcopalia habet fundatam intentionem in iure.
40. Diocesani limites determinare tantum potest Papa & ibi casus notabiles.
41. Episcopus qualiter tenetur visitare Dioeceses.
42. Appellatio à visitatione & correctione quando dicitur.
43. Concilia generalia convocata Papa & qualiter?
44. Concilium non est supra Papam, nec à Concilio dependet.
45. Constitutioni Concilii non derogatur sine speciali mentione.
46. Concilia Provincialia convocata Archiepiscopus, quando & qualiter?
47. Concilium diocesanicum quando & qualiter convocet Episcopus?
48. Dispensare contra Canones regulariter non competit Episcopo.
49. Dispensare quando possit Episcopus?
50. Trid. sess. 24. de ref. c. 6. explicatur contra communem aliorum, quo ad verba, ex delicto.
51. Irregularitas vel delictum quatenus debeat esse occultum, ut vigore Trident. dispensari possit?
52. Delictum quando dicatur deductum ad forum contentiosum.
53. Episcopus aliquando dispensat per Episcopum in re levi, & ubi periculum est in mora?
54. Dispensatio an competat Episcopo, quando est dubium, an res exeat dispensatione?
55. Dispensari an possit Episcopus secum ipso?
56. Episcopus praecedat omnes saeculares dignitates.

Alia Summaria post §. 6.

33. Quamvis nomen Episcopi antiquissimum sit, non solum in veteri Testamento (juxta illud Psalm. 108. Episcopatum ejus

accipiat alter) sed etiam apud Ethnicos risconsultos utilitatum, L. munerum. 17. 7. ff. de Muneribus & honoribus. hoc tamen proprium factum est Christiana Religionis, veteri nihilominus sensu servatum adhuc significet praecedentiam & praesentiam, quae Episcopus Clero ac populo praesens. Unde Episcopi alio nomine etiam Spectatores, in cap. 1. dist. 21. & Superintendentes in c. qui Episcopatum. 11. caus. 8. quae appellatur: *Episcopi* enim Graecè *Super Episcopos* idem, quod *intento* significat.

Credit porro Ecclesia Catholica juxta peritiam dieta ad principium hujus mundi esse quandam Hierarchiam Ecclesiasticam in eaque Episcopos suo loco divinitus Christo institutos, & majores tum ordinem jurisdictione esse Presbyteris, & in Evangelio legitur, Christo alios Apostolos, alios Discipulos elegisse. Luc. 10. 10. ita in locum Apostolorum Episcopos & Discipulorum Presbyteros, aliosque Ecclesiae Ministros successisse. cap. in novis dist. 21. cap. quorum vices. 6. dist. 11. licet interim in primitiva Ecclesia, ubi Christiana necdum erat in multas orbis partes diffusa, Episcopalis dignitas non ita extiterit, & Episcopi tunc Presbyterorum officio functi, Presbyteris e contra potestate Episcopalis communicata, & propterea quatenus Presbyteri Episcoporum nomine appellati fuerint.

Quare ulterius, si potestatem Episcopalem in se consideremus, ea à Christo data esse si verò spectemus quoad certas Dioeceses & districtus ac populos Episcopis subjectos à summo Pontifice descendit, ad quem pertinet limites Dioecesium assignare, & populo de idoneis pastoribus providere: quod ipse est Pastor universalis vocatus in plenitudinem potestatis, Episcopi verò tantum in partem sollicitudinis. c. qui se. 12. cap. 11.

31. 2. 4. 6. cap. ad honorem. 4. de Autho-
ritate & usū Pallii.

Uole quod communiter Doctores solent
dicere cum Abbate in c. etsi Clerici. 4. §.
de adulterio. de Judicis. quod Episcopus
possit in sua Diocesi, quæ S. Pontifex in
sua Ecclesia, nisi reperiantur specialiter
excepta, intelligendum est cum debita sub-
ordinatione ad summum Pontificem, & sal-
ua legibus, ac constitutionibus Papalibus,
quibus Episcopus subesse debet. d. c. qui se
& seq. & Clem. ne Romani. 2. de Elect.

Dividitur autem potestas Episcopi in
potestatem Ordinis, & potestatem Juris-
dictionis.

Potestas Ordinis dependet ab Ordine &
charactere Episcopali, hic verò a Sacerdotio,
& consecratione. Et hæc potestas con-
sistit potissimum in tribus, scilicet in confir-
mando, ordinando, & consecrando, solet-
que exerceri in vestibus, & ornamentis pon-
tificibus.

Potestas jurisdictionis est, per quam Epi-
scopus constituitur Judex, & Pastor Eccle-
siae suæ, ut possit decidere lites, conferre
beneficia, visitare, corrigere &c. & datur
hæc potestas per Canonicam electionem se-
cuta confirmatione.

37. Aliquando tamen hoc vocabulum juris-
dictionis latius accipitur, ut etiam ea, quæ
Ordinis sunt, comprehendat, quatenus ni-
mirum Episcopus non alienis, sed suis tan-
tum subditis, regulariter actus Ordinis im-
petari valet. Hinc in cap. dilectus. 18. de
Officio Ordinarii potestas Episcopi dividi-
tur in Legem Jurisdictionis, & Legem
Diocesanam, & teste Gloss. ibidem per Legem
Jurisdictionis intelliguntur omnia ea,
quæ in dando consistunt, sive deinde ex
Ordine, sive ex Jurisdictione Episcopi
procedant, ut dare Ordines, confirmatio-
nem, consecrationem, beneficia, sententias

& similia. Ad legem Diocesanam autem
referuntur, quæ consistunt in recipiendo,
id est, quæ Episcopus à suis subditis exigere
& recipere potest, ut cathedraticum, cha-
ritativum subsidium & portionem canoni-
cam &c. Ita etiam intelligendum est, quod
dici solet, omnia Monasteria regulariter
esse exempta à Lege Diocesana Episcopi,
excepta procuracione visitationis. cap. ve-
nerabili. 24. de Censibus. & portione ca-
nonica, cap. requisivisti. 13. vers. secus au-
tem. de Testamentis. non verò à Lege juris-
dictionis, nisi speciali privilegio vel præscri-
ptione munita sint. Quæ de re dixi de Pri-
vilegiis Monasteriorum. Privilegio. 3.

Licet porro Episcopus non consecratus
ea, quæ sunt Ordinis, per se exercere ne-
queat, potest tamen alteri Episcopo delega-
re seu licentiam concedere, ut loco sui or-
dinationis, consecrationes, aliæque, quæ Or-
dinis Episcopalis sunt, peragat. Textus &
Interpres in cap. suffraganeis. 11. de Ele-
ctione: est enim delegatio actus juri dicti-
onis, quam Episcopus per canonicam electi-
onem, institutionem, & confirmationem
citra etiam consecrationem consequitur.
Non obstant regulæ juris, quod quis per se
non potest, id etiam non potest per alium;
Item nemo potest plus juris in alium trans-
ferre, quam ipse habeat. L. nemo plus ju-
ris. 54. ff. de R. J. Nam re. cum Panor. in
c. 1. de Translatione Episcopi num. 10. hæc
regulas procedere, si delegatus id, quod facit,
ex mero jure delegantis facere debeat, ut
si alicui de cetero nullam jurisdictionem
habenti Episcopus causam judicialem com-
mittat; secus verò, si Delegatus habeat pri-
us propriam potestatem & habilitatem ad
actum exercendum, & tantum desit ipsi li-
centia respectu loci.

Quod si Episcopo ab alio aequali vel
inferiori Prelato infra fines suæ Diocesis

C c 2

super

super illis, quæ ad ordinem vel jurisdictionem Episcopalem pertinent, lis moveatur prætendendo aliqua Episcopalia jura, vel exemptionem à jurisdictione Episcopi, onus probandi non incumbet Episcopo, quamvis actor sit, sed alteri adversario suo, quia Episcopus habet fundatam præsumptionem in jure pro se, quod omnia ista ad ipsum pertineant, nisi contrarium ostendatur. *cap. Conquerente. 16. de Officio Ordinarij. c. cum non liceat. 12. cap. cum olim. 18. de Prescrip. cap. cum persona. 7. de Privilegijs in 6.*

40 Limites autem & fines Diocesium assignare, restringere, vel extendere nec ad Episcopum, nec Archiepiscopum, sed ad Summum Pontificem pertinet. Ideo notabilem decisionem ponit Aloytius Riccius *in Praxi fori Ecclesiastici. decis. 542. in veteri editione*, quod Archiepiscopus Neapolitanus non potuerit concedere domum Episcopo Averiano in Civitate Neapolitana, eamque efficere Diocesis Averlanæ, ut Episcopus Averlanus in tali domo Neapoli ob majorem suam commoditatem habitando diceretur residere in loco suæ Diocesis ad evitandas pœnas juris præsertim Concilij Trident. *Sess. 23. de Reform. c. 1. contra non residentes Episcopos latus.*

41 Præterea cum Episcopi & Ecclesiarum Prælati per sanctum spiritum constituti sint, ut evellant & dissipent vitia subditorum, e contra aedificent, & plantent virtutem, & religionem Christianam, ideò de jure incumbit Episcopo, ut propriam Diocesium per seipsum, aut si legitime impeditus fuerit, per suum generalem Vicarium singulis annis visitet, & si quotannis totam singularem ejus latitudinem visitare nequeat, saltem majorem ejus partem visitare non prætermittat, ut tota visitatio biennio compleatur. Trident. *Sess. 24. de Reform. c. 3.* Sed quia

hoc decretum licet saluberrimum Ordinariis fatis molestem, & Ecclesijs ob procurtionem, seu sumptus visitantibus prælatos nonnihil grave videtur, propterea hæc Diocesis in plurimos Archidiaconatus, & Decanatus distributa est, in quibus Archidiaconi, & Decani certis temporibus debent synodos & visitationes peragere, ac omnia aëla, & qualiter cura animarum ubique ministraretur, ad Consistorium transmittent quo remedio adhibito possint Ordinarij curari rarius generales visitationes instituendo, dummodò non profus tollantur.

A Metropolitanis verò etiam postquam, & totaliter visitatam propriam Diocesium non debent visitari Cathedrales Ecclesie neque Dioceses suorum Suffraganeorum, seu Comprovincialium, nisi ex causa quæ in Concilio Provinciali prius cognita, & approbata fuerit. Trident. *d. c. 3.*

Cæterum quia sæpe fit, ut rei criminis ad evitandas pœnas & Episcoporum subesse fugienda judicia querelas & gravamina molestant, ac per appellationem ad superiores Episcopi processum impedire nitantur, ut remedio ad innocentie præsidium institutum ad iniquitatis defensionem abutantur, constituit idem Conc. Trident. *Sess. 23. de Reform. cap. 1. ut causas visitationum, correctionem morum, aliasque criminales ante definitivam sententiam nulla appellatio impediatur, vel suspendatur; nisi tale gravamen alicui inferatur, quod per definitivam nequeat reparari.*

Item etiam, si Episcopus procedat contra exemptos, aliosque privilegiatos in casibus à jure non permissis, dari & admitti debere appellationem refert Barb. *in Collect. ad d. c. 1. n. 1.* Videatur quoque elegantissimus textus & adhortatio ad Episcopos in eodem *cap. 1.* qualiter in correctione juxta morem Apostoli debeant potius esse pastores quam

quam percussores, arguere, obsecrare, increpare in omni bonitate, & patientia, nisi quatenus delicti gravitas, vel delinquentis contumacia ad aliorum terrorem acriorem subinde castigationem requirit. Alia de vitiationum materia in *Tit. de Censibus* traduntur.

41) Uterius ad officium Episcopi pertinet Synodum, seu Concilium convocare. Sunt autem Concilia alia *Generalia*, sive *Oecumenica* totius Ecclesiae, alia *Provincialia*, & alia *Diocesana* Concilia *generalia* Auctoritate summi Pontificis legitime congregantur, quibus extra urbem non solet perire, sed per Legatos suos interesse; aliter vero congregata Concilia illegitima & nullius auctoritatis habenda sunt. Legitur quidem aliquando ab Imperatoribus congregata fuisse Concilia, id tamen vel de facto attentatum fuit, vel Ecclesiam precipiente, rogante, vel approbante, ut patet ex *dist. 17. per totam*, ut nimirum Imperatores sua potentia, & brachio saeculari Concilij libertatem & auctoritatem manutenerent ac defenderent.

Si contingeret, quod absit, Papam de haerese diffamatum vel suspectum esse, nolleque Concilium generale convocare, vel schisma in Ecclesia oriri, tunc Concilium per Cardinales, vel saltem duas eorum partes, illisque negligentibus vel recusantibus per Patriarchas, & his etiam nolentibus per Imperatorem, & alios Praelatos Ecclesiasticos convocari posse tradit Sylvest. V. *Concilium n. 6. c. 7.* ubi etiam dicit, videri quidem esse in arbitrio Papae, quos & quot velit ad Concilium vocare, nec esse curandum de diminuto numero propter illud Christi *Matt. 18. v. 20. ubi sunt duo, vel tres in nomine meo congregati, ibi sum ego &c.* si tamen causa fidei ad extripandas haereses, & schismata tractetur, omnes tunc

Catholicos Episcopos vocari debere ait, cum omnes tangat & concernat.

Caeterum vero Concilium non est supra 44 Papam, sed ab eius Auctoritate & approbatione dependet, nec ei potest legem praefigere, nec appellationem ab eo recipere. *cap. 4. de Elect. junct. Bulla: Cetera Domini*, nec etiam absolute loquendo in definitione Articulorum fidei necessario à Concilio dependet, ut tradunt communiter Doctores apud Cajetanum *Opusculo de Auctoritate Papae*, quia Christus, dum *Matt. 16. v. 18.* promisit *Ecclesiam suam fundare supra Petrum, contra quem Porta inferi, & consequenter errores, non prevalerent*, non restrinxit potestatem Petri, & successorum ejus ad generale Concilium; solent tamen Pontifices pro majori populi Christiani edificatione, & fiducia Conciliorum sententiae plurimum tribuere, nec facile ab ea recedere, neque eorum decretis sine speciali clausula, & mentione derogare. Unde communiter etiam dicunt Doctores, quod constitutioni vel Canoni in aliquo Concilio generali edito non censetur per rescriptum Pontificium contrarium derogatum, nisi quatenus de eo mentionem facit. Colligitur ex *c. nonnulli. 28. ubi Felinus n. 3. de Rescriptis. Sanch. de Matrim. lib. 3. disput. 26. n. 7.*

46) *Concilia provincialia* convocat Metropolitanus per se ipsum, aut eo legitime impedito, suffraganeus antiquior singulis triennijs post octavam Paschae, aut alio commodiore tempore pro more cujuslibet Provinciae.

Ad hoc Concilium vocandi sunt omnes Suffraganei Archiepiscopi. Item Episcopi nulli Archiepiscopo subiecti aliquem vicinum Metropolitanum semel eligere, in eisque Synodo Provinciali cum alijs interesse, & quae ibi ordinata fuerint, observare debent.

bent. Tridentinum *Seff. 24. de Reform. c. 2.* Præterea etiam vocandi sunt alij omnes, quibus de jure, vel consuetudine competit ut intersint. *Trid. d. 1.* Competit autem Cathedralium Ecclesiarum Capitulis, maxime circa illa negotia, quæ ipsa Capitula principaliter concernunt. *c. fin. de his, quæ sunt à Prælati.* Ne tamen Ecclesiæ divino officio destituantur, si omnes Canonici ad synodum Provinciale abirent, ideo sufficit nomine Capituli mittere Procuratorem. *d. c. fin. ubi Pan. n. 4.* hunc verò Procuratorem non habere in Concilio vocem *decisivam*, quæ tantum Prælati competit, sed *consultivam*, cum pluribus tenet Quaranta in *Summa Bullarii. v. Concilium Provinciale. v. quarto.* Abbates ad Concilium Provinciale regulariter quidem cogi non debent, *cap. Episcopus. 11. dist. 18.* sed pertinent ad synodum Diocesana; expedit tamen eis, ut veniant propter statuta, quæ ibidem sunt quandoque in eorum præjudicium, quæ præsentibus tunc facilius impedire, quam ex postfacto in Synodo diocesana reclamare possunt. Joan Honorius in *Tit. de Constitut. num. 6.* Illi verò Abbates, qui habent populum, & territorium proprium, jurisdictionem quasi Episcopalem intra ambitum alicujus Provinciae, etiam ad Concilium Provinciale comparere debent, ita intelligendus est textus in *cap. ut Apostolica. 6. de Privilegiis. in 6. Quaranta. d. loco vers. quarto tertio.*

7 *Concilium Diocesana* celebrare debet Episcopus in sua diocesi, in primis ad recipienda Concilij Provincialis decreta intra sex menses, postquam Synodus Provincialis absoluta fuit; & deinde singulis annis. *Trid. d. loco. c. fin. dist. 18.* Ad hanc Synodum tenentur accedere omnes Abbates, qui nec populum, nec jurisdictionem quasi Episcopalem habent, propter quæ ad Pro-

vincialem vocentur. Imò etiam Abbates exempti, si membra habeant, id est, capellas, vel Parochias non exemptas, eorum membrorum intuitu ad Synodum Diocesana accedere, & Episcopo pro non exemptis membris reverentiam; & obsequium exhibere tenentur, honorem sibi præ aliis Abbatibus servato, ut primum post Episcopum locum obtineant. *cap. ex ore. 17. de Privilegiis.*

Porro materia in his Conciliis tractanda est reformatio, vel conservatio status Ecclesiastici, & rectæ administrationis curarum animarum, ut morum fiat moderatio, excessus corrigantur, controverſiæ componantur, & Ecclesiarum in æmmitati combus salubri provideatur. Ritus autem, & ceremoniæ faciendi Synodum diversæ sunt pro locorum diversitate, & videri poterunt apud Barb. de *Officio Episcopi. parte 9. alleg. 93. Quaranta. V. Concilium provinciale & Verbo. Synodus Diocesana.*

Pertinet etiam ad officium, & potestatem Episcopi quandoque in jure dispensare, circa quam potestatem aliqua notanda sunt.

I. Quamvis nonnulli cum *Gloss. in c. si clericus. 4. §. de adulteris. de Judic. & Palesio in Praxi Episcoporum. parte. 1. cap. 1. sub num. 60.* censent, Episcopum posse dispensare in omnibus casibus, in quibus non est ei expressè prohibitum; probabilius tamen est, & receptius Episcopum in Jure communi dispensare non posse citra juris permissionem; privilegium, vel consuetudinem: si enim juxta notam juris regulam, *res eo modo dissolvi debet, quo colligata est. l. nihil tam naturale 3. ff. de R. I.* sane quia Episcopus legem Canonicam non tulit, eam dissolvere non poterit; nec congruit, ut inferior subditus Legislatoris, & qui ejusmodi legi

obediunt tenetur, pro suo arbitrio in lege dispensat. c. cum inferior. 16. hoc tit. c. dilectum. 15. de Temporibus ordinat. Clem. 8. Romanus. 2. in princ. de Electione. Illud quoque dictum inter Doctores vulgare, quod Episcopus in sua Diocesi possit ea, cum S. Pontifex in tota Ecclesia, intelligendum est cum debita subordinatione, ut jam superius explicatum est.

49 II. Tunc igitur regulariter, & sepositis specialibus privilegiis & consuetudinibus dispensatio competit Episcopo, quando ei a lege live Canone expresse, vel tacite permittitur.

Expressa permissionis exempla habentur in c. 1. de Filiis Presbyterorum. in 6. c. sane 2. de Cler. conjug. cap. & si clerici 4. §. de adulteris de Judio. in Trid. sess. 24. de refor. 2. cap. 6. & pluribus aliis locis. Ex quo ipso argumentum satis luculentum pro priori assertionem desumitur; frustra enim canones in certis casibus expresse dispensationem concederent, si alias de jure Episcopo competere.

Tamen permissam dispensationem Episcopo censent Doctores, quando textus Canonis impersonaliter loquitur v. g. dispensatio, possit dispensari &c. non adpendendo per sedem Apostolicam, vel Romanam Pontificem, ut in c. prater ea, §. de Exate & qualitate. c. de mens 2. De eo, qui cognovit. & cap. Postulasti. 7. ubi Gloss. & Doctores de Clerico excommunicato: tunc enim, quia gratis concederetur dispensatio Papæ, cui alias competit, & leges accipi debent de casibus dubitatis. L. 2. ff. Ad municipalem. censetur propterea illa facultas dispensandi data inferioribus Prælati, quibus de jure non competeret. Panor. in cap. ultimo. de Postul. Prælat. Barb. de Officio Episcopi. parte 2. Alleg. 34. n. 21.

In allegato porrò c. 6. Trid. ubi notabilis & ampla potestas dispensandi in omnibus censuris & irregularitatibus ex delicto occulto provenientes, excepto occulto homicidio voluntario, & aliis deductis ad forum contentiosum, conceditur Episcopo, advertendum est, quod ad hanc facultatem tria concurrere debeant.

I. Ut irregularitas sit ex delicto, ideoque ex communi interpretatione apud Barb. in Collect. ad idem caput 6. n. 24. Episcopus dispensare non poterit, si aliunde proveniat v. g. ex bigamia, ex iudicio sanguinis iusto, ex illegitimis natalibus. Nomine quoque delicti etiam levissima culpa intelligitur tanquam in ordine ad dispensationem & materiam favorabilem. L. in lege. 44. ff. ad L. Aquilianam. Sed planè existimo, aliquem erroris damnari non posse, qui generaliter doceret, Episcopum in quacunque irregularitate occulta rectè dispensare, cum enim hæc facultas dispensandi sit privilegium nemini præjudicans, Episcopis & dispensandis favorabile, latius interpretari convenit, ut delicti nomine non tantum veniat peccatum in genere moris, vel contra præceptum, sed etiam defectus in virtute, perfectione, lenitate, & similibus, ut in Bigamo, Iudice sanguinis &c. & delictum non tantum ipsius irregularis, sed etiam alterius, qui irregularitati causam dedit, sicut de dispensatione super illegitimis natalibus superius conclusimus. Alias manifestè sequeretur aliquod juris inconveniens, quod nimirum delinquens ex delicto commodum reportaret, & esset melioris conditionis, quam irregularis non delinquens. e. g. qui semel tantum ceu assessor in iudicio seculari votum iustum in causa sanguinis dedisset ad summum Pontificem, ille verò, qui aliquem, non quidem voluntariè, sed culpa

saltem

saltem levi occidisset, ad Episcopum pro dispensatione mittendus foret; similiter qui duas uxores legitimas duxisset, non posset dispensari ab Episcopo ad ordines suscipiendos, & tamen posset, qui unam legitimam, & alteram de facto duxisset per polygamiam.

Dices, si hoc voluisset Concilium, non fecisset *delicti* mentionem, sed generaliter dixisset Episcopum in irregularitatibus dispensare posse. *re.* Mihi videri id maxime ex ea causa factum esse, quod Trid. ibidem non tantum de *irregularitatibus*, sed simul *cenfuris* Papalibus loquatur, quæ *sine delicto* & quidem mortali non incurruntur, ut propterea vocabulum *delictum* cenfuras maxime respiciat.

51 II. Requiritur, ut irregularitas sit *occulta*, ubi licet *Garcias de Benef. parte 7. cap. 11. num. 46.* & alii censeant, *delictum occultum* in presenti materia dici, quod non potest probari juridicè per testes duos; benignior tamen, & magis communis est sententia cum *Nav. in Manu. cap. 27. sub num. 254.* *Piascio d. n. 56.* hoc loco dici *occultum*, quod arbitrio prudentis Viri non est notorium apud plerosque & divulgatum, licet possit probari per aliquot testes, & sufficit tergiversatione aliquâ celari posse. *arg. cap. fin. de Cohab. Cleric.* Item *radicem delicti* esse attendendam, & ideo Episcopum dispensare posse in irregularitate, quam contrahit excommunicatus celebrans, quando excommunicatio est occulta, licet celebratio sit manifesta, cum communi docent *Nav. Cons. 2. de Clerico non ordinato ministrante.* & *Piascius d. loco.*

Quod si delictum sit *publicum* in loco, ubi commissum, sed occultum in loco, ubi dispensatio petitur, an tunc Episcopus dispensare possit, *diversæ* sunt Doctorum opi-

niones apud *Barb. in Collect. ad dictum cap. 6. Trid. n. 26.* Putarem ad mentem verosimiliorem Concilij has discordantias in hunc ferè modum componi posse, ut dispensandus regressurus sit ad locum delicti, & ibi victurus, obtineat sententia *negativa*: foret enim nonnihil scandalosum, publicè ibidem scire delictum, & irregularitatem, & non scire canonicam dispensationem; *affirmativa* verò, si vel in loco dispensationis, vel alibi in divinis ministraturus sit, ubi arbitrio Episcopi non esse proximum divulgationis periculum, ut delictum valde grave & enorme.

Tertium requisitum est, *ne delictum sit de ductum ad forum contentiosum*, est, quod irregularis non sit conventus in iudicio, vel criminaliter, vel civiliter; subest namque periculum, nec reus condemnatur, & ita delictum ejus fiat notorium notorietate juris.

Dubitant quidem hoc loco Doctores, ut dicatur delictum ad iudicium deductum debeat non tantum *citatio*, sed etiam *litis contestatio* intervenisse? Mihi tamen probabilius videtur, solam citationem sufficere, tum quod regulariter per citationem dicitur iudicium coeptum. *cap. relatum. 19. de gratum. 20. de Officio Deleg. juncto. c. fin. de Officio Legati.* tum quod utique periculum divulgationis aperte subsit, quando quis ex causa delicti in iudicium vocatur. Verum hic *notandum est*, ad Episcopum redire jus dispensandi, si iudicium quoque modo progressum non habeat actore factum ab agendo desistente, vel reo ex defectu probationum absoluto, eò quod tali casu nulli subsecuta sententiâ delictum occultum maneat. *Riccus in Praxi fori Ecclesiastici part. 1. Resolut. 459.*

III. Per quamdam *Epyokiam*, seu benignam interpretationem, & taciturnam

presumptum consensum Pontificis dispensare potest Episcopus, tamen nec expressè nec imperionaliter concedatur, quando materia & negotium, de quo quaeritur, esset leve, & parvi momenti; & quando, si expectandus foret Papalis consensus, magnum timeret scandalum, vel animarum periculum, vel aliàs urgens necessitas, difficultas ad Papam aditus, vel notoria supplicantis paupertas subesset. Nav. in *Manuali*. cap. 22. num. 85. Zerola. in *Praxi Episcoporum*. Verbo. *dispensatio*. q. 5. prout in impedimentis matrimonij, postquam bonâ fide contractum est; vel ubi periculum in mora, dispensare posse Episcopum in *Lib. IV. in tit. 16.* trademus. Imò etiam ad Matrimonium *contrahendum* ex his principijs dispensare posse Episcopum docet Sanch. de *Matrimonio*. lib. 2. disp. 40. num. 7. saltem in casu maximæ necessitatis, ubi v. g. ex imperitiâ mulieris impedimentum criminis, aut affinitatis ex copulâ fornicariâ hæctenus dissimulatum circa diem nuptiarum omnibus jam paratis Confessario detegeretur, nec possent nuptiæ sine infamiâ differri, aut alius modus evadendi arbitrio prudentis viri inveniri.

IV. Quando dubium est juris aut facti, an res egeat dispensatione militantibus in utramque partem probabilibus rationibus, licet Episcopo dispensare secundum probabilem quorundam sententiam tradit Eman. Saa. verbo. *Dispensatio* num. 1. sed nullam in hoc casu propriè dictam dispensationem, tanquam à legibus non concessam, solam vero declarationem ad evitandum scandalum & meliorem cautelam admittit Sanch. de *Matrim.* lib. 8. disp. 6. num. 18. qui duas limitationes potissimum circa dubium facti apponit: nimirum primo, ut si majores præsumptiones sint pro

impedimento, non possit Episcopus declarare; v. g. si aliqui testes deponant, nullam esse inter contrahentes consanguinitatem, alij verò plures numero, opinione integrioribus & pluribus iudicijs adjuti affirmant consanguinitatem. Secundo, ut etiam semel datâ declaratione nullum esse impedimentum, si ex postfacto appareat, revera subesse impedimentum, debeat de novo dispensatio impetrari ab eo, qui dispensandi potestatem habet. Possit tamen pro priori sententiâ dici, dispensationem in materiâ dubiâ concedi Episcopo per quamdam *Epykiam* & præsumptam mentem S. Pontificis ob communem hominum utilitatem: si enim in dubio conceditur Episcopo declaratio, nimis grave & cum frequenti scandalo conjunctum videtur, ut appareat ex postfacto certitudine omnes illi actus ad talem declarationem præviâ bonâ fide celebrati invalidi proclamentur.

Sed quid si Episcopus ipsemet contrahat irregularitatem, censuram, vel casum occultum indigentem dispensatione, & in quo cum subdito dispensare possit, an etiam secum ipso dispensare poterit?

Ratio dubitandi est, quòd non regulariter possit jurisdictionem in se ipsum exercere, sicut nec sibi ipsi beneficium conferre. cap. *fin. de Institutionibus*.

Nihilominus dicendum est, Episcopum in tali casu non habere necesse, ut in se ipsum propriè jurisdictionem exerceat, sed posse declarare per quamdam præsumptionem & benignam Canonum interpretationem, quòd non sit obligatus illâ lege, à qua posset hic & nunc subditum immunem pronuciare: ne sit deterioris conditionis, quàm subditus, qui tali casu non teneretur Romæ dispensationem impetrare; securius autem erit, si Episcopus suo Confessario

Dd

pote-

potestatem se absolvendi dederit: quamvis enim nemo possit in se jurisdictionem exercere, alteri tamen potestatem in se exercendi dare potest, sicut idem facit S. Pontifex, cum non habeat in terris superiorum, cuius jurisdictioni subfit, suo Confessario in se jurisdictionem. Videatur Laym. in *Tract. Legum c. 22. num. 30. & seq.*

16. Episcopos cæterum in suis Diocessibus honorare & revereri ut Patres & Pastores debent non tantum Principum ministri, sed & ipsi Principes quicumque sæculares. Prout Concilium quoque Trid. *sess. 25. de Ref. cap. 17.* mandat, ut Episcopi hunc suum honorem & prerogativam omni meliori modo conservare studeant, ne quid Episcopali dignitati decedat.

§. VI.

De Prothonotariis Apostolicis & aliis inferioribus Prælati & Clericis

SUMMARIÆ.

57. Prothonotarii qui & qua participantium prerogativa?
 58. Prothonotarii Titulares.
 59. Prothonotariorum beneficia sint ne reservata?
 60. De Vicario, ejusque præcedentia.
 61. Capituli Cathedralis Ecclesie præcedentia.
 62. Abbatum prerogativa, & ibi de Prepositis, & Decanis.
 63. Clericorum inferiorum prerogativa inter se.
 64. Ordinum Regularium inter se prerogativa.
 65. Præcedentiarum lites inter personas Ecclesiasticas componit Episcopus.
17. Post Episcopos in Curia Romana dignitati proximi sunt Prothonotarii Apostolici participantes, a proto græcè; id est, primus latine. Unde & S. Stephanus Protho-Martyr dicitur. Creduntur primitus à Clemente I. ad conscribenda SS. Martyrum gesta instituti.

Dico autem *participantes* in isto gradu constitutos, qui scilicet actu servant, à Roma expediunt Bullas Ecclesiarum & Monasteriorum. Horum Collegium olim ex 7. constituitur, hodiè verò per Sixtum V. in Bulla *Romanus Pontifex.* ad 12. multiplicatum est. Idemque Pontifex in alia Bulla, quæ incipit: *Laudabilis.* diversis privilegiis hos Prothonotarios honoravit, ut privilegio creandi Doctores, & Notarii publicos, legitimandi spurios, testandi in bonis Ecclesiasticis, exemptionis, plenæ præcedentiæ; & pluribus aliis.

Alii autem sunt *Prothonotarii non participantes*, sive honorarii, & titulares, quibus non competit tanta prerogativa ut alios Prælatos; præferuntur tamen Clericis inferioribus specialem prælaturam dignitatem non habentibus. Conceditur quoque ipsis facultas deferendi aliquem habitum Prælatorum, gestandi rochetum & mantellum tam nigri coloris, quam violacei, utendi pileo superius insigni gentilitiis; & censentur etiam in aliquo dignitate, ita ut *jux. c. statutum de Rescriptis. in 6. causæ* Papales delegari possint. Subsunt tamen jurisdictioni Episcopi, saltem in Sedis Apostolicæ Delegati. Trid. *sess. 24. de Reformatione. cap. 11.* Neque etiam possunt in annulo in missa; nec paramenta sumere de altari, sed in sacristia; nec benedictiones paramentorum facere, vel in cæremoniis Abbatum & Prælatorum propriis uti. Videatur Cassaneus in *Carthago glorie mundi. part. 4. consideratione. 29. Barb. Jur. Eccles. univ. lib. 1. cap. 23. ubi num. 37.* docet Prothonotariorum participantium, sed ad instar vel à Legatis creati, esse reservata per Extravag. *ad Regimen. 13. de Præbendis. & dignitat. inter Comm. & Reg. 1. Canon. summa.*

firmisque ex variis Rotæ decisionibus. Verimaciter d. Extravag. generaliter nominet *Notarios Sedis Apostolicæ*? Quia tamen verbi sumenda sunt cum effectu. *c. relatum. 4. de Cler. non r. fid. &* in propria significatione, præsertim in tali materia, quæ facultates Ordinariorum circa collationem beneficiorum restringit; Prothonotarij autem titulares non participantes non videantur. rothonotarij cum effectu, cum officium non gerant, dubio, utrum tam larga d. *Extravag.* interpretatio ubique recepta sit. Usus locorum hæc in re attendendus erit.

De Vicario Episcopi.

60 **V**icario Episcopi tanquam principali ejusdem ministro de jure debetur præcedentiam ante omnes alios Canonicos & Clericos etiam in dignitate constitutos, notat Nav. *Consilio 1. hoc tit.* Consuetudo tamen in variis locis invaluit, ut Canonici Cathedralis Ecclesiæ Vicarium præcedant; vel certè, si ipse quoque Canonicus sit, propter hoc officium specialem præcedentiam non habeat, eamque consuetudinem valere defendit Navar. *d. l. consequenter etiam dicendum*, quòd Abbates in his locis & casibus, in quibus juxta mox dicenda præcedunt Canonicos, præcedant quoque Vicarium, secundum vulgatum axioma: *si vinco vincentem te, multo magis vinco te.* præsertim verò Vicarius *foravens* non potest talem præcedentiam prætere, cum non dicatur propriè in dignitate constitutus *Clem. 2. de Rescriptis.*

Cætera, quæ ad officium Vicarii pertinent, supra speciali *Titulo 28.* tradita sunt.

De Capitulo Cathedralis Ecclesiæ.

Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, quia unum corpus cum Episcopo constituit, eoque mortuo in Episcopalem jurisdictionem succedit, reliquis Ordinibus & Statibus Ecclesiasticis inferioribus supereminet, nisi quidam inferiores Prælati ex privilegio vel præscriptione anteponantur; sed hoc si Capitulum sit collegialiter congregatum; singulis verò & separatis Canonicis ratione dignitatis & muneris pastoralis præferuntur Abbates & Præpositi, ut mox dicam. Alia quæ ad potestatem & jura Capitulorum pertinent in *Lib. III. tit. 9. c. 2. seqq.* explicabuntur.

De Abbatibus, Præpositis, & Decanis.

Abbates propter jurisdictionem ordinariam, quam habent in suos subditos, & usum Pontificalium, cum multum cleventur super cæteros Presbyteros & Clericos, & valde propè ad Episcopos accedant, præferuntur cæteris Clericis etiam in dignitatibus sæcularibus inferioribus ab Episcopo constitutis, & ipsis quoque Cathedralium Ecclesiarum Canonicis, si singulariter & non, ut paulò ante dictum, collegialiter sive capitulariter incedant, Pan. & Dec. in *c. decernimus. 2. de Jud. Cassan. in Cathal. glorie mundi. p. 4. consid. 32. Nav. hoc tit. Cons. 4. n. 4.* Inter ipsos autem Abbates præferuntur Exempti non exemptis, & habentes insignia pontificalia mitram & baculum illa non habentibus. *c. ex ore. 17. de Privilegiis.*

Inter pares præcedunt prius ad Abbates promoti, sicut inter pares Episcopos de jure (nisi consuetudo aliud introduxerit) præcedere debet, qui prius in Episcopum ordinatus est, tametsi Ecclesia postea

Dd 2

pro-

promoti dignior sit Barb. ad Conc. Trid. s. ff. 25. de Regularibus. c. 13. n. 2. Huc pertinent ea, quæ de jurisdictione aliisque Abbatum juribus tradidi in Libello de Privilegiis Monasteriorum; Interim ubi casus evenierit, recurrendum erit ad Tamburinum, qui insignes Tractatus de Jure Abbatum, & Abbatissarum conscripsit.

Porro quod de Abbatibus dicitur, etiam intelligendum est de Præpositis Regularium Ecclesiarum, qui Abbatum loco habentur.

Præpositi quoque Ecclesiarum secularium & Collegatarum habent dignitatem & jurisdictionem in illos, qui sunt de illâ Ecclesiâ. Barb. Jur. Eccles. univ. Lib. 1. cap. 28. num. 19. docet tamen Panorm. in c. si quis contra. 4. in 2. repet. n. 50. de Foro comp. post. Innoc. in cap. 3. num. 5. & cap. 7. num. 2. de Offic. Ord. quod cum Prælati secularium Ecclesiarum concurrentem Jurisdictionem habeat Episcopus, nisi jure speciali vel consuetudine talis Prælati haberet jurisdictionem generalem sicut Abbas. Pan. in c. nec pro defectu. 41. sub n. 5. de Elect.

De Decanis vid. Barb. d. l. c. 26. ubi dicit eos de jure communi non habere propriam dictam jurisdictionem, sed sæpius ex consuetudine locorum. Videantur etiam, quæ dicuntur ad Tit. de Offic. Archiepiscoporum.

De Inferioribus Clericis & Religiosis.

63 Inter Clericos seculares, qui sunt inferioris gradus, illi præferuntur, qui vel dignitate & officio, aut sacro ordine reliquis majores sunt. Idem judicium esto de Regularibus Ordines Clericales habentibus. Imò dignitas ordinantis aliquando honorem præ cæteris confert ordinato, ut in

c. per tuas. 7. h. t. dicitur, decens esse, Episcopus illis Clericis inter alios suos subditos honorem deferat, quos ipse S. Pontifex collatione ordinis honoravit. Canonico quoque Cathedralium Ecclesiarum, non tantum si Collegiati Capitulum confiterentur, sed etiam ut singuli reliquis Clericis anteponuntur, & in speciali honore sumantur, ita ut eis causæ per sedem Apostolicam delegari possint, quod non fit inferioribus Clericis. c. statutum. 11. de Rescriptis. n. 6. de quibus plura in L. III. in Tit. de Clericis non resid.

Circa præcedentiam Ordinibus Regularium competentem plures observationes ponuntur à Doëtoribus, ita ut una Religio dicatur excellentior & dignior altera ratione finis, secundum quem multorum publico præstantior habetur Religio, quæ ordinatur ad prædicandum & docendum, quam quæ in sola contemplatione quiescit: quamvis prædicare & docere sit actus virtutis activæ, procedit tamen ex plenitudine contemplationis. Et facit illud Evangelium: qui fecerit & docuerit, magnus vocabitur. Item excellentia Religionis aliquando judicatur à dignitate ejus, qui instituit, & etiam à pluralitate Religiosorum, qui sub aliquâ Regula, vel in aliquo Monasterio vivunt. Maxime autem in ordine ad præcedentiam consideratur Religiosorum antiquitas, & prior à sede Apostolica approbatio, ut videre est apud Cassanum. s. p. d. p. 4. consideratione. 52. & sequenti. Mendicantes quoque debere dare præcedentiam Ordinibus non mendicantibus, et decisione Congregationis Rituum referunt Barb. de Officio Episcopi alleg. 78. n. 37. in fine. Specialiter circa præcedentiam Ordinum mendicantium inter se, & etiam Congregationum Laicorum in processibus extat declaratio Greg. XIII. quam referunt

Quarta: in *Summa Bullarii. in verbo. Præcedentia.* quod videlicet illi præcedere debeant, qui sunt in quali possessione juris præcedendi, (possessio enim & consuetudo in materia præcedentiarum plurimum attenditur) quod si nulla possessio probari possit, tunc ex Ordinibus mendicantium prærogativam habent, qui prius in illo loco monasterium obtinuerunt: ex Confraternibus vero præcedunt illæ, quæ prius sacris uiræ sunt, vel in loco erectæ.

65 Ex constitutione Concil. Trid. *sess. 25. de Regularibus cap. 13.* Episcopus, potest & debet controversias omnes, quæ sæpe oriuntur, cum scandalo inter Ecclesiasticas personas tam Sæculares, quàm Regulares, tam in processibus publicis, quàm in aliis actibus amotæ omni appellatione & non obstantibus quibusque componere. Videatur Barb. *d. alleg. 78. n. 27.*

§. VII.

De Obedientia.

SUMMARIUM.

- 66 Obedientia debetur Superiori, etiam cum dubitatur de iusto mandato.
67 Non autem si constet esse iniustum.
68 Obedientiam in dubio præstandam esse limitatur.
69 Obedientia non debetur Superiori ultra terminos sui iurisdictionis præcipientis.
70 Obedire qualiter debeat, qui plures habet Superiores iustal præcipientes.

PRO coronide hujus tituli, qui de *Majoritate & Obedientia* inscribitur, breviter aliquid notandum est circa obedientiam, quam inferiores debent majoribus, quibus subiecti sunt.

66 Generaliter itaque dicendum, quod subditus teneatur obedire suo Superiori non tantum cum iusta præcipit, quod certum, sed etiam cum dubium, quia in dubio præsumi debet pro superiore, qui est in posses-

sione imperandi & præcipiendi. Et quamvis nemo cum dubio practico agere possit, teneatur tamen subditus tale dubium practicum in materia obedientiæ deponere, ita docent Molina de *Justitia & iure. Tom. 1. tract. 2. d. 113.* quod subditi & milites conducti dubitantes de iustitiâ belli, ad quod ex præcepto domini & ducis vocantur, possint fumere arma, & pugnare.

Verum si certò conitaret, injustum esse, 67 vel peccatum etiam tantum veniale, vel in damnum proximi injustum cessurum, quod mandat superior, ipsi obediendum haud foret; tunc enim haberet locum illud *Actorum 5. vers. 29. obedire oportet DEO magis, quam hominibus,* & *cap. inquisitionis. 44. de Sententia excommunicati.* Deinde quoque alijs modis prædictum assertum, quod generaliter & in dubio obediendum sit, limitat Lessius. I. Si subditus non tantum dubitet de materiâ præcepti, an iusta sit, sed de potestate præcipientis, an sit legitimus superior, nisi fuerit in possessione superioritatis & communi exultatione pro tali habitus. *arg. l. si quis ex aliena. s. ff. de Iudicis.* Alias melior erit subditi suam libertatem possidentis conditio. II. Si ex præcepto, de quo dubitatur, an sit iustum, alteri, vel subdito grave imminet damnum, ex non obedientiâ autem nihil mali sequatur. Sed hæc posterior limitatio in materia executionis iudicialiæ exaudienda non erit secundum ea, quæ traduntur per textum difficilem & Interpretes in *cap. pastoralis. 28. §. quia verò. de Officio Deleg.*

Advertendum præterea inferiorem in us 69 tantum teneri obedire suo superiori, in quibus illi subest, ut servus Domino in servilibus, filius Patri in rebus domesticis; miles Duci in rebus bellicis: & ideo, qui plures habet superiores, cuilibet eorum obedire

Dd 3 debet

debet pro modo suae superioritatis, sive in quantum habet potestatem imperandi. Unde quia Papa habet concurrentem & simul superiorem potestatem cum & praeter omnibus inferioribus Praelatis, illi etiam praeter omnibus aliis obtemperandum est.

Archiepiscopus vero, quia tantum certis casibus habet jurisdictionem in subditos Suffraganeorum, isti non aliter ejus mandatis obedire tenentur, quam si in casu sibi permisso praeeperit. Similiter Regularis expositus ad parochiam Episcopo subditam, tenetur Episcopo obedire circa curam animarum administrationem; circa observantiam autem regularem Abbatis mandatum suscipere, & delinquens extra curam animarum non ab Episcopo, sed ab Abbate (nisi Abbas punitionem negligenter omiserit) corrigendus & puniendus est.

Notabile denique est, quod ex Hostiensis docet Sylvester V. *Obedientia. num. 10.* Si Clericus duobus Episcopis ratione Beneficij vel alio respectu promiserit obedientiam, & simul & semel utrique obedire nequeat, possit obedire ei, cui primo promisit obedientiam, vel illi, in cujus Dioecesi percipit majus & utilius Beneficium. *arg. cap. cum in officiis. 7. de Testamentis.* quod si omnia sint paria, locus erit electi-
oni, sive gratificationi, cui obedire maluerit. *L. si quis in gravi. 3. §. si cum omnes. 4. ff. ad S. C. Syllan.* Volunt etiam DD. inter pares potestate Superiores ei obediendum esse, qui praecipit ad nobiliorem finem; sic si pro eodem tempore pater praecipiat filio circa rem domesticam, & dux, ut pro Republica pugnet, magis Duci, quam Patri obedire tenetur: quia publicum privato praefertur.

TITULUS XXXIV. De Treuga & Pace.

SUMMARIUM.

1. Quid Pax & Treuga?
2. Treuga alia conventionalis, alia Canonica.
3. Treuga Canonica usu abrogata.
4. Ad bellum requiritur duplex justitia in genere & in genere cause.
5. Bellum per se licitum, per accidenti potest fieri illicitum.
6. An summus Pontifex possit vel debeat bellum a pacem compellere?
7. Ex causa magna unitatis licet in die festo bellum.
8. Quomodo Principi Christiano liceat infideliter bellum vocare, vel eos bello juvare.
9. Quatenus innocentes occidere liceat in bello, an non eorum diripere?
10. Obsides occidi non possunt, etiam si de ditione non servata nisi ipsi nocentes sint.
11. An & quando oblata satisfactione iusta Princeps teneatur a bello desistere?
12. An & quomodo in tractatu pacis possit Princeps damna subditis illata remittere?
13. Damna Ecclesiis illata sine superiorum Ecclesiarum consensu a Principe Laico remitti non possunt.
14. Pax ex nova belli causa tollitur: secus est in omni.

Hic titulus ea occasione subnecti habet, quod Praelatorum munus in discordantes ad pacem, & concordiam reducere, & ad pacem servandam auxilium praestare. *c. 1. vers. quoniam. hoc tit.* Est autem Pax totalis & perpetua discordia peremptio voluntarie inter litigantes facta. Treuga vero est tantum temporalis cessatio a lite, vel bello, quam alias armistitium vel inducias appellant.

Porro Treuga alia est *Conventionalis*, ex libera voluntate litigantium inita, & alia *Canonica*. Ista auctoritate *c. 1. h. tit.* a quarta feria post occasum solis usque ad secundam feriam in ortum solis, & ab ali-

ventu Domini usque ad octavam Epiphaniae, & a Septuagesima usque post octavam Pasche sub poena excommunicationis ab Episcopo post tertiam monitionem infligende atque ab omnibus debet inviolabiliter observari. Verum hoc *c. i.* sicut & sequens, quod statuit, ut tempore belli personae Ecclesiasticae & rustici, eorumque animata, quibus arant, plena gaudeant securitate, vix non esse receptum. Gloff. & Panibidem affirmant: quis enim hosti nec Pontificia, nec Caesarea statuta curanti legem praebere? quando inter arma silere leges factis experientia testatur. In *c. i. h. r.* statuitur, quod Episcopi sub poena amotionis propriae dignitatis teneantur sibi mutuum consilium & auxilium impendere, ut inter dissidentes tam Clericos, quam Laicos pax firma efficiatur & custodiatur. Coeterum huius tituli occasione de materia belli aliqua notabiles quaestiones occurrunt.

4. Quæritur itaque I. quandonam dicatur bellum iustum, ut illud suscipere, & in eo pugnare liceat? *re.* ad bellum duplicem iustitiam requiri, ut illud suscipere liceat, vel in eo fiant capta captivorum, nimirum iustitiam in genere belli & in genere causæ. In genere belli iustum est, quod geritur a Principibus superiorem non recognoscantibus: interiores enim sine consensu supremi Principis bellum gerere non possunt, nisi contra subditos rebelles, & defensivum ab alijs invasivum. Ita Molina de *F. & J. tract. 2. disp. 10.* In genere causæ iustum est, quod sit ex causa legitima pro persecutione juris vel iniuriae: quod enim inter privatos iudex, hoc inter Principes est gladius. Potest tamen aliquando bellum licitum per se fieri illicitum per accidens, si facile praevideantur damno eventura, quæ longè pluris sint, quam aestimatio rei debitæ. Boni etiam Principes, quamvis superiorem non habeant, so-

lent tamen magis iudicem compromissarium, sive arbitrum aliquem potentem principem vel plures assumere, quam eructo bello jus suum vindicare.

Quæritur II. An Papa possit, aut debeat Principibus bellantibus pacem imperare, & causam discordiæ suâ sententiâ terminare, atque renitentem censuris compescere? *re.* quamvis summus Pontifex per ea, quæ *Tit. preced.* diximus, habeat potestatem causas inter summos Principes vertentes suâ sententiâ terminandi, si ita expediat, vel necessarium sit Ecclesiæ ad evitanda maxima damna, quæ ex litigio & bello in fideles & Ecclesiam redundant, tamen ut id faciat, non tenetur Pontifex, imò plerumque ne faciat, consultius est, teste Molina *d. l. disp. 103. n. 12.* quoniam id occasio esse posset multorum malorum, cum qui damnaretur, facile in periculosum odium S. Pontificis, & Ecclesiæ Romanæ exarsceret; potius proinde expedit, ut tanquam pater & mediator amicabilem pacem & compositionem procurare studeat.

Quæritur III. An Catholicis licitum sit, in die festo bellare, non tantum ex causâ necessitatis, juxta *cap. si nulla. 15. causa. 23. q. 8.* sed etiam commoditatis? *re.* Affirmative: quia lex Ecclesiastica de servando festo non tantum non obligat ob magnum damnum emergens, sed etiam magnum lucrum cessans, *arg. cap. licet. 3. de feriis.* ubi permittitur in die festo captura piscium, qui non nisi certo tempore anni capiuntur.

Quæritur IV. An liceat Principi Christiano infideles in auxilium invocare, vel eos in bello juvare? *re.* Si bellum geratur contra alios infideles, communiter conveniunt DD. quod liceat auxilio infidelium uti, aut iisdem subministrare, dummodo tale auxilium Christianis per accidens ob-

per-

peruersionem, vel alias circumstantias periculosum non sit, & magna sublit causa, ex qua lex Canonica prohibens conuersationem cum infidelibus, *cap. 5. de Iudeis & Saracenis*, cesset tantisper obligare. Sed quid si Princeps Christianus bellum gerat contra alium Principem Christianum? Generaliter id licitum esse per se spectando aduocare infideles in subsidium, sicut licitum est conducere milites pro defensione sui ac rerum suarum, & sic quasi instrumento iustæ defensionis eorum operâ uti, docet Molina *d. loco disp. 102.* dummodo malæ & periculose circumstantiæ absint, scilicet corruptio morum; aut fidei Christianæ, vel abductio Christianorum in captiuitatem infidelium.

9 *Queritur V.* An in bello iusto liceat occidere, vel spoliare innocentes? *¶* Innocentes per se & directè occidere nunquam licet, quia intrinsecè malum est, iuxta illud *Exod. 23. v. 7. iustum non occides*, indirectè verò, & per accidens quandoque licet, quatenus victoria aliter obtineri non potest, quàm v. g. per subuersionem ciuitatis, aut subuersionem navis, in qua nocentes cum innocentibus pereunt, concessio enim sine principali, conceduntur omnia ad illum finem obtinendum necessaria. Cæterum verò, si innocentes non dantes causam belli veluti infantes, famina, Ecclesiastici seruari possint citra victoriæ dispendium, nequeunt salvâ iustitiâ occidi.

¶ II. Idem, quod de vita, fermè esse iudicium de bonis innocentium, ut devastari vel diripi possint secundum belli indigentiam, & ne hostibus prosint ad impugnationem, vel iniustam defensionem; item etiam si innocentes sint partes & membra Reipublicæ, cui pro debito bellum inferitur, eorum bona capi possunt iuxta quantitatem debiti.

¶ III. Obsides dati, si fides ex parte dantis non fuerit servata, occidi non possunt si sint innocentes in causa belli, sed capiuntur tantum, & (si fuerint infideles) seruari subijci, secus verò si fuerint & ipsi noctent. & culpa morte digna extiterit. *Covarr. Relección cap. pacium. §. 3. parte 2.* adnotari potest, promissiones & pacta etiam hosti seruanda, quia iure naturæ & gentium obligant.

Queritur VI. An Princeps teneatur desistere à bello, & acceptare iustam satisfactionem, si ea ab Adversariis offeratur. Multi Doctores distinguunt, an oblatio satisfactionis fiat ante vel post bellum inceptum; si ante, plerisque placet, teneri Principem ad acceptationem, dummodo non sit periculum, ne hostis fraudulenter id faciat, & ex postfacto acceptâ meliori occasione perturbet pacem. Quod si verò post bellum jam inceptum satis offeratur, non est eadem omnium sententia, an acceptanda sit necesse. Cajetanus *in verbo bellum* putat non esse necessariò acceptandam satisfactionem, in quòd Princeps bellum gerens fungatur iudicis injuriam uicidentis, iudex autem non teneatur acceptâ causâ desistere à punitione rei, quamvis satisfactionem offerat pro delicto. Contrarium tamen probabilius tenet Molina *dicto loco disp. 102. n. 31.* si modo digna satisfactio offeratur: quia dignam satisfactionem tollitur injuria & delictio, iuxta *princip. Institut. Quibus modis tollitur obligatio.* sublatâ autem injuria & actione non est amplius belli causa. Instantia quoque de iudice non est certâ; deinde longè diuersa est ratio inter punitionem unius particularis personæ, & illationem belli: quia in priori casu solus patiens reus sine præiudicio punientium, sed quando inferitur bellum, non tantum patitur hostes, sed etiam illi, qui contra eos bellum gerunt.

gerunt. Unde Princeps saltem propter hoc, si non propter hostes satisfactionem debet acceptare. Si vero injuria sic tam atroci, ut adversarius, vel saltem plures de ipsius subditis fuerint mortem promeriti, quia forsitan Principem, patrem, fratrem, aliumve propinquum contra jus fasque occiderunt, eo casu putant Doctores, non tenent offensum de altere à bello; nisi satisfactio illa offeratur, quæ de summo iustitiæ rigore debetur, ut scilicet præter compensationem interesse totius, etiam traditio ad mortem fiat nocentium. Verùm & hoc punctum ex æquitate, & pio arbitrio boni Principis temperandum est, & habenda ratio maximorum damnorum ex bello provenientium, & ne contra admonitionem S. Augustini, *can. quid culpatur. 4. caus. 23. q. 1.* in bello nimia ulciscendi cupiditas, & animus implacabilis interveniat.

32 *Quæritur VII.* An in tractatu pacis Princeps remittere possit damna subditis illata sine ipsorum consensu? Resp. satis convenire Doctores, quòd imprimis, si Princeps contra voluntatem suorum subditorum bellum injustum inchoaverit, teneatur subditis propter damna illata etiam de suo satisfacere; si autem bellum iustum fuerit, debeat quidem omni modo laborare, ut damna subditis compensentur (nomine autem damnorum tantum intellige devastationes, non verò impensas) si tamen pax aliter haberi non possit, quam remissis damnis, & Republicæ multum interesset, pacem initi, poterit Princeps etiam invitis subditis eam remissionem facere; partim quòd Princeps censeatur utile negotium subditorum gerere, ut ab ulterioribus belli gravaminibus subleventur, partim etiam, quòd Princeps habeat jus in bona subdito-

Engel in DECRET. LIB. I.

rum, quoties id publica utilitas, quæ privatæ anteponenda est, postulabit. Eandem verò remissionem quoad Ecclesias, & damna illis illata sine Superiorum Ecclesiasticorum consensu fieri non posse, utpote de quibus Princeps laicus disponere nequit, docet Myns. *Singular. observat. cent. 4. obs. 9.*

Quæritur ultimò: An non minus treuga, quam pax ex novâ causâ violari possit? Indubitatum est apud omnes, pacem ex novâ belli causâ tolli, & novum bellum indicare licere: quia omnis promissio intelligitur facta rebus sic stantibus & permanentibus, alias per pacificationem daretur alteri libertas novas offensiones impunè inferendi. Inter causas verò novi belli præcipuè numeratur, si pax prius ab Adversario violata sit: nam frangenti fidem fides in eadem re frangitur. Quamvis autem Gail. *de Pace publ. l. 1. cap. 4. num. 46.* idem putet in treugis obtinere, ut & ista ex novâ causâ rumpi possint; Mynsingerus tamen *Singul. obs. cent. 4. obs. 7.* dicit, contrarium in Camera & consuetudine receptum esse, ex eâ differentia ratione, quòd in treugis lapsus temporis præfixi expectari possit, sitque convenientius, ut expectetur, ut omnis violati foederis indecentia apud violatorem sit: quod utique intelligendum est, si periculum non sit tantum, quin moram patiatur. Hactenus de Jure & officio Prælatorum & Judicum Ecclesiasticorum actum est. Ab his antequam ad ipsa judicia fiat transitus, præparatoria iudicii præmittentur, qualia sunt Pacta, Transactiones & Arbitria; nec non Personæ in iudicijs intervenientes, scilicet Advocati, Procuratores, & Syndici, aliaque, quæ ad finem usque hujus libri traduntur.

Ec

TITUS.

TITULUS XXXV.

De Pactis.

§. I.

De Pacto & Pollicitatione, utriusque
differentia & Obligatione.

SUMMARIUM.

1. Pactum quid & qualiter differat à pollicitatione?
2. Pollicitatio absenti facta ei notificata per tertium sine mandato non obligat.
3. Pollicitatio etiam jure Canon. ante alterius acceptationem revocari potest.
4. Excipiuntur pie & favorabiles cause.
5. An pollicente ante alterius acceptationem mortuo obligetur heres ejus?
6. Quid in casu converso? si is, cui facta est pollicitatio, pramortuatur, an possit heres ejus acceptare invito promissore?

Pactum definit JC. in l. 1. ff. h. t. quòd sit duorum vel plurium in idem placitum vel consensus. Per hæc definitionis verba notatur differentia inter pactum & pollicitationem, quòd pactum sit duorum in idem consensus, pollicitatio autem solius offerentis promissio. l. 3. ff. de Pollicitationibus. In effectu quoque non parum interest: quia pactum simul ac perfectum est, statim Juræ naturæ obligat, nihil enim tam fidei humana congruit, ait JC. cit. l. quàm ea, quæ inter eos placuerunt, servare; Pollicitatio verò non prius obligat promittentem, quàm si ab altera parte fuerit acceptata, ideoque promittenti ante acceptationem poenitere, & pollicitationem revocare licebit. l. 2. §. sed si quis donaturus. 6. & l. absenti 10. de Donat. l. nuda pollicitatione. 5. C. de Contrahenda stipulatione.

Præterea ut pollicitatio absenti facta ir-

revocabiliter obliget, non sufficit, quòd alius quicumque audiens absenti notificaverit, isque acceptaverit, sed requiritur ut ipse promittens per nuntium à se destinatum, vel epistolam promissionem absenti innotuerit; ut enim pollicitatio obliget irrevocabiliter, debet induere formam pacti, quæ fit per voluntatum unionem; non uniuntur autem perfectè duorum voluntates, nisi promittens ipse per se, vel per alium à se destinatum suam voluntatem absenti notificet. Sanch. de Matrim. lib. 1. disp. 6. num. 3. Julius Clarus §. donat. q. 12. num. 2.

Videtur quidem Panor. in c. 3. h. t. r. le, universim de jure Canonico non potestatem revocandi pollicitationem propter textum in eodem cap. 3. ubi omni promissum jubetur impleri. Sed verius est nihil hac in parte de Jure Canonico mutatum fuisse, & ad concordationem Juris dictum cap. 3. accipi debere de promissione completa, & accepta, sicut regulariter verba legum accipienda sunt cum effectu. L. 1. §. hæc autem verba. ff. Quod quæque juris in &c. Nec fuisset sufficiens ratio à Jure Canonico contrarium statueretur, quia æquitas, quam Jus Canonicum considerare potuisset, ideo non subest, quòd pollicitatio ex se non producat naturalem obligationem, quæ tantum ex consensu duorum oritur, aliàs ne quidem de Jure Canonico potuisset pollicitationis revocatio concedi, sicut non fuit concessa in pacto nudo; & sic dicit Layman in Theol. mor. lib. 3. Tract. 4. c. 1. omnem promissionem esse respectivam, ejusque vim & obligationem ab alterius partis acceptatione tanquam à forma procedere.

Specialis autem & notabilis limitatio est apud DD. ut pollicitatio (quæ tantum sit vera promissio, non solum propositum

aliquid dandi vel faciendi, & simul etiam fiat ob DEI honorem & salutem animæ, quod in dubio præsumitur) facta Ecclesiæ, pauperibus, vel piæ causæ statim obliget etiam nemine acceptante: quia censetur principaliter fieri Deo, à quo, si sit bona, admittit voti statim acceptatur. Et si de Jure Civili pollicitatio facta civitati vel Reipublice ex aliquâ causâ, puta ad reparationem incendiij, aut ruinæ, vel gratitudine ob honorem sibi decretum, aut decernendum, statim irrevocabiliter obligat. *l. 1. & passim. ff. de Pollicitationibus*; planè simile erit iudicium de pollicitatione facta Ecclesiæ, aut alteri piæ causæ ex causâ salutis acquirendæ, vel in illius piæ causæ subsidium & emolumentum; eum à Republica, & Civitate ad Ecclesiâs & piâs causas bona sit argumentatio in favorabilibus secundum Falconem & Doctores in *l. pen. C. de SS. Ecclesiis*. Felinus in *cap. 1. h. t. Barbosa Jur. Ecclesiæ. univ. lib. 2. cap. 13. num. 29.*

Quid dicendum, si pollicitationem absentis per nuntium faciens moriatur, antequam absens de eâ certioretur & acceptet; anne eam nihilominus post mortem promittentis acceptare poterit? Si quis Procuratori mandavit, ut absentis Principalis nomine donaret, omnes facillè conveniunt, post mortem donari, vel acceptari non posse; quia mandatum morte mandantis re integra regulariter expirat, *l. siquidem. 8. C. de Obligationibus. l. mandatum. 15. C. Mandati*. Excipiuntur tamen piæ causæ testum, in quarum favorem mandatum etiam post mortem mandantis sustinetur, argumento ducto à dote & libertate *l. si ego. 9. §. 1. ff. de Jure dot. l. si Pater. 4. ff. de Manumiss. vind. Covar. Var. Resol. lib. 1. cap. 14. num. 16.* Item si quis tantum voluntatem suam declaravit, nullum verò adhuc nuntium ad insinuandum miserit, post

mortem ejus ab aliis insinuari vel acceptari non potest per ea, quæ superius dicta sunt.

Tota igitur & difficilis controversia est, si quis actualem promissionem, seu circa donationem, venditionem, locationem, feudum aliûmve contractum per literas aut nuntium absentis insinuari defacto curavit, sed antequam acceptavit absens, promissor mortuus fuerit? Nihilominus acceptari promissionem, nec ab hærede promittentis revocari posse docet Sanch. *d. disp. 6. sub. n. 5.* eò quòd hæc promissio vel donatio ex parte promittentis jam fuerit in vita perfecta, *arg. nec ambigi. 6. C. de Donationibus*, ejusque voluntas in literis & nuntio etiam post mortem perduret, ut acceptari rectè valeat, ad eum modum, quo gratiæ morte concedentis non expirant. *c. si super gratia. 9. de Offi. Delegati in 6.*

Verùm hanc sententiam licet ob auctoritatem & rationes Sanch. exillimem valde probabilem, contrariam tamen censo in theoria probabiliorem, & textibus Juris ac rationi magis conformem, quam tenet Andr. de Isernia, Tyraquellus, Decius, Cassanæus, & alii apud Sanch. *d. l. citati. Paulus Layman in Theol. mor. de Pactis & Contractibus c. 1. n. 5.* ubi dicit magis communem. Textus est in primis in *l. 2. §. si quis donaturus. 6. ff. de Donationibus*. qui non loquitur de mandato donandi, sed perferendi ad absentem; & quamvis JC. utatur verba futuri temporis, *si quis donaturus*, id tamen accipiendum, vel ut donatio sumatur pro traditione rei donatæ, vel ut significetur, donationem ante alterius acceptationem perfectam non esse. Deinde etiam optime confirmat textus in *l. si ego. 9. ff. de Jure dotum*. ubi tantum fit exceptio favore dotis, consequenter exceptio ista firmat regulam in casibus

Ee 2

non

non exceptus. *l. qui testamento. 20. §. mulier 6. ff. Qui testamenta facere poss.* In qual. *si ego.* etiam pulchra ratio assignatur: quia in vita promittentis promissio non fuit perfecta, utpote pro forma & sub tacita conditione alterius acceptationem requirens; post mortem autem promittentis dominium rei promissæ aut donatæ statim transit ad promittentis heredem, à quo invito discedere non posse fatendum est, ait ibid. JC. Accedit alia ratio, quòd regulariter circa actus inter vivos, qui in conservari dependent à voluntatis continuacione, per mortem interrumpatur voluntas. *cap. si gratiose. §. de Rescriptis. in 6. l. 4. ff. Locati.* & proinde post mortem promittentis duorum voluntates amplius non uniantur, debet enim unus in sua voluntate continuare & perdurare, usque dum etiam alter consentiat.

Non obstat dicta *l. nec ambigi. C. de Donationibus*: quia ibi non dicitur, donationem esse perfectam ante alterius acceptationem, sed inter absentes fieri posse.

Nec etiam obstat dict. *cap. si super gratia*; quia accipi debet de privilegio aut gratiâ Principis, quæ non transit propriè in naturam pacti vel contractûs. Denique non obstat, quòd hæres representet personam defuncti, ejusque factum præstare debeat: nam id regulariter de actibus & obligationibus in vitâ defuncti perfectis & completis procedit.

6. E converso si donatarius, vel is, cui pollicitatio facta est, ante acceptationem moriatur, num hæres ejus acceptare possit, iterum diversæ sunt Doctorum opiniones apud Sanch. *cit. loc. num. 6.* ubi ipse affirmativam amplectitur: quòd hæres defuncti personam representet. Nihilominus negativa mihi probabilior videtur, quòd hæres invito promissore pollicitationem ac-

ceptare nequeat; deficit enim unio perfectæ & directæ voluntatum inter principales personas, & cum in vita defuncti ante certationem & acceptationem nullum fuerit jus quæsitum, nullum etiam potuit in heredem transferre, neque promissor eo semper animi est, ut quod defuncto, id hæredi offerre vellet, cujus personam heredes exosam habet. Quando verò obligatio in vita defuncti completa fuit, hæres non immediate à promissore, sed à defuncto requirit. Ad rationem in contrarium, & qualiter hæres defuncti personam representans paulò ante responsum.

§. II.

De Pacto nudo, & vestito.

SUMMARIUM.

7. Pactum nudum & vestitum quid?
8. Pacta qualiter vestiantur?
9. Pacta nuda dam exceptionem, non verò adferunt.
10. Quid de jure Canonico?

Redeundo ad Rubricam nostri Tituli, observandum est, pactum in genere significare omnem conventionem duorum, & dividi in pactum nudum & vestitum. Pactum nudum dicitur, quod non habet proprium Juris nomen, & obligationis causam præter solam conventionem, ita ut, si qua interrogetur, quid sit inter partes actum, nihil aliud possit dicere specialius, quam conventionem & conventionem esse factam, ut describit Duarenus *in l. 7. §. 4. ff. hoc. tit. de pactis vestitis* in Jure quidem mentio non fit, sed quia in *d. l. 7.* nudam pactiorem vocat JC. quæ causam non habet, idè interpretes ad distinctionem pactum cum causa vestitum appellant, idque magis proprio nomine *Synallagma*, vel *Contractus* dicitur *d. l. 7. §. 1.*

Vestiantur autem pacta ab auctoritate Juris pactum approbantis, ex eoque actio-

nem concedentis, quod aliquando rei, de qua pactum est, *actuale* interventionem tanquam causam respicit: ut in Mutuo, Commodato, Deposito, & Pignore, & in Contractibus innominatis. (Dicto *actuale* interventionem; unde pactum de mutando vel commodando ante rei traditionem est tantum pactum nudum.) Aliquando *solemnitatem verborum*, ut in Stipulatione; aliquando nihil præter *consensum*, ut in Emptione, Locatione, Societate & Mandato, item & Donatione, quæ hodie quoque actionem parit. ex *l. si quis argensum*, 35. *C. de Donationibus*; aliquando *adherentiam cum pacto vestito*, sicut omnia pacta nuda, quæ in continententi apponuntur contractibus bonæ fidei, censentur ipsi contractibus inesse, & produciunt actionem *dicitur* l. 7. §. 5. *l. in bona fidei*, 13. *C. eod.* quod etiam obtinere in contractibus stricti Juris ex *l. lecta* 4. ff. *de Rebus creditis*, descendit Fachin. 2. *Controvers.* c. 99. & denum per *juramentum* vestiri pactum, & parere actionem probat Covar. in *Relict.* c. *quamvis*, de *Pact.* in 6. parte 1. §. 2. n. 3. & 4. Molina de *I. & Tract.* 2. disp. 256. præsertim secundum Jus Canonicum, quod omne juramentum non vi, aut fraude extortum, & quod sine dispendio salutis servari potest, in utroque foro servari jubet. *cap. cum contingat*, 28. *de Jur. jurando*. Qualiter vero vocetur hæc actio vide infra in *Lib. III. in Tit. de Precariis* num. 7.

9 Pacta autem *nuda* Jura non approbant, nec iis actionem accommodant, ne cum sunt frequentissima, occasione illorum tribuenda litibus abundent; quia tamen etiam non reprobant, idcirco ex pacto *nudo* non quidem actio, sed naturalis obligatio propter consensum mutuum Jure naturæ & gentium etiam in foro interno stringentem, & inde exceptio nascitur. l. 7. §. 4. ff. *h. t.*

impedit soluti repetitionem. l. *ex quibus*, 51. *l. si quid Dominus*, 64. ff. *de Conditione indebiti*, admittit compensationem. l. 6. ff. *de Compensationibus*. Fidejussores etiam & pignora accedere possunt, contra quos, & pro quibus dein actio vera competit. §. 1. *insti. de Fidejussoribus*, l. *questum*, 14. in *fin. ff. de Pignoribus & hypoth.*

Vulgaris est *disputatio*, an pacta nuda de Jure Canon. producant actionem? Negativam tuetur Fachin. *Lib. 2. Controv.* cap. 100. eod quod sine textu expresso inter Jus Canon. & Civile non fit differentia statuenda. *cap. 1. de Novi op. nunc.* & ratio minuendarum litium utroque Jure subsit. *arg. cap. finem litibus*, 5. *de Dolo & contum.* Affirmativa sententia magis inter Canonistas recepta est, eamque docent Gloss. Panorm. Felinus & alij in *c. 1. h. t.* Covar. *d. l. p. 2. & §. 4. n. 14.* Molina *d. Tract.* 2. disp. 257. n. 2. Ratio est, quod in *c. 1. & 2. h. t.* omnia pacta servari jubeantur, & consequenter approbentur, & vestiantur. Sed quia hæc ratio planè convincens non est, cum in Jure Civili in *l. 1. ff. eod.* pacta generaliter servari jubeantur, & tamen ex pacto nudo denegetur actio, idè additur alia ratio magis urgens, quod nimirum pactum nudum circa materiam gravem & notabilem obliget in conscientia sub peccato propter consentum Jure naturæ obstringentem, Ecclesia autem & Jus Canonicum salutem civium principaliter pro fine habens de peccato iudicium suum interponit, *cap. novit*, 13. *de Judiciis*. & consequenter actionem pro tali iudicio exercendo concedit. Advertunt tamen citati Doctores, ut quis ex pacto nudo agere possit, non sufficere simpliciter allegare certæ rei promissionem, sed insuper causam ejus saltem donationis & liberationis exprimendam, & probandam esse *arg. cap. si cautio*, 14. *de Fide instrumento*.
Ec 3 tum.

rum. l. cum de indebito. 25. §. ult. ff. de Probat. l. generaliter. 13. C. de non numerata pecunia. Si dicit pactum cum causa vocari *synallagma* & *contractum*, atque ex se producere actionem, ut præmissum: Respondeo, id de causa intelligi actualiter executioni mandata, ut in mutuo per numerationem pecuniæ, vel alias habente Juris assistentiam.

Ad rationes Fachinæ reponi potest, & quidem ad primam, quod differentia inter Jus utrumque circa judicium ex causa obligata conscientia diversis textibus Juris Canon. probetur, ut in d. cap. novit. 13. de Judic. cap. ult. de Sepult. c. in literis. §. de Raptor. Ad alteram, quod Jus Canon. non tam studeat alicui actionem & jus suum adimere, quam litium ambages, protractiones & superfluas solennitates amputare, sicut probat text. in d. cap. finem litibus. & Clem. 2. de Judic. Clem. sape 2. de V. S.

§. III.

De Contractibus nominatis, & innominatis.

SUMMARIUM.

11. Contractus alij nominati, alij innominati.
12. In Contractibus innominatis quando liceat penitere?
13. An etiam huic penitentia sit locus de Jure Canonico?

11 **P**orro pacta *vestita*, sive Contractus dividuntur in Contractus *nominatos* & *innominatos*. *Nominati* sunt, qui speciale nomen à Jure fortuntur, ut Emptio, Locatio & similes. *Innominati*, quos Jus non speciali sed generali tantum nomine ob nimiam negotiorum multitudinem, & varietatem notavit, & ad quatuor classes revocavit: scilicet *Do ut des*, *Facio ut facias*, *Do ut facias*, *Facio ut des*.

His contractibus hoc tribuitur de Jure Civili singulare, quod re intergrâ penitere & à contractu discedere liceat; imò eum re non integrâ illi, qui contractum ex sua parte implevit, antequam alter impleat, e.g. si dederò alicui 100. ut pro me Romam iret, possum penitere, antequam iret, refusus tamen expensis, si quas intuitu hujus itineris fecerit, l. si pecuniam §. ff. de Conditione causâ datâ. l. ex placito. 3. C. de Rer. permut.

In contractibus autem *nominatis* regulariter penitentia locus non est. & ab initio quidem sunt voluntatis, postea vero sunt necessitatis l. sicut §. C. de Oblig. & act. excepto Mandato, Deposito, & Precario, de quibus suis locis.

Sed & in contractibus *innominatis* quas exceptiones ponunt Doctores. I. l. quod re ex parte unius non amplius integrâ, et tantum, qui deicit, non autem, accepit, penitere liceat: quia huic non tam æquè favendum, cum rem semel acceptam ab altero, ideoque actione *prescriptis verbis* cogi possit ad contractum implendum. Textus in dicit. l. si pecuniam & ibi Glossa in Verbo. sed cum liceat penitere. Petrus Wadingus in Tractatu de Contractibus disp. 6. dub. 1. §. 2. n. 2. II. Favore præcursæ multorum est sententia apud Tyracolum. de Privilegiis pie cause, privilegium 134. non concedi penitentiam, sicut præ favore dotis, vel libertatis, & sequitur etiam Gottofredus in Notis ad d. l. si pecuniam. III. Si contractus fuerit juratus, vel alias penitentia renuntiatum. IV. Si contractus innominatus fuerit transactio suppelite dubia: expedit enim lites finire. Wadingus dicto loc. cum Jafone ad d. l. si pecuniam n. 2. limit. 12. apud quem plures alia limitationes videri poterunt, sicut & apud Gottofredum & Jafonem.

§. IV.

De Substantialibus, Naturalibus, Solennibus, & Accidentalibus Contractuum. Item de Stipulatione tertio facta.

SUMMARIÆ.

14. Contractuum substantialia, naturalia, solennia, & accidentalia que dicantur.
 15. Stipulatio tertio facta de jure civili est inutilis.
 16. Quid de jure Canonico?
 17. Stipulari tertio cur non liceat, cum tamen liceat tertij conditionem meliorem facere?

Dictum est in precedenti §. penitenti-
 am esse de natura contractuum immo-
 minatorum: Pro cuius meliori intelligen-
 tiâ advertendum est, quod in contractibus
 quedam vocentur à Doctoribus *substancialia*, quedam *naturalia*, quedam *solennia*, & quedam *accidentalialia*. *Substantialia* sunt, quæ formam & essentiam constituunt, sine quibus contractus subsistere non potest, neque ea ex voluntate partium mutabilia sunt. Ita in contractibus & pactis est consensus utriusque; in stipulatione interrogatio unius, & responsio alterius in continenti subsequens.

Naturalia contractuum dicuntur, quæ contractui tacite insunt, licet expressa non sint; & hæc possunt pacto convenientium removeri valido nihilominus manente contractu. Ita venditor ex natura venditionis tenetur emptori de evictione, si res ab aliquo tertio vindicata fuerit. *l. ex empto. ii. §. 1. & 2. ff. de Actionibus empti.* & tamen partes conventionem obligationem evictionis tollere possunt. *d. l. ex empto. §. qui autem. 18.* In contractu depositi lata, in locato levis, & in commodato levissima culpa præstatur, & tamen conveniri potest, ut major vel minor culpa præstetur. *cap. un. de Commodato. l. 1. §. si con-*

13. Moverur hic iterum non levis difficultas, in sicut de Jure Civili, ita etiam de Jure Canonico & in foro conscientie, in contractibus innominatis poenitere liceat? Negative concludit Molina *dicto Tract. 2. d. 23. num. 8.* eo quod contractus innominatus ante impletionem utriusque saltem sit pactum nudum, quod obligat in conscientia, & de Jure Canonico producit actionem.

Felms in *cap. 1. hoc tit. sub num. 13.* existimat, tunc esse licitam poenitentiam de Jure Canonico, si pars altera nolit fidem servare; sed hoc nihil esset speciale in contractibus innominatis: quia generaliter omnes contractus mutuo dissenso dissolvi possunt, nihil enim tam naturale, quam ut res eo modo dissolvatur, quo colligata est, *§. fin. Instit. Quibus modis tollitur obligatio. l. nihil tam naturale. 25. ff. de Regulis Juris.*

Valde probabiliter docent alii apud Felinum *dict. l. Gottofredus, ubi supra*, Wadingus *dict. dubio. 1. §. 3. num. 2.* non esse in hoc puncto differentiam inter Jus Canonicum & Civile constituendam, sed Contractus innominatos ex sua natura, & Juri dispositione habere tacitam conditionem, nisi ante implementum contractus intervenierit poenitentia. Idque mihi videtur ex eo plurimum colligi, quod jura concedant in contractibus innominatis repetitionem rei jam tradite *dict. l. si pecuniarum*: Si enim voluissent simpliciter contractus innominatos regulariter obligare sicut pacta nuda, tunc accipiens, quamvis non habuisset actionem, tamen contra repetitionem habuisset retentionis exceptionem *juxta l. 7. §. 4. ff. hoc tit.*

si convenit. 6. ff. Deposti. atque hoc sensu procedit illud axioma Juris, quod *contractus ex conventionione legem accipiunt. c. contractus. 85. de R. F. in 6.* & hoc modo intelligendum est, quo superius diximus, contractibus innominatis ex sua natura inesse jus poenitentiae.

Solemnia contractuum vocantur, quae de jure requiruntur, ut legitimus contractus censetur; & ex his aliquae *solemnitates* sunt *substantiales*, sive *intrinseca*, sine quibus contractus validus non est: veluti consensus Capituli & Superioris in alienatione rei Ecclesiasticae immobilis; praesentia Parochi; & testium in matrimonio &c. Aliae *extrinseca*, sine quibus actus quidem non licite sed tamen *valide* celebratur, ut trina denuntiatio ante contractum matrimonialem, benedictio nubentium in templo suscipienda.

Accidentaliz demum nuncupantur, quae pactis contrahentium praeter ordinariam eorum naturam adjiciuntur, quomodo superius dictum, pacta contractibus bonae fidei abjecta vestiri, & actionem producere.

Inter *Substantialia* stipulationis requisita (quae sit interrogatione praecedente, eamque responzione congrua in continenti subsequenti, qua respondens interroganti ad aliquid dandum vel faciendum obligatur v. g. promittisne mihi 10. altero respondens promitto. *DD. ad Tit. Instit. de Verb. oblig.*) etiam de Jure Civili numeratur, ut suum quisque ex ea commodum, non alicujus tertij quaerat: alteri enim stipulari nemo potest, inquit Imperator *in §. alteri. 19. §. de Inutil. stipul.* inventae enim sunt hujusmodi stipulationes ad hoc, ut quis acquirat sibi, quod sua interest. Licet igitur dicam ad Cajum, promittisne Titio, vel amico meo 100. & ille respondeat, promitto; non erit utilis stipulatio. Excipi-

pitur tamen nisi stipulator alterius Juris obiectus sit, ut filius vel servus; vel ipse mandatum stipulandi a tertio habeat; aut alias ipsius stipulantis interesse concurreat, aut generalis rei alienae administrator constitut, veluti Tutor, Curator, Praelatus; & denique persona stipulantis sit publica, pater, Judex, vel Notarius. *DD. in §. si quis. d. 4. §. de Inutil. stipulat. l. 1. §. exigere. c. de Magistratibus conveniendis.* Val. Sanch. *de Matrim. lib. 1. disp. 7. n. 4.* & Laym. *in Theol. mor. lib. 3. tract. 4. c. 1. n. 4.* Imò nec Pater filio aliter stipulando acquirere potest, quam in iis, quae juris sui & mediante filio patri acquiruntur; facta autem & quae praecise personam filij concernunt, v. g. ut filio rem tenere, ut liceat, inutiliter stipulari, textus est in *quod dicitur. 130. ff. de Verb. obligat.*

Ex quo denuò *disputant* Doctores, quae hucusque circa stipulationem de Jure Civili dicta sunt, similiter de Jure Canonico procedant, ut etiam hoc Jure alicui stipulari praeter casus exceptos permittatur non sit? Differentiam inter Jus Canonicon & Civile circa hanc materiam admittunt plures apud Covar. *in Relectio. c. quaevis. de Pactis in 6. parte 2. §. 4. n. 2.* quae ex sententia Glossae & Bartholi *in l. 1. §. hoc tit.* stipulatio tertio facta sit pactum nudum, nudum autem pactum de Jure Canonico producere actionem, & stringere conscientiam, jam explicatum est.

Nullam esse differentiam verius censet Panorm. *in cap. si cautio. 14. de Fide instrum.* Jason *in l. stipulatio ista. 38. §. de Veri. 17. ff. de Verb. obl.* eamque sententiam magis communem testatur Covar. *d. 4. n. 5. vers. hanc opinionem.* quamvis *in n. 13.* contrariam teneat. Harp. *ad d. 4. §. quis alii. 4. de Inutil. stipulat. n. 5.* Sanch. *d. l. 1. disp. 7. num. 20.*

Ratio est, cum quod sine textu sufficien-
ti non sit inter jus utrumque diffidium in-
troducendum. *vulgo. c. 1. de Novi operis
manu. tum quod in c. 2. de Usuris in 6.*
sine hac sententia confirmetur, ubi resti-
tutionem usurarum a moribundo usurario
ad obtinendam sepulturam Ecclesiasticam
absentibus debitoribus per usuras laici, vel
eorum heredibus tantum personae publicae
veluti Ordinarius Parochus cum testi-
bus, Notarius stipulari posse dicuntur. Ad
rationem in contrarium responderi potest
per superius dicta, pactum nudum & obli-
gationem naturalem non nisi ex consensu
duorum principalium oriri: principalis au-
tem dicitur is, qui obligat, & alter, cui
obligatur, non autem si tertius, cuius non
interest, nec a principali mandatum habet,
consentiat, & absentis nomine acceptet.
Interim non est improbabile, talem stipu-
lationem valere saltem ut pollicitationem
tertio vel absentis factam, ad hunc effectum,
ut eam ille tertius, cui promissio facta est
praesens vel absens ab ipso pollicente, vel
de ipsius voluntate certioratus acceptare
possit, vel pia causa facta revocari nequeat:
Saneh. de Matrim. d. l. r. d. 7. num. 10.
per regulam, si actus non valet, ut ago,
*valet omni meliori modo, & utile per
inutile non vitatur. arg. §. fin. Insti-
tut. de Adoptionib. ubi adoptio servi valet
in vim manumissionis. Ideoque quod
de Jure Civili dicitur, stipulationem alteri
per alterum factam non valere, intelligen-
dum, non valere ut stipulationem statim
irrevocabilem, ex qua tertio directa actio
queratur.*

In circa pijs causis instes, in d. cap. 2. de
Usuris in 6. agi de pia causa, vide licet de
obtinenda sepultura, & exoneranda concien-
tia usurarii, & tamen ibi requiri accepta-
tionem, vel per ipsos debitores, vel per lo-
ENGEL IN DECRET. LIBER I.

nas publicas. *§. in eod. c. 2.* stipulationem
quidem fieri ex causa pia, sed non cause
piae, ejus loco Deus acceptet, ut superius
dictum de ipsis debitoribus, eorumque ha-
redibus, qui profani sunt, vel supponuntur.

Ex quibus principijs etiam dependet il-
la quaestio, de qua dicitur in *Lib. IV. Tit.
2. §. 2.* an valeant sponsalia, quae cognati
vel amici pro absente sine ejus mandato
contrahunt? Et regulariter non valere re-
spondetur.

Illud etiam hic advertendum, cum dici-
mus stipulantis debere proprium interesse
in stipulatione verari, non intelligi de in-
teresse affectionis, qua erga tertium duci-
tur, vel quoddam vicissim ab eo speret benefi-
cium, sed de interesse praesenti pecuniario,
ut quia creditori meo stipulor solutionem,
vel etiam si in stipulatione tertio facta pe-
nam mihi solvendam adjiciam, nisi promissum
servetur. *Harp. ad d. §. 4. §. de In-
util. stip. n. 12.*

Attamen difficilis adhuc restat obiectio, 17
cur de jure concedatur alterius etiam igno-
rantis conditionem meliorem facere, licet
mea non intersit, pro altero etiam invito
solvere, eique acquirere liberationem. *l.
solvendo. 39. ff. de Negotiis gestis,* posses-
sionem alterius nomine ingredi vel accipere,
& ita possessionem atque etiam dominium
alteri acquirere, *l. 1. C. Per quas personas
nobis acquiratur,* & cur non similiter per
stipulationem? *§. Jura quidem concedere
alterius conditionem meliorem facere,
quatenus id fieri possit sine onere, aut pre-
judicio tertii, ut vero obligatione nova
onerem promissorem ob commodum al-
terius, cum mea nihil intersit, jura non fa-
tis aequitati consentaneum reputarunt, &
contra humanae societatis officium, ex qua
ita debemus unius commodum desiderare,
ne tamen quaeramus alterius danimum & di-
minu-*

Ff min-

minutionem. Si pro alio solvam, non officio, sed proficio Creditori, qui suum exinde consequitur; si possessionem alterius nomine ingrediar vel acceptem, supponitur, rem vel non esse in dominio prioris possessoris, vel jam prius ex aliâ causâ alteri ad tradendam obligatam. Videatur de totâ hac materiâ stipulationis tertio factâ insigniter eam tractans Hugo Donellus in *Commentario ad l. stipulatio ista. 38. §. alteri. 17. ff. de Verborum obligat.*

§. V.

De contractibus bonæ Fidei & stricti Juris.

SUMMARI.

18. Contractus bonæ fidei & stricti juris qui dicantur, & quid in effectu intersit?
19. Dolus dans causam contractui bonæ fidei annullat illum, secus in stricti juris.
20. An contractus de Jure Canonico sint omnes bonæ fidei?

18 DE hac contractuum divisione prolixè & ex instituto agunt Interpretes ad §. *actionum. 28. Instit. de actionibus.* in quo §. omnes contractus & actiones bonæ fidei enumeratæ, & quæ ibi posita non sunt, *stricti Juris* censentur, veluti Mutuum, & Stipulatio &c. & hic *bona fides* non accipitur, prout opponitur *mala fidei*, cum nullus contractus debeat esse *mala fidei*, & fraus ac dolus pactis & conventionibus, quàm maximè adversentur, *l. 1. §. 1. ff. de Dolo malo*, sed prout opponitur *stricto Juri*.

Enimverò in *bona fidei* contractibus, si lis oriatur, judicium fertur ex *bonâ fide*, id est, ad sensum hujus loci, *ex bono & equo*, etiam ultra id, quod in contractu nominatim à partibus expressum est. Dummodò tale sit, quod si contrahentibus in mentem venisset, utique expressissent, §. *conductor*.

§. *Institut. de Locat. & conduct. §. 3. Instit. de Obligationibus ex consensu.* in *stricti Juris* autem contractibus judicantur præcisè de iis, quæ nominatim in contractu expressa sunt. *Leg. quia tamundem. ff. de Negotiis gestis.*

Et ad hanc differentiam generalem addentur aliquo modo reduci posse plura alia, quas DD. accumulunt. Ut quod in *bonæ fidei* judicia veniant fructus, usurae, & accessiones à tempore moræ: in *stricti Juris* autem solum à tempore litis contestatæ. Quod stipulans fundum non consequatur fructus pendentes, nisi eorum mentionem fecerit in stipulatione: sed autem si emerit fundum, cui hoc ipso tempore fructus pendentes cedunt. *l. 3. §. 1. & l. 4. §. 1. ff. de fructibus. 10. ff. de Actionibus empti.* Item quod in *bonæ fidei* judicia veniant etiam ea, quæ sunt moris & consuetudinis in loco, licet à partibus non sint in contractu expressa, secus in contractibus *stricti Juris*, de quibus differentia videri poterit Mynsingerus, Harprechtus, Hottomannus, & alii passim ad *div. actionum*.

Inter ceteras differentias illa est etiam specialiter notanda, quod in contractibus *bonæ fidei* dolus dans causam contractui *bonæ fidei*, (id est, si quis aliquem dolose persuasionem induxerit ad contrahendum, alias non contracturum) faciat contractum nullum. *per text. & Interp. in l. & elegant. 7. ff. de Dolo.* nisi tamen dolo inductus ultrò Juri suo renuntiare, dolum remittere, & contractum ratum habere velit. *arg. l. 4. Cod. de his, quæ vi, metus & causa gesta sunt.* Secus autem est in contractibus *stricti Juris*, ubi solum de dolo temporalis prætoriam datur actio. Dixi, §. *dolus det causam contractui*: nam si quis non inductus, sed aliàs contracturus dolum

paratur (qui *dolus incidens* dicitur) ut
quia v. g. rem vitiosam emit &c. habebit
quidem etiam actionem ad rescindendum
contractum ex *Edicto* edicto, ut inferius
dicemus, sed etiam solum temporalem intra
set menses exercendam, dum e contra, si
contractus sit ipso jure nullus, civilis &
perpetua, scilicet 30. annorum actio com-
parat.

20 Utrum autem de Jure Can. etiam differ-
rentia inter contractus *bonae fidei* & *stricti*
Juris constituenda sit? diversae sunt DD.
opiniones. Ratio dubitandi est, quod hoc
Jure non attentis juris Civilis subtilitatibus
solum ex bono & aequo procedatur. arg.
textus in *cap. sepe. 18. de Restitutio-
ne spolia.* Quod autem aliqui contractus
dicantur *bonae fidei*, & alii *stricti* Juris, sit
solum Juris Civilis subtilitas: eo quod Prae-
tores, qui ob multitudinem causarum non
poterant omnia per se expedire, suis Peda-
neis iudicibus sive delegatis certam formam
procedendi, seu pronunciandi praescripse-
runt, & in quibusdam contractibus usu hu-
mano frequentioribus, & in quibus solent
plerumque multa concurrere, vel ex post-
facto evenire, quae ab initio praevideri, &
una oratione seu conventionione expediri non
possunt, demandarunt liberiores ex bono
& aequo arbitrio cognoscendi, pronuncian-
dique facultatem, in aliis vero strictiorem,
praecise secundum ea, quae nominatim in
contractum deducta essent, testatur Covar.
in *Relictione capituli. Possessor. de Reg.
jur. in 6. p. 2. §. 6. n. 4.* In cujus rei con-
firmationem est, quod donatio, quae jure
Civilis *stricti* Juris censetur. *L. cum qui. 22.
ff. de Donation. jure* tamen Can. aliquando
accipiat largam interpretationem. *c. cum
aliter. 6. X. de Donationibus.*

Unde de Jure Canonico omnes contra-
ctus esse *bonae fidei*, docuit Baldus in *c. 1.*

in *fin. de Pluspetitionibus.* Jason. in §.
actionum. Instituris, de Actionibus. n. 4.

Alii e contra ferme communius susti-
nent, nullam inter Jus utrumque sine textu
expresso esse differentiam faciendam, arg.
c. 1. de Novi operis nuntiatione. imò in
ipsis SS. Canonibus non obseurè distinc-
tionem inter contractus *bonae fidei*, & *stricti*
Juris insinuari, ut in *c. cum venerabilis.
6. versio. ad hoc. de Exceptionibus. c. fin.
de Deposito.* Item etiam Jure Civ. ajunt,
aequitatem rigori esse praefendam *l. pla-
cuit. 8. Cod. de Judiciis.* non tamen inde
sequitur, contractus *bonae fidei* & *stricti*
Juris confusos. Atque hanc sententiam vi-
dentur supponere Glossi. in *d. c. cum vene-
rabilis. verbo. bonae fidei: & ibidem.* Pa-
norm. *num. 15.* & expressè tenet Covar. *d.
§. 6. num. 5.* Harprecht. in *d. §. actionum.
num. 54.* fateatur tamen Covar. in *fine. n. 8.*
in foro conscientiae ad hanc differentiam
& subtilitatem Juris Civilis non aequè atten-
dendum esse.

Huic posteriori sententiae ipse magis ac-
cedo, ut credam, inter contractus & actio-
nes *bonae fidei*, & *stricti* Juris differenti-
am non esse de Jure Canonico totaliter sub-
latam. Etenim consensio quidem, contra-
ctus *stricti* Juris innouisse per illam for-
mulam à Praetore Judicibus Pedaneis praes-
criptam; non tamen credo, quod Praetor
solam aliquam subtilitatem attenderit; sed
potius aequitatem etiam hujusmodi contra-
ctibus coherentem, propter quam *stricti*
Juris, seu *strictae interpretationis* sint,
quia in iis largior interpretatio plerumque
sine damno alterius fieri non posset: v. g. si
Judex in mutuo usuras non promissas adju-
dicaret; si in donatione pateret alicui su-
am liberalitatem esse nimis damnosam; aut
in stipulatione aliquem verborum facilitate
plus aequo damnificari. Promde etiam hoc

Ff 2 respe-

respectu distinctioni inter contractus bonæ fidei, & stricti Juris de Jure Canonico locum esse existimo. Nec moveor textu *d. c. cum dilecti. X. de Donat.* quia ibidem casus ponitur de donatione facta ad pias causas à viro quodam Nobili, ubi quis præsumitur, vel esse verus benefactor, & non *parcè seminarare* pro fructu animæ suæ, præsertim considerato honore dignitatis, & statûs sui, sicut & beneficia Principum (ipsorum tantum & non tertii præjudicium concernentia) sunt latissima interpretationis. *c. olim. 16. de Verb. sig. l. 3. ff. de Constit. Princ.* At verò textus Juris Civ. *in d. l. 22. ff. de Donat.* intelligitur de donationibus profanis inter privatos. *Gottof. ibid.* quæ non cadunt sub illam Regulam, quòd *in beneficiis sit plenissima interpretatio facienda*, quia in rigorosa, & communi significatione beneficia vocantur à majoribus Dominis concessa, ut beneficia feudalia, Ecclesiastica, privilegia &c.

Cæterum verò, ut in contractibus stricti Juris prorsus ligatæ debeant esse manus Judicis, & omnis interpretatio ex bono & æquo excludi, puto Jure Civili potissimum in Pedaneis Judiciis, quorum delegata, ideòque intra certos mandati fines restricta erat potestas, processisse, respectu autem ipsius Prætoris, & cujuscunque Ordinarij Judicis locum habere debere, quòd generaliter rescripsit Imperator *in d. l. placuit. 8. Cod. de Judiciis. in omnibus rebus præcipuam esse Justitiæ, æquitatis vè quàm Juris stricti rationem.* Et quòd in stipulatione (quæ tamen inter contractus stricti Juris fermè præcipuo loco numeratur) non ita rigidè secundum externum verborum sonum, quàm etiam secundum sensum æquitati, & intentioni contrahentium magis conformem judicandum sit, probant textus, *in l. quarto 54. §. 1. ff. Locati. l. quo-*

ties. 80. §. 1. continens. 137. §. 2. ff. de Ver. oblig. l. rogasti. 11. §. 1. ff. de Rebus creditis. idque tantò magis de jure Canonico ostinebit; quia hoc jure æquitas præsubstante & forum conscientia, (in quo contractus strictum jus, juxta subtilitatem Juris Civ. ex doctrina Covar. cit. l. attenditur) præ foro externo magis consideratur.

§. VI.

Quotuplex Obligatio oritur ex Pacto.

SUMMARIÆ.

21. Obligatio nata ex pacto est vel naturalis tantum vel Civilis tantum, vel naturalis & Civilis simul.

PRæterea sæpius hæctenus insinuatum est, ex pacto oriri obligationem; quæ dicitur, quòd sit *juris vinculum, quo nec sitate adstringimur alicujus rei scilicet de.* Hæc obligatio pro diversitate personarum aliquando est *naturalis tantum, quando civilis, aliquando naturalis & civilis simul:* vel enim pactum habet pro fundamento obligationis solum consentium, quod lex nec assultat, nec resistit; & producit obligationem *naturalem tantum* sive ex solo jure naturæ, & gentium, jubente pacto servari, sicut de pactis nudis dictum: vel pactum agnoscit lex, eique assultat, ut in contractibus & pactis vestitis; & tunc obligatio *efficax, sive naturalis & civilis simul:* vel lex expressè resistit pacto, quæ rei turpis, vel contra bonos mores, *in c. fin. h. t.* & tunc ex illo nec *naturalis* nec *civilis* oritur obligatio: quod si legem solennitatem juris consideret, nullam subsistente naturali æquitate, dicitur obligatio *civilis tantum*, quæ quidem actionem parit, sed non executionem, sive executionem, veluti si alicui dederò chyropo-

plum, in quo confitear, me accepisse mutuum, per hanc solemnitate literarum obligor ad reddendum mutuum, etiam si non acciperem, sed civiliter tantum, proinde quatenus eo nomine contra me actio intentetur, illius tamen actionem per exceptionem non numeratæ pecuniæ impediam, sicut in Tit. Inst. de Literar. oblig. traditur. Similiter si alicui obligatus sim ex solenni stipulatione vel alio contractu, isque mala fecerit pactum nudum de non petendo, tollitur quidem per tale pactum naturalis obligatio, sed non Civilis, quæ per alium contrarium à jure civili approbatum (qualis non est pactum nudum) periri debet, nimirum per solutionem, vel acceptationem. *Institus. Quibus modis tollitur obligatio.* manet propterea etiam actio, quæ jure Civilis est, sed quia pactum nudum saltem exceptionem parit, per hanc tollitur exactio, sive actionis executio. Quæ circa civilem obligationem ita potissimum advertenda ad intelligendos diversos juris Civilis textus, quamvis hujusmodi subtilitates in Canonibus non æquè attendantur; ubi sicut pactum nudum producit actionem, ita etiam videtur dici posse, perimere omnem obligationem.

§. VII.

De Præstatione Doli, Culpæ, & Casus in Contractibus.

SUMMARIÆ.

- 22. Dolo in omni contractu præstandus.
- 23. Culpæ quotuplex.
- 24. De culpæ præstatione generalis regula.
- 25. Casus quando præstandus.
- 26. Mora nunquam excusationem admittit.
- 27. Casus an præstetur in commodato.
- 28. Culpæ in Contractu allegatæ cui incumbat probatio.

Si res, quæ in obligationem deducta est, ante traditionem, vel postea deterior fiat, vel omnino intereat, videndum est, quis teneatur damnum luere & sentire? Distinguendum, an res dolo, culpâ vel casu deterioretur, aut pereat? Si dolo, non est dubium, quin is debeat præstare damnum, qui dolo fecit: factum enim cuique suum, non alteri nocere debet; neque alteri per alterum iniqua conditio inferenda, secundum vulgatas Juris regulas. Dicitur autem hoc loco dolo non tantum callida machinatio & circumventio, sicut describitur in L. 1. §. 2. ff. de Dolo. sed omnis voluntaria læsio, sive deinde fiat per rectam fraudem, vel per apertam vindictam, vel petulantiam, &c.

Culpa est negligentia in custodienda vel conservanda re aliena commissa. Et hæc est triplex, lata, levis, & levissima. Lata culpa dicitur, quando quis non adhibet eam diligentiam in rebus alienis, quam communiter homines ejusdem conditionis, professionis & ætatis solent adhibere in suis propriis, ut si res facillè auferenda in loco, quo passim hominibus etiam ignotis patet accessus, relinquatur. Levis, quando non adhibetur diligentia, quam boni & solertes ejusdem conditionis homines adhibere solent, qui non tantum rem in domo sua diligenter conservant, sed ubi opus fuerit, etiam ostia claudunt, & observant. Levissima, quando omittitur diligentia, quam solent adhibere solertissimi, ut si januam quidem clausisti, sed non interatò tentasti, an fera benè obfirmata fuerit &c. quæ tamen omnia in singulis factis arbitrio prudentis viri, aut Judicis juxta circumstantiarum qualitatem consideranda sunt, quia utique in re pretiosa major diligentia requiritur, quam in re vili, item in loco, ubi v.g. milites grassantur, quam ubi quæta & sæcura sunt omnia.

Ff 3 Casus

NGEL
 ...
 ...
 ...
 ...
 ...

Casum denique vocamus rei inopinatae eventum, & qui sine omni nostra culpa accidit, ut si domus conducta fulmine tacta conflaret.

24 Circa praestationem culpa generalis regula traditur, quod si contractus cedat *in utilitatem solius dantis*, ut in Deposito, praestetur tantum *dolus & lata culpa*, quae in contractibus dolo comparatur *l. quod Nervus 32. ff. Depositi*. Si *in utilitatem solius accipientis* ut in Commodato, praestetur *levissima culpa* (excepto *Preccario*, de quo suo loco) *Si in gratiam utriusque*, ut in locato & conducto, *levis* tantum culpa, non *levissima* praestanda, sicut inferius circa singulos contractus in specie pluribus trademus, & text. est in *l. si ut certo. §. 2. ff. Commod.*

25 *Casus* vero regulariter non praestatur; excipitur tamen *l. Nisi* aliquis fuerit debitor generis, (quod Logici *speciem*, hoc Jurista *genus*, quod illi *individuum*, hoc isti *speciem* appellant) *genus* enim perire non potest. Ita quocumque casu pecuniae mutuae apud mutuarium pereant, tenetur ad restitutionem; tum quod post mutui acceptionem fuerit factus illius pecuniae Dominus, & res soleat perire suo Domino; tum quod non sit debitor illius pecuniae in specie, sive individuo, quam mutuo accepit, sed alterius in genere in eadem quantitate. *§. item is. 2. Inst. Quibus modis re contrahitur obligatio*. Si vero Promissor vel contrahens debitor fuerit certae speciei, v. g. hujus equi bucephali, tunc interitu ejusdem casu contingente liberatur, nec tenetur rem aliam loco intereuntis tradere. *l. id quod. 7. ff. de Periculo & commodo rei venditae*. II. Excipitur, nisi aliter conventum sit, & debitor periculum rei periturae in se suscepit: pacta enim ex conventionem legem accipiunt. *cap. un. de Commodato. & l. 1. §.*

si convenit. 6. ff. Depositi. III. Si culpa casum praecesserit, ut quia commodatarius cum equo meo relicta via tutiore ivit peritiam ob infidias latronum magis periculolam. IV. Si debitor legitime interpellatus, ut rem debitam traderet, vel solveret, fuerit in mora tradendi, vel solvendi, haec mora & interitus rei post moram contingens nocet juxta *cap. mora. 25. de Reg. Juris in 6.*

Traduntur tamen à Doctoribus praetertim Theologis, hujus quartae exceptionis ex bono & aequo duae limitationes. Prima, ut exceptio procedat, si mora fuerit culpabilis, secus si traditio constituto tempore physice vel moraliter impossibilis, & debitor legitime impeditus, quo minus traderet, prout *ex Regula. 66. Juris in 6.* conditio habetur pro impleta, quando non sit per obligatum, quo minus impleretur. Ita & Gloss. in *l. quod te. §. ff. de Reb. act.* Gloss. in *d. cap. mora*. Covar. in *Relect. quamvis. de Pact. in 6. p. 2. §. 5. n. 4.* Molina de *J. & J. tom. 2. disp. 317.* And. Gal. i. *Obs. 142. n. 2.* Altera, si res post mortem fuisset aequè apud creditorem peritura, puta ob generale civitatis incendium, rursus aut incursum hostilem: tunc enim non videtur aequum, debitorem ad praestandum casum obligare, cum ex mora, vel culpa ipsius reverà Creditori damnnum non acciderit, cum periculum evadere minime potuisset, tametsi rem ipsamet habiturus fuisset, Sylv. *V. Mora, q. 4. Navar. in Manuali c. 17. n. 30.*

Sed nunquid è converso in omni interitu casuali peres commodatarius contingenti conqueretur forsan commodans, nisi aequum commodassem, non perisset domum officium igitur meum non debet mihi esse damnosum, & potius ille debet sentire damnus, qui inde utilitatem percepit. Hinc querit

querita pōtē videri primā fronte satis æquā & mōvere, ut diceēmus, tunc casum fortuitum in commodato præstandum, si res non fuisset æquē apud commodantem peritura. Nihilominus video Doctores esse valde concordēs, ut etiā in commodato generaliter doceant, non præitari casum fortuitum, sine distinctione, an res apud commodantem fuisset æquē peritura. Barbof. in *Collectaneis. ad dicit. cap. un. de Commodato. cum. 6. & 7.* quam distinctionem tunc tantum adhibent, quando Commodatarius fuit in mora restituendi, vel re commodatā alter, aut aliorum usus est, quam sibi concessum. Molin. *dicit. tomo. 2. d. 259. n. 3. & 4.* Quare responderi poterit Commodanti, ut juris decisio sit contentus, quod ita voluit alterum alterius Officio iurari, ne Commodatarius exinde nimium gravaretur, si v. g. propter usum equi ad unum diem sibi concessum mox deberet totum equum sine culpa sua pereuntem solvere, quod damnum non esset utilitati ex equo perceptæ proportionatum. Et sicut hæc Juris constitutio in uno casu gravis videtur commodanti, ita vice versa in alio casu, ubi ipse ab altero commodatum accipiet, idque casu peribit, admodum grata & utilis eveniet, prout in simili de jure præscriptionis dicere solemus, ut quamvis habeat gravamen in uno casu, quo contra me præscribitur, contineat tamen utilitatem in alio; quo ego contra alium præscripsero.

28 Cui vetō incumbat onus probandi, si Commodans, Locator, Emptor, & cæteri dicant, damnum accidisse culpā, econtrā Commodatarius, Conductor aut Venditor casu, vel tali ex culpa, ad quam præstandam jure contractus non teneatur? videatur *Mateard. de Probationibus. vol. 1. conclus. 463.* Breviter dicendum, si damnum

fit tale, quod pierumque sine culpa utentis accidit, ut si equus ex interno morbo, aut vitio, domus aut murus vetustate & imbecillitate corruat, non præsumi culpam, nisi ab allegante probetur; si verò damnum tale, quod ordinariē ex negligentia, vel culpā utentis accidere solet, veluti incendium aut furtum, præsumi culpam utentis, nisi suam diligentiam in custodiendo per contrarias probationes, aut præsumptiones, quales saltem in tam difficili probatione habere poterit, ostenderit. *l. 3. §. 1. ff. de Offic. præfecti vigillum. l. cum duobus. 52. §. damna. 3. ff. Pro socio. Fachin. 1. Contr. c. 87.* qua de re dicemus inferius in *Tit. de Locato, & Conduct.* Demum quando de culpa loquimur, non esse intelligendam semper culpam Theologicam, quæ constituat peccatum coram Deo, sed civilem sufficere, quæ ex quacunque omissione, v. g. propter oblivionem coram Deo non peccaminosa oritur, notavit Layman. *Lib. 3. tract. 4. c. 7. sub. n. 2.*

§. VIII.

De Personis, quæ pacisci possunt, vel non possunt, & inprimis de Pupillis & Minoribus.

SUMMARIUM.

29. Contrahere regulariter omnes possunt, nisi specialiter in jure prohibiti.
30. Pupillus sine tutore contrahens, an obligetur naturaliter, & in conscientia?
31. Ludens cum pupillo an possit ab eo lucrari?
32. Minores sine Curatore qualiter obligentur?

Personæ, quæ contractus & Pacta ini-
re possunt, sunt regulariter omnes usu
rationis præditi, & liberam suorum bono-
rum administrationem habentes, adeo
ut nec excommunicati, nec deportati ex-
cludantur; quia hi non amittunt ea, quæ
sunt Juris naturalis, & gentium, sicuti pacta
& con-

& contractus, licet pro his actionem formalem instituire non possint, quæ est Juris civilis, possunt tamen implorare officium Judicis, & conveniri, ac uti exceptione, ut in materia Judiciorum dicimus; ratione autem sufficienti, & administratione destituti, ut Pupilli, Minorenes, Amentes, Prodigii, quibus bonis interdictum est, aliter quam interveniente auctoritate suorum Tutorum, aut Curatorum contrahere non possunt, quæ de re agunt Interpretes Juris Civilis in materia Tutelarum, & in Tit. *Instit. Quibus alienare licet.*

30 Juris Canonici, & etiam Theologiæ Doctores specialiter inquirere solent, an Pupillus, vel Minorens, aut Prodigus sine Tutore, aut Curatore contrahens saltem naturaliter, & in conscientia obligetur, ita ut talem contractum majorens factus implere teneatur? Circa naturalem Pupilli sine tutore contrahentis obligationem constat, esse difficilem legum antinomiam: quod enim in *l. pupillus. 59. ff. de Obligat. & act.* & in *l. quod pupillus. 41. ff. de Conditione indebiti.* negatur, pupillum naturaliter obligari, id affirmatur in *l. 1. §. 1. ff. de Novationibus. l. Marcellus. 25. ff. de Fidejuss.*

Sanè in eo satis conveniunt Doctores, quod Pupillus infans, vel infantia proximus §. *sed quod diximus. 10. Inst. de Invenit. stipul.* qui necdum implevit annum decimum cum dimidio (primum septennium infantia censetur, alterum dividitur, & medietas ad infantiam, altera ad pubertatem accedit) item etiam qui cum ipso Tutore contrahit, nec quidem naturaliter obligetur, nisi alterius contutoris, vel judicis auctoritate interveniente; leges enim tali contractui resistunt. *l. 1. & l. pupillus. 5. ff. de Auctor. Tut. l. non licet. 46. ff. de Contrahenda emptione.* sicut & tunc, si

super bonis suis immobilibus, aut mobilibus, quæ servando servari possunt, alienatis sine tutore & Judice Pupillus vel Minor contraxerit, *tot. tit. Cod. de Prædit. & rebus minor.* Econtrà quoque conveniunt, quod Pupillus obligetur, quatenus contractu factus est locupletior, & pecunia, v. g. mutuo accepta adhuc penes eum extat, vel in res ejus versa est. *d. l. pupillus. §. §. pupillus. i. ff. de Auctor. Tut. l. dolo etiam quandoque conveniri potest, si doli capax rem sine Tutore in depositum acceperit, eamque dolo perdidit; sic universim Pupillus rationis, etiam pecunia capax esse censetur. l. 1. §. an in pupillo. 15. ff. Dep. siti.*

Tota igitur questio est de Pupillo prope pubertati, factum, aut res servando non servabiles promittente, nec inde locupletato? cujus resolutio potissimum a conciliatione supra allegatarum legum Curatorum constituit. Sunt enim non pauci Doctores, qui Pupillum in his circumstantiis si verè consenserit, nihilominus naturaliter & in conscientia obligari volunt. Sicut de Matrimonio *l. 6. d. 38.* & alij Azo. *3. lib. 6. c. 14. q. 10.* Molina. *d. tom. 2. disp. 224.* Negat autem naturalem & conscientia obligationem, nisi in quantum Pupillus locupletior factus fuerit, *Cor. ad dict. c. quamvis de Pactis in 6. §. 4. m. Cujac. ad l. 127. ff. de V. O.* Petrus Wabergus de Contract. *disp. 2. dub. 4. n. 3.* & ibidem citati, ideòque contrariantes leges civiles per distinctionem, siue Pupillus de contractu locupletatus nec ne, conciliantur existimant.

Inclino quidem etiam magis in hanc sententiam: irritatio enim contractuum regulariter de foro quoque interno intelligitur, nisi aliter constet de mente Legislatoris, & frustra propter bonum publicum plerumque

que est irritatio contractum in foro exte-
rno tantum, si bonus Christianus eos in
conscientia servare teneretur, sed quia dicta
conscientia aperte obstat textus *inst. cum*
illud. 25. §. 1. ff. Quando dies legati.
Ideo de alia conciliatione cogitandum; nam
postquam J.C. in c. l. dixit, legatum ejus
re quam pupillus sine tutoris auctoritate
debet, nec inde locupletior factus est, nul-
lus esse momenti, quia pupillus nihil de-
bet, subiunxit, si vero testator naturalem
pupilli obligationem & futuram solutio-
nem cogitavit, legatum habere tacitam con-
ditionem, si pupillus solverit; ex quo aper-
te videtur inferri, pupillum etiam non locu-
pletior factum naturaliter obligari. Mini-
me vero satisfaciunt responsio aliquorum dicen-
tium, mendam irrepisse in hunc textum, ac
in Florentinis Exemplaribus omittam particu-
la: *Nec legi, & locupletior factus est &c.*
Nam si hac responsio valeret, male dixisset
J.C. quod pupillus ex contractu locupletior
factus nihil debeat, & inutile ejus rei lega-
tum sit, sicut vel parum consideranti tex-
tum patebit. Quare magis mihi placet
alia conciliatio, quam tradit Laymann d. l.
3. tract. 4. cap. 9. sub. num. 8. quod pu-
pillus obligetur quidem naturaliter propter
leges id ipsum affirmantes, sed hujus obli-
gationis effectum & executionem leges
negantes etiam in foro conscientiae, &
circa pupillum proximum pubertati im-
pediant, nisi pupillus sui juris factus ul-
tro huic favori renuntiare, & quasi
ex debito honestatis solvere velit, qui sensus
optime accommodari potest *dictae l.*
cum illud. 25.

Dices, qualis est obligatio, si nullum
habet effectum? Respondo, habere quo-
ad alios suum effectum, nimirum ut cum
majorennem ex parte majorennis teneat.
l. obstrari. 9. ff. & princ. Inst. de Autho-
Excels. in Decret. Lib. I.

ritate Tutorum. Item ut fidejussor pro
pupillo accedere possit, d. l. *Marcellus.*
25. ff. de Fidejussoribus. quod vero
in persona pupilli effectum non habe-
at, & executionem, non propterea nul-
lo modo dici potest obligatio; sicut obli-
gatio merè civilis obligatio dicitur, &
tamen effectum non habet, ut superius
præmissum.

Uterius illud notabile est, quod ponit
Wadingus *dicto loco num. 5.* ludentem cum
pupillo & lucrantem ab eo summam nota-
bilem (quæ ipsi ex consensu Tutoris saltem
tacito ad ludendum, & honestam recreatio-
nem pro conditione personæ non est conce-
ssa) non posse in conscientia illam retinere,
saltem si sciat, pupillum velle eam recipere,
quia pupillus sine tutore non potest domi-
nium rei suæ transferre, vel efficaciter obli-
gari, §. 1. & ibi Doctores. *Inst. Quibus*
modis re contrahitur obligatio.

Sed & prioris sententiæ Auctores, qui
obligationem naturalem, & in conscientia
ex contractu pupilli sine tutore admittunt,
concedunt tamen, hanc obligationem re-
medio extraordinario *restitutionis in in-*
tegrum, vel irritatione & revocatione tu-
toris posse annihilari. Quid autem cen-
sendum sit de sponsalibus & matrimoniis,
quæ impuberes contrahunt, traditur in *Li-*
bro IV. Decretal. in tit. de Desponsatione
impuberum.

Alia nonnihil ratio est circa *Minoren-*
nes, qui quidem annos pupillares excesserunt,
sed infra 25. ætatis annum constituti
sunt: hi enim quamvis nullum contractum,
etiam quoad forum internum, sive effica-
cem obligationem valide inire possint sine
authoritate Curatoris, qui tendat in aliena-
tionem bonorum. Textus & Doctores. in
l. sicut a iorem. 3. Cod. de in integrum re-
stitutione Minor. & tit. Cod. de Prædiis
minor.

Gg

minor.

minor. possunt tamen se obligare in his, quae praecise suam personam concernunt, e. g. si minor artifex, vel opifex sit, & operas suas alteri locarit; sicut ita textum in *l. puberes. 101. ff. de Verborum obligationibus* exponit Fachin. *lib. 3. Controv. cap. 9.* & Matrimonium contractum sine curatore valet *l. sciendum. 20. ff. de Ritu nupt.* Curator enim magis bonis, quam personae datur.

Minoribus quoque assimilantur prodigi, postquam ipsis à Magistratu bonis interdictum est, & curatores bonorum dati sunt. Interim negandum non est, quin minor contra suum contractum, si laesus videatur, restitutionem in integrum petere possit ex *101. tit. ff. de Minoribus*. eaque tanquam justo juris privilegio etiam in conscientia rectè utatur. in Matrimonialibus tamen non dari restitutionem in integrum, docet Sanch. *de Matrimonio. lib. 7. disp. 37. num. 21. & seq.* de quo alibi dicemus.

Si curatorem non habuerit minorennis, nihilominus prohibetur ipsi bonorum immobilium alienatio sine decreto Judicis, tamen si veniam aetatis impetrarit à Principe, ut pro majorennis haberetur. *l. non solum. 4. l. minorum. 6. Cod. de Praediis minorum. l. 2. C. De his qui veniam aetatis impetr.* Vid. Fachin. *d. l.* ubi contra quosdam idem censet de mobilibus pretiosis, & quae servando servari possunt.

In testamento autem, item ante Professionem in Religione non prohibetur minor de omnibus bonis suis etiam sine curatoris auctoritate disponere: tunc enim cessat ratio legis, cum ob vitae vel status mutationem his non amplius uti concedatur, ideoque exinde non damnificetur. Cujac. *in Comment. ad d. l. puberes. 101. ff. de Verb. obl. Panorm. in cap. in presentia 8.*

de Probat. Addit etiam Lessius *diff. de 8. sub. num. 62.* minoribus sub curatore constitutis in bonis *Castrensibus*, vel quae liberam esse administrationem, & liberandi potestatem, salvo tamen in casu laesivis restitutionis beneficio.

§. IX.

De Pactis Filiorumfamilias ubi de Consultu Macedoniano.

SUMMARIUM.

33. Filiusfam. potest habere quadruplex peculium.
34. Filiusfam. an ex contractu obligetur?
35. Filiusfam. impubes cur minoris auctore etiam obligari possit, quam pupillus auctore tutoris.
36. De S. Consulto Macedoniano.
37. Quibus casibus locum non habeat?
38. S. C. Maced. an obtineat etiam in foro interuentu?
39. S. C. Maced. an procedat, si pecunia à filio mutuo accepta post mortem patris adhaerente inde filius locupletior factus sit?
40. Contra exceptionem S. C. Maced. an detur exceptio de ignorantia eius?
41. S. C. Maced. an possit filiusfam. renuntiare?
42. Quid, si jurato renuntiarit?

Quid autem de *Filiisfamilias* sive libris in potestate Patris constitutis dicendum? Supposita distinctione quadruplex peculii scilicet *Profecium*, quod ex re bonis patris provenit, & totum patris est. *Adventitium*, quod filius aliunde, quam ex re patris, nimirum ex hereditate maritis vel aliorum, opificio aut negotiorum, quoad proprietatem sibi, quoad usum fructum patri acquirit, & *Castrensium*, quod intuitu militiae armatae, vel publico munere, videlicet Judicis, Advocati, Professoris Academici, Tabellarii &c. adipiscitur, idque pleno jure quoad dominium, usum fructum, & administrationem filii esse censetur. Supposita inquam hac distinctione, quam prolixius exponimus

Doctores ad Tit. Instit. de Patria potestate & ad Tit. Per quas personas nobis acquiritur.

34 Generaliter imprimis tenendum est, Filiusfamilias puberem eatenus ex suis contractibus sine auctoritate patris obligari, quatenus potestati patriæ & juri, quod patris in ipsum, & bona sive peculium ejus habet, non præjudicat. §. item inuitus. 6. Instit. de Inuit. stipul. l. Filiusfamilias. 39. ff. de Obligat. & act.

35 Dico I. De filiofamilias pubere: nam impubes ne quidem auctore patre obligari potest, sed quod diximus. 10. Instit. de Inuitibus stipulat. Rationem disparitatis, cur pupillus auctore Tutore possit efficaciter obligari, & non item Filiusfamilias impubes auctore Patre diversissime assignant DD. vel enim hoc ideo constitutum est, quod pupillo ex contractu damnificato detur adversus tutorem actio t. t. ff. de Tutela & rat. distrab. & tit. Cod. si Tutor vel Curator interven. non item filio adversus patrem. l. 4. ff. de Judic. l. ult. §. si autem as alienum. 4. in fine. Cod. de B. no. qua liberis: vel quia alias pupilis esse: omni commercio interdictum, nisi saltem auctore tutore obligari possent. Filiusfamilias autem, cum contrahendo patri acquirat, & contra pater filio, §. si quis alii. 4. Instit. de Inuit. stipulat. d. 1. ult. §. ubi autem puerilis. 6. C. de Bonis qua liberis, potest pater sine filio contrahere.

Dico II. Filiumfamilias puberem eatenus obligari, quatenus non præjudicat patri: unde vota realia sine consensu patris eum emittere non posse, ut infra in Tit. de Voto & voti redempt. dicitur. Item adventicia, quorum usufructus apud patrem est, alienare prohibetur. d. l. ult. §. Filius autem sem.

36 Præterea in contractu mutui circa filium-

familias specialis exceptio de Jure Civili ponitur, quæ dicitur exceptio *Senatus consulti Macedoniani*, prout habetur *int. t. ff. & C. ad Senat. C. Maced.* Contigit enim aliquando Romæ, quod quidam Macedo usurarius filiisfamilias copiose pecuniam mutuam dederit, qui postea abuten-tes pecuniis non tantum corruptos mores induebant, sed etiam ære alieno oppressi vitæ parentum insidiabantur, ut ex hereditate paterna possent debita solvere. Quare Senatus consulto cautum fuit, ut si quis filiofamilias mutuam pecuniam dedisset, ei non daretur actio, vel repetitio, ne quidem post mortem patris, ejusdemque Senatus-consulti exceptio etiam filiabusfamilias, & parentibus, & hæredibus, & fidejussoribus filiorum prodesset. l. 1. 7. 9. §. 4. ff. ad SC. Maced.

Sunt tamen casus, in quibus non habet 37 locum Senatusconsultum. ut I. Si filio sint bona castrensia vel quasi. l. fin. §. 1. C. d. Tit. II. Si communi errore credebatur non esse filiusfamilias, sed sui juris: tunc enim nihil est, quod Creditori imputeretur. l. si quis. 3. ff. & l. 1. Cod. eod. III. Si mutuum non constiterit in pecunia numerata, sed in re alia fungibili, ut in vino, frumento, vel similibus; vel fuerit debita ex alio contractu, puta emptionis, stipulationis aut simili: quia præcipue pecunia periculosa parentibus visa est, utpote, quam filius perdat, aut male impendat facilius, nisi res alia in fraudem legis filio datæ sint, ut is rebus venditis pretium haberet in mutui vicem. l. si filiusfamilias. 4. §. is autem solus 3. ff. d. tit. IV. si sciente, mandante, aut ratum habente patre pecunia mutuata sit, l. si tantum 12. & l. si filiusfamilias. 16. ff. & l. fin. C. ad SC. Maced. V. Si in rem vel utilitatem patris pecunia versa, aut studiorum

Gg 2 causa

causa in probabiles expensas filio data sit, quas patris pietas rationabiliter reculare non potuisset. *Item si filius fam. 7. §. quod dicitur. 13. ff. d. 1. l. 5. C. cod. VI. Limitatio potest addi ex Molina de Just. & Jure. t. 2. d. 301. num. 2. si filius vel filia juxta consuetudinem terræ, (sicut in Hispania & in plerisque partibus Germaniæ) per nuptias soleant liberari ex patriâ potestate, ut mutuum, quod post contractas nuptias accipiunt, ad instar aliorum hominum sui juris reddere teneantur. Et hæc in foro externo ita indubitatè procedunt.*

38 Sed an idem obtineat in foro animæ, ut filiusfamilias ne quidem in conscientia (extra casus jam enumeratos) mutuum acceptum reddere teneatur, celebris est inter DD. *controversia*? Non esse huic S. Consulto locum in conscientia existimat Fach. *Lib. 2. Controv. cap. 62. in fin. cum Covar. in Relectione cap. quamvis. de Pactis. in 6. part. 2. §. 3. num. 4.* eò quòd filiusfamilias saltem naturaliter obligetur; tum ob text. expressum in *l. quia naturalis. 10. ff. SC. ad Maced.* tum quia filiusfamilias, quod omisâ Senatusconsulti exceptione solvit, repetere non potest. *l. sed si paterfamilias. 9. §. 5. cum l. seq. ff. eod.* cum aliâs quod nec civiliter, nec naturaliter est debitum, quocunque errore solutum restet repetatur, *l. quod indebitum. 7. & l. quod pupillus. 41. ff. de Condict. indeb.* aliam rationem addit Fach. quòd nimirum æquitati non conveniat, filiumfamilias cum alterius damno locupletari.

Verùm altera sententia, quæ docet, filiumfamilias exceptione Senatusconsulti etiam in conscientia tutum esse, videtur ab authoritate & ratione magis probari. Ab authoritate quidem Innoc. in *cap. quia plerique. 8. de Immun. Eccles. Panorm. in cap. fin. de Prescript. num. 27. & 29.*

Antonij Gomez Var. *Ref. Tit. de Contractibus. cap. 6. num. 2. Molina d. disp. num. 2. Lessii. de J. & Justit. l. 2. cap. 2. dub. 2. vers. notandum. 2. Wadding. Contract. disp. 6. dub. 4. §. 1. eamque communem dicit Layman in Theol. moral. d. Paet. cap. 15. num. 5. A ratione verò, utique lex & potestas publica ex iustitia publica causa potest contractum irritum actionem denegare, dominium de uno alterum transferre, sicut ex præscriptione, jure confiscationis, irritatione testamenti non solemnis, contractus pupilli &c. aliisque exemplis probari potest: irritatio & constitutio, si fuerit iusta in foro externo meritò etiam ad forum conscientia porrigitur, uti supra in Tit. Constitut. §. 3. à num. 36. pluribus declaratum est: modicum enim aliâs habentes leges inter Christianos effectum eorum consultum foret Reipubl. per rationabilia statuta, si quos lex civilis ab obligatione absolvit, lex conscientia sub salutis periculo constringeret.*

Ad primum A. A. argumentum respondere potest: Filium accipiendo mutuum contrahere quidem naturalem obligationem, sed hujus obligationis effectum à lege quæ ad utrumque forum impediri: quæ enim lex humana non possit in istius ius naturale mutare, totam præceptionem abrogando. §. *sed naturalia. 11. Inst. de Jure Nat. Gent. & Civili.* potest tamen hypothese, sive in particularibus casibus circumstantijs declarare, an & qualiter locum habeat. Deinde, quod de soluti designata repetitione dictum possumus ad id respondere: nil esse inconveniens, si lex ab quos obligationis effectus tollat, aliquos aboleret, sicut paulò ante de obligatione naturali pupilli dictum, quòd certos habeat effectus: periculum enim, quod Senatuscon-

fulum consideravit, tunc potissimum subest, si filiusfamilias mutuum recipiat, & cogatur ad solvendum, non autem si sponte solutum repetere nequeat.

39 Alterum argumentum Fachin. novam movet difficultatem, an, si filiusfamilias pecuniam mutuam non inutiliter perdidit, vel expendit, sed post mortem patris adhuc penes se habeat, vel in alias res commutante, adeoque exinde locupletior factus sit, nihilominus exceptione Senatusconsulti quoad forum internum præcipue se tueri valeat? Etenim de Jure Civili res satis est expedita *l. f. d. ff. 9. §. 2. ff. ad SC. Maced. ubi J. Consultus affirmat, dari exceptionem Senatusconsulti, licet filiafamilias ex pecunia mutua ornamenta compararit, aut apud filium in peculio existat. Ratio etiam superius assignata, quod lex sit Domina rerum, & auctoritas publica supremi Legislatoris dominium ex causa publica uni auferre & alteri adjudicare possit, etiam huic Juri Civili decisioni non incongruè accommodatur.*

In foro tamen conscientiae quid dicendum, plerique DD. prætereunt: apud Layman vero *cit. cap. 15. sub num. 3. v. Ceterum non dubito &c.* invenio, quod is (nullum quidem alium Doctorem allegans) indubitanter teneat, (quidquid de Jure Civili sit dispositum) filium vel patrem ex mutuo locupletatum naturali jure, consequenter in conscientia ad restitutionem obligatum esse. Quam sententiam opinor præflicè magis tutam & tenendam esse, ac naturali aequitati, quæ neminem vult cum alteri præiudicium locupletari, *juxta regulam 48 Juris in 6. conformiorem*: in tali namque casu potest dici, tantò magis naturalem obligationem filiofamilias habere suum ordinarium effectum, quo magis cessat ratio Senatusconsulti si enim pecunia adhuc extet, vel lo-

cupletior inde filius factus sit, sanè nil causæ subest, cur propter solutionem debeat vitæ parentis inlidiari, neque malis moribus corruptus est, qui pecuniam servavit, aut utiliter & fructuose impendit.

Non obstat, quòd lex alicui possit dominium auferre, & alteri adjudicare: quia procedit, si aperte constet de voluntate legis, sicut in præscriptione; in proposito autem casu locupletationis dubium est, an lex voluerit irrevocabile dominium pecuniæ mutuatæ filiofamilias concedere, vel an tantum mutuanti denegare actionem in foro externo, relicta interim naturali obligatione: in dubio autem ordinariè melior solet esse conditio ejus, qui certat de damno vitando, quàm qui de lucro captando.

Rursum *questio* est, quid si is, qui pecuniam mutuam dedit, bonâ fide egerit, ignorans Senatusconsulti Macedoniani constitutionem? Neque Doctores obvii sunt etiam in hac quæstione, licet in praxi frequentissima. Censeo pierumque cessare Senatusconsultum, præsertim si persona sit talis, quæ Juri ignorantia excusetur, ut minores ante 25. ætatis annum, de quibus quoad hoc Senatusconsultum est textus specialis. *l. verum. 11. §. planè 1. ff. de Minoribus. & in l. Regula. 9. ff. de Jur. & facti ignor.*

Item mulieres, milites, rustici, aliique forensium rerum inexpertes, & simplices ac plebei homines. *l. cum de indebito. 25. §. 1. ff. de Probat. Generaliter quoque traditur in l. 7. & 8. ff. de Juris & facti ignorantia. quòd error Juri non profit quidem in lucro, seu acquirere volentibus (v. g. si quis putaret ex errore Juri, possessionem longi temporis sine bonâ fide aut titulo sufficere ad præscriptionem) excuset tamen à pœna, & non noceat in damnis amittendæ rei suæ.*

Gg 3 Dices

Dices: si per errorem Juris omnes aequaliter in damnis & poenis exculantur, ergo non fuisset opus in allegatis LL. à Senatusconsulto singulariter minorem ob Juris ignorantiam excipere. Sed & duas esse differentias circa ignorantiam juris inter minores (quibus assimilantur etiam mulieres, milites, caeterique enumerati) & inter viros majorenes prudentes. *Imprimis* quòd minorenes non obligentur ad scientiam Juris & legum, majorenes verò ad omnium constitutionum scientiam adstringantur. *in l. penult. C. de Juris & facti ignorantia.* Ideoque nisi eorum ignorantia tolerabilis fuerit, (puta quia constitutio aliqua parum observatur, est obscura, anceps, controversa, vel à paucissimis scitur in loco, ubi degunt) sed grassa & supina; ne quidem in poenibus exculantur. *arg. cap. 2. de constit. in 6. & l. 1. ff. de LL. Secundo* quòd in minoribus, mulieribus, militibus, rusticis aliisque rudioribus praesumatur Juris ignorantia. *d. l. cum de indebito.* in majorennibus verò praesumatur scientia, nisi ab ipsis probetur tolerabilis ignorantia: non enim foret rationale, ut Jura in eo ignorantiam praesumerent, & tolerarent, quem ipsum ad scientiam obligant & adstringunt. Illa verò Juris Regula 47. *in 6.* quòd praesumatur ignorantia, ubi non probatur scientia, de ignorantia facti, non juris accipienda est.

Quod si mutuans occasionem mali filiofamilias dederit, ejusque peccato cooperatus fuerit, non ignorans eum pecunia abusu, quamvis ignorarit Senatusconsultum, non putarem, ei contra Senatusconsulti constitutionem subveniendum: quia scivit rem esse malam, & contra Jus naturae dare filio occasionem mali: licet verò ignorarit poenam Senatusconsulti, tamen quia malitiam peccati novit, ex sola ignorantia poena

non solet à poena (excepta censura, de qua alibi) excusari, per tradita Molinae, de Justitia & Jure Tract. 6. d. 71. num. 1. & videtur etiam insinuare JC. *in d. l. regula.* per illa verba: *mulieribus succurritur, sicuti non est delictum, sed Juris ignorantia.* atque à simili non parum probatur *ex l. 2. Cod. De in jus vocando.* ubi libertus, qui patronum sine venia in jus vocavit, punitur poena Edicti, scilicet poena solidorum, nec excusatur ob rusticitatem, vel Juris ignorantiam. Ad quem text. dicitur Gloss. *in l. error. 9. in verb. nocet. ff. de Juris & facti ignorantia.* quòd sufficit liberto scire, hoc esse contra naturae aequitatem, licet prohibitionem Juris non poena ignorarit.

Oppones, si constitutio Senatusconsulti est poenalis, ergo filiusfamilias se excusatur in conscientia non poterit ante sententiam judicis saltem declaratoriam, cui poena non prius obliget alterum ad amissionem rei suae, per ea, quae *in Tit. de Constit. §. 3.* dicta sunt. Respondetur, quòd hae poena sit de illis, quae ad sui executionem nullum externum factum hominis requirunt, hoc ipso, quòd per contractum mutui dominium & possessio pecuniae mutuatae jam sit in filiumfamilias translata, hoc jus tantum repetitionem leges denegant, quales poena ipso jure & facto illata non requirunt aliam Judicis sententiam, ut etiam *in d. §. 3. sub n. 42.* tradidimus.

Demum *queritur,* nunquid filiusfamilias Senatusconsulto vel simpliciter, vel sub iuramento renuntiare possit?

De simplici renuntiatione unanimes est DD. opinio, eam nullatenus subfiteantur, quia hoc Senatusconsultum non tam in iusvotum filij, quam parentum & publicae utilitatis ad evitanda multa mala in Republica atque in odium Creditorum est intro-

causam. Nec obstat, quod filius ipso facto possit renuntiare, nimirum solvendo, quod accepit. *l. sed si 9. §. penult. ff. de SC. Mord.* nam periculum, quod subest in obligatione, cessat in solutione, ut paulo ante demonstratum est.

42 De renuntiatione *jurata* dissentio est, quodam enim affirmant valere, ut filius saltem post mortem patris solvere teneatur, propter vulgata regulam. *cap. cum contingat. 28. de Furejurando.* quod omne iuramentum nec vi, nec fraude extortum servandum sit, si citra dispendium salutis servari possit. Covar. *in d. Relect. cap. quatuor. h. 1. in 6. parte 2. §. 3. Less. d. lib. 2. cap. 20. d. ubi. 2. n. 9.* quæ sententia propter reverentiam iuramenti est tuta & probabilis.

Altera sententia est negantium, tale iuramentum valere, inter quos est Panorm. *in cap. cum contingat. 28. de Furejurando. num. 23. Wading. de Contract. diff. 6. d. ubi. 4. §. 1. num. 3.* cum enim tale iuramentum ad omnia pericula & incommoda inducat, quæ evitare voluit Senatusconsultum, videntur habere locum aliæ regulæ: quod iuramentum non debeat esse vinculum iniquitatis, nec sit obligatorium, quod contra bonos mores, vel in præjudicium tertii, scilicet parentis præstitum est. *cap. veniens. 16. de Furejur. cap. non est obligatorium. 58. de Reg. in 6.* Neque difficile est disparitatem aliquam assignare inter pacta successoria, quæ iuramento confirmantur. *cap. quamvis 2. de Pact. in 6.* & mutuum filijfamilias: quia in his potissima prohibitionis causa est, sola mortis captatio, cujus periculum inter Christianos præsertim Germanos minus est, & vel ideo minus, quia non habet causam nisi appetitum lucri: at verò in mutuo in primis inanis & urgens creditor cursumque usurati-

um filiumfamilias facilius ad malum adigere possent: & deinde præter periculum captandæ mortis etiam subest periculum corumpendorum morum &c. Quapropter hæc sententia sua non caret probabilitate, & patet forte deservire, ut Iudex Ecclesiasticus aliis præsertim circumstantiis concurrentibus tantò facilius iuramentum relaxare valeret, ut docet Less. *d. loc.*

Mihi videtur ad conciliationem utriusque sententiæ quoddam medium amplectendum; ut siquidem periculum mali tantum in genere subfuerit, in specie autem circa hunc filium jurantem nullum, tunc procedat prior opinio & regula *dict. cap. cum contingat.* si verò in specie etiam filius ob renuntiationem juratam inclinaretur ad malum, puta, quia instante creditore cogere-
retur quærere media etiam illicita solutionis, quia mutuum, quod de facto ad malos usus applicuit, aliter à creditore obtinere non potuit, quàm per juratam renuntiationem, tunc debeat altera sententia prævalere: quamvis enim lex possit ex certâ causa actum irritare & annullare, nec illicò cesset lex, licet cesset ratio legis in particulari (nisi fuerit lex in mera præsumptione fundata) dummodò non cesset universim; pro ut non ideo valet testamentum sine septem testibus, quamvis nullus in eo dolus commissus sit, matrimonium sine parocho & testibus, esto nunquam abnegandum, sed id potissimum in legibus certas formas substantiales præscribentibus procedit, in alijs verò legibus, quæ simpliciter actum prohibent, vel aliud disponunt, obtinet nonnunquam etiam in particulari casu illud axioma, quod cessante ratione legis cesset ipsa lex. *cap. cum cessante. 60. de Appellat. §. 1. adigere. 6. ff. de Fure patron.* ita quoque propter religionem iuramenti, & ne Deus temere in testem vocatus sit, servandum, quod pro-

promissum est, si hic & nunc nullum peccatum involvat, tamen si lex communis, quæ periculum mali in genere consideravit, adverteretur. *d. cap. cum contingat. 28. & cap. quamvis 2. h. t. in 6.*

§. X.

De Pactis, quæ incunt generales rerum Administratores.

SUMMARIÆ.

43. Ecclesia vel Civitas quando teneatur ex mutuo per Prælatum vel administratores contractis?

44. Quid si consensus Senatus, vel Capituli accesserit?

Generales rerum alienarum Administratores hoc loco vocamus Prælatos & Rectores Ecclesiarum, Magistratus & Syndicos Civitatum vel aliarum communitatum, Procuratores cum generali mandato, Tutores & Curatores &c. Porro circa Prælatos & Rectores Ecclesiarum videri debent ea, quæ in Tit. de Peculio Clericor. & in Tit. de Reb. Ecclesie non alien. & in Tit. de Donation. dicuntur.

43. Specialiter hic circa contractum mutui etiam valde notabile est, quod Civitas, Ecclesia, Monasteria, aliæve pia loca ex mutuo, quod eorum Rectores & Administratores susceperunt, tunc solum obligentur, si Creditor probaverit, pecuniam in Civitate aut piorum locorum utilitatem conversam fuisse, alias solum Administratores conveniri poterunt. *l. civitas. 27. ff. de Rebus creditis. aut. hoc jus porrectum. C. de SS. Eccles. cap. hoc jus. 2. causâ 10. quest. 2. c. pen. de Fidejuss. cap. 1. de Solut.* Quare pro cautela duo consulerem; *Primo* ut chyrographo expressè & in præsentia testium curaret inseri causam, in quam mutuum impensum sit. *Secundo*, ut non esset contentus solo chyrogra-

pho, neque etiam pignore, (ut potest esse in præjudicium horum locorum a solis Administratores sine debitis Juris solemnitatibus constitui nequit) sed requireret dari Fidejussores idoneos, qui nominatim pro ipso Administratore pecuniam mutuante in omnem casum responderent.

Interim tamen etiam æquum videtur requiri exactissimam probationem Creditoris, quod pecunia in utilitatem Civitatis vel Ecclesie sit versa, quæ plerumque foret nimis difficilis: quis enim tempera vestigare posset, an & qualiter Administrator has vel alias pecunias impenderit? Sufficiet proinde etiam minus perfecta probatio ex conjecturis & circumstantiis arbitrio Judicis ponderanda, nimirum quod temporis Ecclesia aliis mediis delictis aedificavit, prædia emerit, & alia similia. Reduamus. *de Reb. Eccles. non alien. quæ 56.* Tenebitur quoque Ecclesia, si Prælatus vel Rector Ecclesie contraxit debita pecunie sustentatione, vel infirmitate: quia necessitate Ecclesie videtur contraxisse, cum Ecclesia teneatur ipsum alere. *Barb. in C. lect. ad cap. 1. de Solut. num. 3. ubi plures allegat.*

Quod si pecunia mutuo accepta per Administratorem casu v. g. incendio vel furto perierit, verius est Ecclesiam vel Civitatem nihilominus ad instar alterius mutuatarii (cui pecunia mutua tanquam Domino perit) teneri ad solutionem, dummodo ab initio saltem pecunia ex causa legitima Administrator suscepta sit enim de servo & procuratore, qui rem domini pecuniam mutuam accepit, eamque casu fortuito perdidit, ut ad Tit. in l. servus. 17. ff. De in rem verso. Juris enim præcipue voluerunt Ecclesie & Civitates

vitibus contra malitiam Administrato-
rum, non verò aduersus casus fortuitos
providere. Item in aliis contractibus,
qui sunt in utilitatem utriusque, velut
in Locatione, Venditione & similibus non
habere locum hanc constitutionem, ut v. g.
in ordine ad obtinendum pretium probet
venditor mercem venditam in utilitatem
civium vel Religiosorum pervenisse, tradunt
DD. Innoc. & Pan. in c. 1. de Depof. Jas. in
d. l. servit. as num. 14.

44 An autem teneatur Civitas vel Ecclesia;
si Administrator cum consensu Senatûs, aut
civium, Praelatus cum consensu Capituli
mutuum acceperit, absq; ulteriore probati-
one Creditoris rem in Utilitatem loci con-
vertam esse, difficultis quæstio est? De Civi-
tate communis affirmant cum Barth. In d.
L. servit. & Molina Tom. 2. disp. 300. Si
modo Civitas in administratione & aliena-
tione rerum suarum non dependat ab aliquo
alio superiore Domino.

Circa Ecclesiam distinguit Panor. in c. pen-
ult. de Fidejussoribus. an solutio possit fieri
per res mobiles, vel an debeat fieri per
imobiles, aut mobiles pretiosas alienari pro-
hibitâ? Priori casu affirmat quæstionem: po-
steriori negat, eò quòd alienatio rei immo-
bilis aut mobilis pretiosæ sine evidenti uti-
litate aut necessitate Ecclesiæ non conceda-
tur, non est autem utilitas vel necessitas Ec-
clesiæ, si pecunia in rem ejus conversa non sit.
Sine distinctione ista simpliciter debere
mutuum ab Ecclesia restituti, docet Fach.
lib. 2. Contror. c. 77. argum. à contrario
sensu in d. c. penult. ubi Gloss. in verbo. in
utilitatem de Fidejuss. & ad rationem Pa-
normitani respondet, ipsam exsolutionem
aris alieni esse justam causam rerum immo-
bilium alienandarum. Can. hoc jus. 2. in
prin. ibi: excipitur, si debitum urget.
cap. 10. quest. 2.

ENGEL IN DECRET. LIB. I.

Verum si res accuratè ponderetur, d. c. pe-
nult. de Fidejussoribus. loquitur de mutuo
à Religioso privato contracto, adeoq; veri-
similiter non in specie tantæ quantitatis, ut
propterea necesse sit, res immobiles, Eccle-
siæ alienare. Quòd autem dicitur ipsam ex-
solutionem aris alieni esse justam alienatio-
nis causam, intelligitur de debito, ad quod
Ecclesia indubitanter tentur, quale an sit,
quando non probatur pecunia versa in utili-
tatem, adhuc in quæstione & controversia
est. Accedit, quòd minor restituatur in inte-
grum, si pecuniâ mutuo accepta in ejus uti-
litate versa non sit. l. 1. & 2. Cod. Si ad-
versus creditorem, licet authore tutore
contraxerit. l. 3. Cod. Si tutor vel curator
intervenerit. Ecclesiam verò uti jure mi-
noris constat. ex c. 1. De in integrum re-
stitutione. Interim inficiari non possum
sententiam Fach. habere plurimum æquita-
tis, nec facile damnandum Judicem, qui eam
sequeretur, æquitatem rigori præferendo
juxta l. placuit. s. Cod. de Jud. plerumque
enim creditor extraneus post longum tem-
pus probare non potest, quorsum pecuniæ
mutuæ impensæ sint, præsertim si mutu-
um non ipse, sed ejus Majores & antecesso-
res dedissent. Magis etiam & rationabilius
esse videtur, ut Conventus vel Capitulum
(cum cujus consensu mutuum acceptum
est) attendat administrationi sui Praelati,
quàm alius extraneus. Redundaret quoque
in non leve præjudicium Ecclesiæ, cui ne-
mo facile dare vellet mutuum, si ad recu-
perandam pecuniam tam grave onus pro-
bandi mutuanti incumberet. Ad restitui-
tionem in integrum, quod attinet, imprimis
requiritur ut minor vel Ecclesia pro-
bet læsionem. l. verum. 11. §. sciendum.
3. ff. de Minoribus. textus in d. l. 3.
Cod. Si tutor vel curator & c. ibi: qua
tutores male gessisse probari possunt.

Hh

De-

Deinde restitutio est ex causa æquitatis, arbitrabitur proinde iudex circumstantiis omnibus attentis, an major æquitas pro Ecclesia, an pro creditore militet. Vid. etiam Covar. *Var. Resol. lib. 2. cap. 17. n. 3.* Malcard. *de probat. concl. 1165. à num. 17.*

Qualiter verò isti rerum alienarum Administratores transigere possint, tum qualiter pacta & transactiones obligent Successores, dicemus *in Tit. sequenti.* Vide etiam in Lib. III. *Tit. de Solutionibus in fine.*

TITULUS XXXVI.

De Transactionibus.

SUMMARIÆ.

1. Transactio est pactio de re dubia.
2. Post latam sententiam non valet transactio, nisi ab ea sit appellatum.
3. Transactio debet esse aliquo dato, aliquo retento.
4. De spiritualibus non potest fieri transactio, quod limitatur num. 5.
6. Circa bona Ecclesiastica temporalia potest fieri transactio, adhibitis tamen, ubi opus, solemnitatibus ad alienationem requisitis.
7. Super matrimonio non admittitur transactio: sed bene super sponsalibus.
8. Super relictis in testamento non transigitur, nisi tabulis inspectis, & quare?
9. Quomodo super alimentis possit transigi?
10. De crimine capitali transigi potest: secus in aliis criminibus publicis pœnam sanguinis non inferentibus.
11. Transactiones non debent regulariter rescindi: & contra transactionem juratam veniens sit infama.
12. An idem sit in fide interposita?
13. Transactio etiam ob causam gravis læsionis non rescinditur, nisi dolus intervenierit.
14. Resolvitur celebris controversia de rescidenda transactione, si læsio sit ultra dimidium.
15. Quando iudex partes cogere possit ad transigendum?

16. Tutores, Administratores, aut Prelati Ecclesiarum qualiter possint transigere?
17. Pacta & transactiones obligant successores hereditarios. Secus de aliis successoribus in officio veniens, si pactum sit successivum.
18. Pactum nomine dignitatis initum obligat iure forem.

Transactio communiter describitur, quòd sit *de re dubia determinanda pactio non gratuita.*

Dico I. esse pactiorem *de re dubia*, enim fiat conventio circa rem non dubiam vel non litigiosam, erit tantum pactio genere. vel permutatio, aut contractus nominatus. *Factio ut facias, doli detur* non verò transactio in specie, & consequenter jura de transactione loquentia in pacto non obtinebunt per text: & DD. *l. 1. ff. h. t.* Imò tamen si super re aliqua Adversario mota fuerit, & transactio facta, si tamen ex post facto appareat, tantum tantum fuisse calumniosam sine iustitia gaudi causa intentatam, transactio censetur, & si quid eo nomine datum sit, repetetur, *l. in summa. ff. de Conditione indebiti.* Similiter si transigitur post latam sententiam parte victricis ignorante se sententiam obtinuisse (puta quia absentes Principales per procuratores litigarunt) parte victa id sciens, transactio non valebit, ad instantiam victoris proceditur ad executionem sententiæ. Mynling. *Cent. 4. serv. 47.* Sed hoc, quòd post sententiam transigi non potest, viderur proculdubio intelligendum, si ea ob neglectam vel denegatam ulteriorem appellationem in rem judicatam transferit: facit enim rem judicata causam certam inter partes. Tenet *in l. post rem judicatam. ff. h. t.* Secus si per appellationem legitime interpositam continuanda sit controversia, vel ratione etiam executionis litigium aliquod movendum.

3 Dico II. in definitione *transactionis*, quod sit *pactio in gratuita*: quia ad substantiam transactionis pertinet, ut fiat aliquo dato atque retento, *l. transactio. 38. Cod. eod.* Unde distinguitur à compositione proprie dicta, quod per hanc gratis & amicabilem discedatur à lite; quamvis compositio in latiori significatione etiam pro *transactione* accipiatur.

4 Partio *transactio* licet regulariter de omni re litigiosa fieri possit, excipiuntur tamen curia materiae, tum de jure Can. tum Civil.

4 De *Jure Can.* quidem *transactio* super re spirituali sine labe Simoniae fieri nequit, sed tantum gratuita & amicabile compositio, *cap. super eo. 7. h. t.* Verum id ipsum DD. communiter limitant, ut procedat, si per viam transactionis aliquid temporale detur vel retineatur pro re spirituali, valere autem transactionem & nullam fieri seu committi simoniam sentiunt, si res spiritualis compensetur largitione vel cessione alterius rei aut juris proportionati, v. g. si inter litigantes decimae controversae pro medietate dividantur; si Religiosi pro jure decimandi se obligent ad faciendas conciones vel administranda Sacramenta in certa Ecclesia DD. *ad dict. cap. super eo.* Circa bona autem Ecclesiastica temporalia valet quidem *transactio*, sed ita, ut si propter eam debeatur deveniri ad alienationem alicujus rei immobilis aut mobilis pretiosae, solemnitates ad alienationem requisitae necessario adhibendae sint; juxta eam tamen moderationem, quae traditur in *Lib. III. in tit. de Rebus Eccl. alienandis.* In causa etiam matrimoniali, si de nullitate matrimonii agatur, nulla admittitur *transactio*, sed expectanda est Judicis Ecclesiastici sententia; cum non sit in potestate partium in matrimonio nullo perseverare, vel ab eo rece-

dere. *cap. ult. h. t.* Aliud est in sponsalibus de futuro, quando ab una parte negantur, ab altera asseruntur: tunc enim super illis valet *transactio*, per quam vel ratificentur sponsalia, vel ab illis discedatur, cum ex libero consensu aut dissensu partium dependeat, supposito quod de cetero nullum subsistat matrimonii impedimentum.

8 De *Jure Civili* imprimis super re testamento relicta aliter transigi non potest, quam inspectis cognitisque testamenti tabulis, eo quod ejusmodi transactiones sint captiosae, & facile aliquis inducatur, ut modico praesente contentus magna relicta sive legata, utpote alieno labore parata & inexpectato advenientia facile repudiet. *l. cum hi. 8. ff. l. t.* Accedit, quod publice privatimque interfit, ne ultimae voluntates testamentum deperant, sed quoad fieri potest, conserventur, *l. 1. Cod. de SS. Ecclesiis.* Quare specialiter etiam circa alimenta in testamento relicta statutum est in *d. l. 8.* ut de iis sine auctoritate praetoris transigi non possit. Quia tamen in alimentis specialiter consideratur eorum favor & grave damnum, quod imminere posset alimentando ex eorum subtractione, ideo praedicta constitutio tantum intelligitur, ut super alimentis in futurum transigi non possit; possit autem super praeteritis, quod haec non amplius veniant nomine alimentorum: cum is, cui relicta sunt, haecenus aliunde alitus supponatur, sed cedunt in purum & simplex debitum, *l. de alimentis. 8. Cod. h. t.* Item & de alimentis, quae aliquis sibi inter vivos constituit, recte transigitur: cessat enim tunc favor testamentorum & praesumptio captationis, censetur enim aliquis aequè bene sibi in transactione quam acquisitione prospecturus. *d. l. cum hi. ff. eod.*

10 Præterea de eodem *Jure civili* transigere
Hh 2 qui-

quidem de crimine capitali permillum est: quia licet unicuique proprium sanguinem quovis modo redimere. Et transgens ob declinandum gravissimum periculum, quod ipsi etiam innocenti ex falsis & subornatis probationibus, carcere, tormentis &c. imminere potest) quam conscientiam facinoris transigere censetur. *l. transigere. 18. Cod. h. t.* In aliis tamen criminibus publicis penam sanguinis non irrogantibus transactio conceditur. *d. l. transigere.* Et quidem etiam in ipsis delictis capitalibus transactio quoad unum accusatorem prodest, quoad alios non prodest quò minus novam accusationem instituire possint. Imò tacente omni accusatore, si indicia appareant, Iudex ex officio super commissio crimine inquirere poterit. *l. 2. Cod. de Abolitionib. Fach. Lib. 1. Controvers. cap. 9. circa fin.* Quòd si quis in aliquo iudicio famoso etiam ex privato delicto, v. g. furti, injuriarum, descendente transigat post litem contestatam, censetur confiteri crimen, & notatur infamia. *l. 4. §. fin. cum l. seq. ff. De his, qui notantur infamia. l. 4. §. fin. cum l. seq. ff. De his, qui notantur infamia. l. 4. §. fin. cum l. seq. ff. De his, qui notantur infamia. l. 4. §. fin. cum l. seq. ff. De his, qui notantur infamia.*

- 11 Cœterum si transactio omnibus requisitis concurrentibus perfecta sit, semper quam firmissimè est observanda: quia valdè curandum, ne lites transactione sopitæ resu-

sciantur. Quare transactio non minor vim quam res iudicata habere, nec Imperali rescripto aut alio prætextu rescindi debere dicitur *in l. causas. 16. in l. non minor. 20. & l. sub prætextu. 19. Cod. h. t.* Id quod adhuc magis procedit, si transactioni iuramentum accesserit: notabilis enim est constitutio *in l. si quis major. 41. Cod. eod.* quòd major 25. annis vivens contra transactionem *juratam* Iudice interpellando vel supplicando Principi, non implendo promissa per talem conventionem reddatur infamis. & privetur eorum ex transactione acceptarum proprietate, quæ parti adversæ transactionem evadenti applicatur. Eandem constitutionem non tantum in iuramento propriè dicto, sed etiam in sola fide interposita (sicut in Germania præsertim à personis illustribus solet, ut per fidem suæ nobilitatis procedant.) procedere sentit Glossa *fin. in eo provenit. 2. de Fideiussuribus*, eò quod iuramentum. & fides interposita maxime à personis illustribus equiparentur. Quam sententiam in Camera receptam esse testatur Andr. Gail. *Lib. 2. Pract. Observ. 11. de Pactis. parte 1. §. 2. num. 3.* fidem interpositam & iuramentum distinguunt, ut gantes in poenalibus (quæ sunt strictè interpretationis nec ultra casus expressos extendenda, vulgato *c. odia. 15. de Reg. Jur. in 6.*) de uno ad alterum fieri argumentationem & conclusionem. Imò non desunt, qui putent, hanc legem utpotè valde severam in praxi, maxime in foro Can. non esse receptam.

Quæres I. An contra transactioem saltem ob causam gravis læsionis venire liceat? Inter omnes convenit, quòd propter læsionem etiam gravem, sed quæ non ultra dimidiam partem iustæ æstimationis

nec dolo formali facta, in nullo contractu, minus in transactione, quantum ad forum extremum (in interno enim quavis læsio debet compensari (detur actio, ne quotidie nove lites oriantur, & omnes contractus pultim impugnentur. Dico propter læsionem sine dolo formali factam non dari actionem, propter læsionem etiam gravem, quæ præter propositum contrahentium respici concurrebat. Sin autem *dolus formalis* fore ex proposito interveniat, puta si Adversarius meus instrumenta, quibus causam probare potuissem, mihi clam subtraxerit, & utame ad tranfigendum coegerit, de dolo actio competet. *L. sub pretextu. 19. Cod. h. 1.*

14. Celeberis autem est *controversia*, an si sine dolo in transactione læsio ultra dimidium intervenerit, ea perinde rescindi possit, quam venditio, in qua venditor ultra dimidiam partem iusti pretij deceptus est, juxta *L. 2. Cod. de Rescindenda vend.* Pro negativa fortissimè stringit text. in *L. Lucius 78. §. ult. ff. ad S. C. Trebelliam*, ubi negatur rescissio transactionis super fideicommissio factæ, etiamsi ex instrumentis postea appareat quadruplo plus in hæreditate fuisse, cui ad stipulatur. *d. L. sub pretextu. 19. & 29. Cod. h. 1. L. à divo Pio. 25. §. pignora. 3. ff. de Re judicata. & plures alia, quas refert Fachinæus Lib. 2. Controvers. c. ap. 6.* E contra affirmativa facta dicta *L. in summa. 65. §. 1. ff. de Conditione indebiti*, propter immodicam læsionem aut evidentem calumniam permutatur quis adversus transactionem venire.

Sententia negativa fermè pluribus juris textibus & DD. calculis munita est. Nihilominus tamen tunc Fach. *d. loc.* sententia affirmativa videtur magis tenenda: quia aequitati naturali, ne quis cum alterius

jaçtura locupletetur, & justitiæ commutativæ, quæ aequalitatem inter contrahentes desiderat, est conformior, præsertim si de Jure Can. loquamur, quod ubique maximè circa forum internum aequitatem attendit, & etiam de Jure Civili in omnibus rebus præcipuam esse debere justitiæ & aequitatis, quàm stricti Juris rationem, statuerunt Imperatores in *l. placuit. 8. Cod. de Judicis*. Interim tamen notandum est, in estimatione læsionis debere haberi considerationem dubii litis eventus; unde rarissime continget, ut pars, quæ se prædendit læsam ex transactione, possit probare læsionem ultra dimidium, quia cum transactio debeat fieri super re dubia & litigiosa, propter incertitudinem victoriæ potuisset forsitan in Judicio minus vel etiam nihil consequi, ut monet Fach. *cit. loc.* Ad LL. contrarias superius allegatas dici potest, eas non loqui expresse, nec etiam in *d. l.* de casu læsionis ultra dimidium, ideòque nec illuc extendendas; & in *L. Lucius*, quæ maximè pro altera sententia stringit, ponit quidem JC. casum, quo quadruplo amplius in hæreditate fuit, quàm ab initio expressum; sed non explicat, quod nomine transactionis datum vel retentum sit, quàm dubius tunc temporis fuerit illius litis eventus. Quòd verò dicitur transactionem habere vim juramenti, sententiæ, vel rei judicatæ, contra quod non est remedium, ut argumentatur Gail. *Lib. 2. pract. observ. 70.* Responderi potest, retorquendo argumentum, quòd contra hæc omnia sit ex causa magnæ iniquitatis remedium, ergo etiam contra transactionem. Contra juramentum quidem, quòd quia non debet esse vinculum iniquitatis, & non extenditur ad non prævisa seu præcogitata, retractatur ex causa perjurii. Contra sententiam est notum remedium appellationis. Contra

Hh 3 rem

rem judicatum exceptio, si modus in exequendo excedatur. Item si sententia dicatur nulla ob causam manifesti erroris aut aliam. Si tamen lésionis probatio in continenti fieri non posset, sed requireret altiorrem & longiorem indaginem, non malè faceret Judex priorem sententiam amplectendo, ne lis ex lite cum magno damno & sumptu suscitaretur.

Queritur II. An & quando iudex cogere vel inducere possit partes litigantes ad transactionem.

R. Satis receptum esse, quòd ad officium quidem Judicis pertineat adlaborare, ut partes inter se transigant, aut amicabiliter componant, ne lites cum maximis earum expensis atque offensionibus protelentur, absolute tamen ad transactionem cogere non possit, sicut regulariter nemo iuvitus contrahere aut jure suo privari potest, *L. invitum. II. Cod. de Contrahenda emptione. L. id quod nostrum. II. ff. de Reg. Jur.* Sunt tamen DD. qui in causa valde intricata & diu durante volunt, Judicem per media compulsoria posse partes adigere ad transactionem *arg. cap. placuit. 9. dist. 90. Panorm. in Cap. cum inter. 16. de Elect. num. 9. Barb. de Officio Episcop. part. 3. alleg. 79. num. 9.* qua tamen in re repetenda sunt ea, quæ *supra in tit. de Officio Judicis* tradidimus. Sed nunquid poterit iudex suadere transactionem, si alterutrius partis Jura sint clara?

R. Negative, ne videatur de jure unius dare alteri sine causa; cum cuique dare debeat, quod suum est. Limitatur, nisi aliæ circumstantiæ aliud suadentes concurrerent: ut si partis condemnatæ appellatio sumptuosa (quamvis fortè frivola) vel novæ lites aut difficultates circa executionem sententiæ timerentur. *Panor. in cap. fin. l. t. num. 7.*

Queritur III. An & qualiter Tutores Curatores, Ecclesiarum, vel aliorum locorum Administratores, aut Prælati in rebus alienis suæ curæ commissis transigere valeant?

R. Cùm transactio sit species alienationis, quæ vel jus vel rem nobis competentem, aut quam credimus competere, dimittimus. *Arg. L. 1. §. utrum d. juncto. ff. Si quid in fraudem.* Ideoque hæc questio ab ea dependet, an & qualem personam enumeratam in rerum suæ curæ committiturum alienationibus potestatem habeant, sicut Tutores ac Curatores bona immobilia & alia servando servabilia suorum pupillorum sine decreto Magistratûs alienare non possunt, nec Prælati bona immobilia aut mobilia pretiosa suarum Ecclesiarum sine debitis solemnitatibus, ita nec superius transigere. Videatur *Gail. lib. 2. serv. 72.*

Queritur IV. An pacta & transactiones obligent etiam successores?

R. Distinguendo inter successorem hereditarium & successorem ex officio: nam ille, qui jure hereditario succedit, distans procul contra factum defuncti ceterorum validum venire & pactum vel transactionem tollere non potest, quia hæres succedit in omnia jura defuncti tam activa, quam passiva. Successor autem in dignitate vel officio regulariter non aliter tenebitur hereditario pacto vel transactioni sui antecessoris, quando exinde sibi vel Ecclesiæ præjudicium generatur, quàm si pactum illud cum auctoritate superioris factum sit: res enim inter alios acta aliis obesse non debet. Nam que hic successor habet causam vel titulum à suo antecessore, sicut hæres, sed collatione aut institutione collatoris seu superioris. Unde si *lv. g. Beneficiatus* alteri censum annuum in suo beneficio

consensu Episcopi constituitur, ipse quidem in vita sua obligabitur, non vero etiam successoribus. *Cap. de catero. s. b. t.* Item si cum parochi per decimis fiat aliqua compunctio sine auctoritate Episcopi, ea personis tantum, non realis nec in successorem transitoria censetur. *Cap. veniens. s. eod. tit.* locationem quoque à prædecessore factam à successore, etiam nondum elapso locationis tempore revocare posse, docet Covarr. *Var. Resol. lib. 2. cap. 15. n. 6.* Sed hoc intelligendum videtur, si sit pactum successivum, quod etiam successorem ad aliquid de facto præstandum vel tolerandum oneraret: secus, si simul & semel expeditum, sicut in alienatione rei, quæ potest sine solemnitate alienari: nam tunc statim transferitur dominium & succedit regula, quod nostrum est, amplius sine facto nostro nobis auferri non potest. Item quod Princeps, qui superiorem non recognoscit, si nomine dignitatis faciat pactum, id etiam successorem obliget, tradit Panorm. in cap. 1. de Probat. n. 1. Barb. ibid. n. 7.

TITULUS XXXVII.

De Postulando.

SUMMARIA.

1. Quis sit postulare?
2. Postulatus alieno nomine sunt Advocati.
3. Advocatus debet aliquando gratis advocare.
4. Qui postulare non possunt?
5. Clerici postulare prohibentur in iudicio seculari: & Religiosi absolute nisi de licentia speciali sui Prelati.
6. Quamvis sint persone conjunctæ, pro quibus Clerici postulare possunt?
7. Clerici quibuscumque dare possunt consilia.
8. In Advocatus non passim recipiuntur, nisi in iure iurati & graduati.
9. Advocati ab injuriis debent abstinere.

10. Prohibetur eis pacisci de quota litis: non de salario: & quæ ratio differentie?
11. Exponitur tex. in L. per diversas. C. Mandati circa redempciones alienarum litium.

In hoc titulo notandum est I. quòd postulare sit desiderium suum vel sui amici, cujus negotium geritur, in iudicio exponere, vel alterius desiderio contradicere, nam & qui contradicit, postulat aliquid, nimirum ut à petitione, quam Adversarius intentavit, absolvatur *L. 1. §. 2. ff. h. t.*

Notandum est II. quòd postulantes alieno nomine *Advocati* dicantur, quos aliquando litigantes sibi ipsis constituunt, aliquando iis petentibus vel etiam ex officio Magistratus ordinarius decernit, veluti si partes principales propter impedimentum juris aut facti per se ipsas postulare, vel propter notoriam egestatem Advocatum acquirere non possint. *L. 1. §. ait prator. 4. ff. eod.*

Notandum est III. quamvis Advocati non teneantur gratis litigare, & servitium suum alteri impendere, si tamen tenuiores sint litigantes, quam ut sumptus suppeditare valeant, potest iudex ex officio (ut dictum) aliquem advocatum deputare, isque gratis advocare debeat, & poterit ad hoc compelli sub pœna pecuniaria, & etiam privationis officii, per text. in *L. providendum. 7. C. h. t.* prout Medicus ægrum pauperem gratis curare & præmium à Deo expectare debeat. Sed & illud hoc loco observandum, quòd Advocatus, aut hæres ejus totius anni salarium exigere possit, si per eum non steterit, quo minùs officium suum exhiberet, vel æger in initio aut medio anni mortuus sit. *L. post duos. 15. §. his quoque Cod. de Advocatis.*

Notandum IV. præter eos, qui iure civili à postulando prohibentur, uti sunt mino-

minores, furdi (qui iustus Magistratus exaudire non possunt, intelligendo, quod secundum stylum Iudicii postulatio debeat verbaliter & praesentialiter fieri (fæminæ, quarum verecundiæ non convenit virilia officia subire, aut alienam defensionem suscipere, infames & cæteri, qui enarrantur in *tit. ff. & Cod. h. t.*

5 Insuper de Jure Can. interdictum est Clericis etiam in minoribus ordinibus constitutis, si stipendiis Ecclesiasticis sustententur, ne in secularibus negotiis aut coram seculari iudice postulare præsumant, nisi pro se aut pro sua Ecclesia vel pro conjunctis aut miserabilibus personis. *cap. 1. h. t.* Religiosis verò ne quidem pro utilitate sui monasterii aliter postulare permixtum est, quam si specialem licentiam Abbatis obtinuerint, *cap. 2. eod.* cum hac tamen licentia non tantum pro ipso monasterio, sed etiam pro amicis monasterii iusta aliqua de causâ etiam in foro seculari regulares postulare posse, tradit Barb. *ad dict. cap. 2. num. 2.* cum Innoc. in *cap. 22. de Sententia & re iudicatâ.*

Notandum. V. Quia Clericis tantum prohibitum est, nec in foro seculari postulent, idè a contrario sensu in foro Ecclesiastico non tantum pro se, sed etiam pro aliis extraneis postulare posse, communiter innuunt DD. idque consuetudine Curie Romanæ receptum esse testatur idem Barb. *ad c. 1. h. t. n. 7.*

6 *Notandum. VI.* Appellatione conjunctarum personarum, pro quibus Clerici in foro etiam seculari postulare possunt, secundum probabiliorem sententiam non venire nisi conjunctas conjunctione sanguinis, non verò conjunctione affectionis. Unde quamvis appellatione fratris quandoque intelligatur amicus fraternâ charitate dilectus. *l. nemo dubitat. 58. §. 1. ff. de Hereditibus*

*instituentis. & favores ampliandi videtur: id tamen procedit, nisi per talem sententiam sequatur, vel saltem facile sequi possit notabilis inconvenientia, nimirum ut Clerici sub prætextu amicitiae pro quibuslibet postulent & se secularibus libris immiscendo à Divinis abstrahantur. Verum licet Clerici non possint more Advocatorum agere causas in iudicio seculari ad se vel suos non pertinentes, possunt tamen facere & dare partibus consilia: quod consulentes non veniunt nomine Advocatorum, cum nihil in iudicio postulent, nec res per se exerceant. Text. & Barthol. in *1. §. Advocatos. 11. ff. de Variis & extraordinariis cognitionibus Panormi. rubr. h. t. num. 2.**

Notandum. VII. Circa Advocatorum debere Judicem aliqua attendere: nimirum.

I. Ne advocacionis officio se ingerant, qui in iure periti non sunt; imò hoc in Reversibus Imperii & consuetudine generalium omnium ferè majorum Tribunalium non permittuntur advocare, nisi qui gradum Licentiæ in Jure & specialiter facultatem advocandi à Iudice obtinuerint. Interque in multis locis libelli partium non recipiuntur, nisi ab aliquo Advocato recepti, subscripti sint, ne quibuslibet concedatur libellos & scripturas facere, qui fortè iustitiam causæ ob imperitiam vel malitiam impendunt.

II. Ne peritissimi Advocati ab una parte, sed ut æqualiter utrinque dilabentur, ne alterutra pars ob inopiam Patroni succumbat *d. l. providendum. C. h. t.*

III. Ne Advocati convitiis se involucrent, famosas scripturas conficiant, quo si exceßerint poenâ pecuniaria secusdum arbitrium Iudicis & qualitatem causæ

quis promanantur. l. quisquis. 6. §. 1. C. cod.
Et si quod nonnunquam imprudenciores
solum in ipsum Judicem injurias effude-
runt, et eodem taliter injuriato puniri pos-
sunt arg. 6. 1. de Pams. in 6. & l. nullum.
14. C. de Test.

III. Ne Advocati de quota litis, id est,
certa parte in casum victoriae sibi attribu-
enda paciscantur, & multo magis ne alienis
lites redimant, id est, ne causas litigiosas
emant, aut quocumque modo sibi ac-
quirant; & sic dubias & intricatas actiones
a Principalibus forte nunquam intentandas
ipsi suscipiant, & pacem inter homines per-
turbent. *Lo. sigui. s. Cod. h. t.*

Sed cur licet pacisci de salario, & non
de quota litis? Resp. propter majus pericu-
lum promovendi calumniosas lites, quia
si paciscens de quota litis non obtinuerit
victoriam, nihil habebit, salarium autem
debetur Advocato sive vincenti, sive victo.
Circa redemptiones alienarum litium est no-
tabilis constitutio. *L. per diversas. 22.
& seq. C. Mandati.* quod reus debitor,
si perdidit causam, quam alius emit,
non teneatur plus solvere emptori litis,
quam is pro pretio dedit venditori sive
vero creditori; solent autem tales causae li-
tigiosae propter dubium litis eventum mi-
nimo pretio emi. Excipiuntur tamen ibi-
dem simplex & gratuita actionis litigiosae
donatio, dummodo nil in fraudem litis at-
tenteur, ut scilicet simulata donatione ex-
terna clam verus emptionis contractus ce-
lebratur.

TITULUS XXXVIII De Procuratoribus.

SUMMARIA.
1. Quis sit Procurator? Estque alius judicialis, alius
extrajudicialis.
ENGL IN DECRET. LIBER. I.

2. Advocati solent simul constitui Procuratores.
3. Quinam sint Procuratores in rem suam?
4. Dare Procuratores Domini rei, de qua agitur, non
tutores, curatores vel Syndici ante litem con-
testatam: sed bene post.
5. Aminores mente capiti, excommunicati ad agendum
non possunt dare Procuratores.
6. Procuratores dari non possunt, mulieres, milites, po-
tentes, redemptores aliarum litium.
7. De iure Canon. infames Procuratores esse non possunt,
est secus sit de iure Civile.
8. Nec Religiosi sine licentia Praelati, nec minores 25
annis.
9. Procurator ad litem post litem contestatam, & Pro-
curator ad negotia quaecumque alium sibi
potest substituere, extra causam matrimonii
contractualem.
10. Idem quod in matrimonio, in aliis gravioribus cau-
sis obtinet.
11. Procurator in iudicio debet exhibere mandatum a
suo principali, exceptis quibusdam casibus.
12. Procurator, seu defensor rei, quomodo sine man-
dato admittatur?
13. In quibusdam casibus & articulis non sufficit gene-
rale mandatum.
14. Limitatur, quando datum est mandatum cum
libera.
15. Litterae Credenciales in quantum obligent scriben-
tem.
16. Gesta per falsum Procuratorem sunt irrita, nisi
ante sententiam ratificentur.
17. Negligentia Procuratoris nocet Domino, ita tamen
ut Procurator maneat obligatus Domino ad
interesse.
18. Quomodo cesset officium Procuratoris per revoca-
tionem.
19. Morte mandantis finitur mandatum re integra:
secus re non integra.
20. Fallit tamen haec regule certis in casibus hic enu-
meratis & in specie in mandato ad pias cau-
sas, ut n.
22. Per mortem Procuratoris etiam expirat manda-
tum litem per eius renunciationem.

Procurator est, qui aliena negotia man-
dato Domini administrat, estque alius
Procurator extrajudicialis, qui Procura-
tor ad negotia, & alius judicialis, qui
Procurator ad lites dicitur. Differt autem
procurator ad lites a Postulatore sive
Ad-

Advocato, quod *Advocatus* solummodo jus & causæ merita alleget, *Procurator* verò personam *Principalis* actoris, vel rei subeat, sumptus liti suppeditet, pro *Principalis* in iudicio compareat, sententiam excipiat, & reliqua, quæ ad instructionem seu prosecutionem causæ maximè ex facto pertinent, ipse peragat. Hodie tamen plerumque *Advocati* solent simul constitui *Procuratores*; quia facilius est partibus, tum ad sumptus, tum ad alias incommoditates evitandas eundem habere *Procuratorem* & *Advocatum*, sicut in *Camera Spirensi* receptum esse testatur *Gaillius lib. 1. Obs. 44. num. 8.*

Porro ex *Procuratoribus* aliqui dicuntur in *rem suam* constituti, quo nomine intelliguntur illi, qui aliquam obligationem, debitum aut actionem liquidam (non litigiosam, nisi fortè ex divisione hereditatis, vel immisione in possessionem bonorum sibi obtingentem *l. per diversas. 22. Cod. Mandati*) emerunt, aut quoquo modo sibi compararunt. Cum enim per cessionem tantum utiles actiones transeant, directe verò penes cedentem maneat, talis cessionarius non propriè *Dominus* dici potest, sed *Procurator*, cum addito tamen, in *rem suam* (quod enim obtinuerit, ipsi acquiritur) appellatur. Circa *Procuratores* tam *judiciales*, quam *extrajudiciales* aliqua pro usu quotidiano breviter notanda sunt.

Notandum igitur I. Quòd dare *Procuratores* omnes possint, qui *Domini* sunt rei, de quâ aliàs agitur, & aliàs facultatem habent illam administrandi. Unde e contrario *Syndici* universitatis, *Tutores* & *Curatores* non *Procuratorem* judicalem, sed *Actorem* & *Advocatum* tantum constituere debent usque post litem contestatam: tunc autem utpote *domini litis* effecti

ad exemplum aliorum *Procuratorum* aliam *procuratorem* rectè substituere possunt, neque *tutores. 11. C. h. t. Item Pupilli Minores, Furiosi, mente capti & similes* licet *Domini* sint, quia tamen rerum suarum administrationem non habent, *procuratorem* constituere non possunt. Excommunicatus etiam, quia agere non potest *Procuratorem* ad agendum non rectè constituit, *e. fin. h. t.* cum tamen convenit ab alio defendere se possit. *cap. dilecti de Except.* idèò *Procuratorem* ad defendendum dare non prohibetur. Quis *Universitatis* alicujus, *Civitatis*, vel *legii* *Rectores* vel *Jurati* sint excommunicati, nihilominus poterunt reliqui de *Universitate* ipsius *Universitatis* nomine *procuratorem*, dummodò ipsi excommunicati in literis *procuratoris* expressè non sint, vel ipsorum autoritate institutus fiat. *d. cap. fin. h. t.*

Notandum II. Quòd dari *Procuratores ad negotia* generaliter possint omnes qui sunt capaces illius negotii exequendi. Ad *lites* autem aliqui specialiter prohibentur, ut

I. De *Jure Civili* mulieres, quæ pro beneficio *Senatusconsulti Velleiani* aliis efficaciter intercedere non possunt. *alienam. 18. C. h. t.*

II. *Milites*, ne à castris abstrahantur. *7. Codic. eod.*

III. *Potentiores*, qui propter suam potentiam formidolosi sunt *Adversario*. *Cod. Ne potentiores.*

IV. *Redemptores alienarum litium*. *Cod. hoc tit.* Non tamen infames, et postulare non possint, quia postulatio est dignitas quædam, *procuratio* autem vilis est. *cap. fin. Instit. de Exceptionibus de re Can.* tamen infamis pro clerico non potest dari *procurator*, sed pro laicis, *Panor.*

imperatorum. 4. n. 9. de Juramento ca-
lumniae. cap. 1. & 2. causa. 3. quest. 7.

V. De Jure Can. Religiosus sine licentia
Prælati non potest dari Procurator, nequi-
dem pro Religioso sui, vel alterius mona-
sterni, nisi pro suo in eadem lite confor-
te. Unde tametsi, qui Religiosus Procurato-
rem constituit, eidem det licentiam vel per
se tradendi, vel alium substituendi, nihil-
ominus Religiosus sine licentia Prælati ta-
le mandatum suscipere non potest. *Clem.
y. hoc tit.*

VI. Quidquid sit de Jure Civili, an ma-
ior 17. annis possit dari procurator ad lites,
prout disputant Interpretes ad §. eadem le-
ge. 4. Instituit. Quibus ex causis man-
mittere non licet. de Jure Can. est certum,
quod minor 25. annis procurator non possit
dari, *cap. qui generaliter. 5. in fin. hoc
tit. in 6.* ne scilicet propter beneficium re-
stitutionis in integrum elusorium reddatur
judicium. *l. minor. 51. ff. eod. tit.* Ceterum
illud de eodem jure Can. expressum est,
quod Procurator generaliter datus ad nego-
tia etiam in iudicio agere possit. Exceptis
his, que speciale mandatum requirunt, *d.
cap. qui generaliter.*

Notandum III. quod quamvis procura-
tor *Judicialis*, antequam per lites conte-
stationem fiat Dominus litis, alium substitui-
tere non possit, nisi sit Procurator *in rem
suum*, vel à Domino substituendi potesta-
tem acceperit, procuratores tamen ad nego-
tia possunt liberè quancumque alium
substituere, *cap. 1. §. licet. hoc tit. in 6.*
Excipitur tamen procurator ad matrimo-
nium contrahendum, qui propter magnum
matrimonij præjudicium sine speciali man-
dato Principales sui alium substituere non
potest. *c. fin. eod. tit. in 6.* Licet verò in hoc
c. fin. tantum causa matrimonialis excipia-
tur, paritas tamen & æquitas rationis idem

suadere videtur in alijs quoque negotijs ma-
gni momenti, & ubi de gravi præjudicio
agitur, tunc enim censetur in procurato-
re electa industria personæ, & proinde sub-
stitutioni locus haud erit, ut dicit Menoch.
de Præsumpt. præf. 38.

Notandum IV. quod Procurator *Judi-
cialis*, antequam admittatur ad agendum,
debeat suum mandatum, per quod consti-
tutus procurator sit, exhibere. Sunt tamen
certi casus, in quibus mandatum præsumi-
tur, saltem eatenus, ut sufficiat, si procura-
tor cautionem de rato præstet, hoc est,
affectationem faciat, Principalem totum,
quod gerendum est, ratum habiturum, id-
que tunc maxime procedit, si Principalis
longè sit absens, & negotium celerem ex-
peditionem desideret. Casus autem tales
sunt. I. In quo præsumitur mandatum ex
conjunctione sanguinis. *l. sed & h. 35. ff.
hoc tit.* II. Si constet Dominum esse præ-
sentem neque contradicere procuratori, *l.
qui patitur. 18. ff. mandati.* III. In marito
agente in rebus uxoris, *l. maritus. 21. C. h. t.*
IV. Si quis instrumenta habeat ad causam
pertinentia. V. Etiam Procurator Rei sive
Defensor etiam sine mandato admittitur,
dummodo præter cautionem de rato insu-
per caveat *judicatum solvi*, id est, pro-
mittat per fidejussores vel pignora se solutu-
rum in casum condemnationis, quod per
sententiam pronunciatum fuerit: quia faci-
lius admittitur procurator ad defendendū,
quam agendum, cum defendere sit necessi-
tatis, agere voluntatis *arg. l. servum. 33.
§. 2. ff. h. t.* Verum in certis negotijs & cau-
sæ articulis, majoris momenti & præjudicij,
ut in delatione juramenti, item in Juramen-
to in animam Domini præstando, in peti-
tione restitutionis in integrum, in transacti-
one & similibus, non sufficit aliquem ge-
neraliter esse constitutum procuratorem,
li 2 & mul-

& multo minus in istis mandatum præsumitur, quantumvis persona conjuncta sit. Imò tamen si dixerit Principalis: *Constituo te Procuratorem etiam in iis, quæ spectale mandatum requirunt*; nihilominus hæc clausula adhuc nimis generalis est, & procedit regula, quod *in generali concessione non veniant ea, quæ quis verisimiliter non fuisset in specie concessurus*. Quod si autem insuper quædam in specie expresserit, tunc procurator minora quidem poterit, majora verò non poterit, *cap.*

14 *qui ad agendum. 4. hoc tit. in 6.* Limitatio tamen communis ponitur, nisi mandatum generale fiat cum potestate plena ac libera, quale mandatum sic clausulatum habens Procurator *cum libera* vocatur, atque ea etiam, quæ alias speciale mandatum requirunt, regulariter facere potest, nisi valde ardui præjudicii sint, de quibus probabiliter non fuit cogitatum tempore mandati; sicut etiam talis procurator donare res principalis non potest. *d. cap. qui ad agendum in fin. l. filius famil. 7. in pr. ff. de Donat. Tex. & DD. in l. procurator cui generaliter. 58. ff. hoc tit. Garc. de Ben.*

15 *p. 5. cap. 8. num. 72.* Huc apponi potest, quod in simili docet Bartolus *in l. Lucius. 24. ff. de Fidjussoribus*, quod literæ creditales (quæ dari solent Legatis & etiam Procuratoribus à magnis Dominis missis) in quibus generatim continetur, ut offerenti eas plena fides habeatur, non obligent in omnibus, & per omnia ipsum scribentem, si Procurator vel Legatus aliqua præter vel contra mandatum dixerit aut egerit, secus verò si fides literis habenda magis specificata sit, v. g. *tatori huic plene à me informato habeatis omnem fidem, vel fidem ei habeatis in omnibus meo periculo, &c.*

16 *Notandum V.* quamvis gesta in Judicio per falsum Procuratorem, id est, non ha-

bentem legitimum mandatum, vel non legitime constitutum, ipso jure irrita sunt. *licet. 24. Cod. hoc tit. cap. in nullo. eod.* si tamen ante sententiam definitam dominus ea rata habuerit, retrocedat hæc rati habitio, & fictione juris censetur omnia ab initio valuisse: rati habitio enim mandato comparatur.

Notandum VI. quod negligentia Procuratoris noceat Domino: sibi enim imputare debet, qui negligentem procuratorem constituit; sed id verum est quoad adversarium, ut causa per negligentiam procuratoris perita maneat perita, non vero quoad ipsum procuratorem, à quo per actum mandati Dominus sua consequi potest. Si autem procurator solvendo non sit, tunc ex æquitate Domino petenti in integram restitutionem conceditur, si nulla ei culpa potest imputari, quod negligentem procuratorem melius invigilavit, idque ex generali clausula Prætoris, ut docet Gail. *Lib. 1. Ob.* 45. Circa Advocatos constitutum est, quod illorum error non noceat parti principali nisi præsens fuerit, & intra triduum contradixerit, vel debito tempore non appellaverit. *tot. tit. C. de Error. advoc.*

Notandum VII. quod officium Procuratoris exspiret imprimis per revocationem principalis factam re integrâ, & eodem ante litis contestationem dominus procuratorem etiam sine causâ, post litem contestatam non aliter, quam ex legitima causâ revocare potest. *cap. 2. hoc tit. in l. post litem. 17. cum seqq. ff. hoc tit.* de si post litis contestationem fiat revocatio, necesse est, ut iudex de causa cognoscatur, procuratorem revocandum citet & auditurum fortè ipsius interfit non revocari mandatum. Potest autem interesse procuratoris propter expensas in litem factas, quæ Principalis refundere tenetur, tamen si cau-

si sine culpa tamen procuratoris, malum exitum sortita sit, Barb. & DD. in cap. cum pro causa. 6. hoc tit. vel quia ipsi tota aut pars actionis cessa est; vel quia ob revocationem periculum fame patitur; propter solam autem regulariter interesse non potest: quia mandatum de sua natura est contractus gratuitus, nisi Dominus velit remunerationem voluntariam facere. Si fiat pacto de mercede vel salario, potest quidem interesse, sed tunc magis erit operatum locatio, quam simplex mandatum procuratorum, §. fin. Dist. de Mandato. l. 6. in princ. ff. eod. Causa vero revocationis potissima est suspicio collusionis, v. g. propter affinitatem, vel singularem amicitiam cum adversario supervenientem, aut negligens vel morosa prosecutio. Imò cum mandatum de sua natura potius onerosum, quam lucrosum sit, hoc ipso suspicio contra procuratorem oritur, si id deponere post revocationem sine legitima causa renuat. l. qua omnia. 25. ff. h. t. Gloss. in c. mandato. 13. Verbo. revocato. eod.

Quod si procurator, dum negotium Principis ageret, casu fortuito velut per latrones, res suas amiserit, Dominum non teneri, docet Panorm. in cap. cum pro causa. 6. h. t. Sylvest. Verbo. Procurat. vers. sed nota. Text. in l. inter causas. 26. §. non omnia. 6. ff. Mandati. Non obstat regula: quod officium suum nemini debeat esse damnosum: quia intelligitur quoad damnum directè ex officio, non ab extrinseco proveniens; prout in simili, quamvis res commodata non fuisset peritura casu fortuito apud commodantem, nisi eam commodasset, non tamen propterea commodatarius ad restitutionem hujus damni obligatur. Præterea hic subnotandum, quod procurator, qui ignorat revocationem factam (forlan quia literas revocatorias non

accepit) validè procedat in negotio (excepto matrimonio) c. auditis. 8. h. t. c. fin. eod. in 6. Imò tenet iudicium actum cum procuratore revocato, si revocatio soli quidem procuratori, non etiam Judici vel adversario innotuerit, sibi que imputabit Principalis, quod de revocatione Judicem vel Adversarium non certioraverit. cap. mandato. 13. hoc tit. Gloss. ibid. in verb. revocato. & in cap. quamvis. 2. verb. revocari. eod. in 6.

Notandum VIII. mandatum etiam morte mandantis solvi re integrâ, antequam negotium inchoatum, vel lis contestata sit. Unde hæredes mandantis non tenentur de actu procuratoris, quem is gessit post mortem mandantis, dummodo mors ista procuratori cognita fuerit; d. l. inter causas. 26. in princ. & l. si precedente. 58. ff. Mandati. post litem autem contestatam, si mors principalis evenierit, procurator ad lites, utpote jam Dominus litis effectus, rectè procedere potest. l. nulla dubitatio. 23. C. h. t.

Verùm hæc regula, quod morte mandantis revocetur officium procuratoris, si res sit integra, (secus si non fuerit integra) fallit primò in procuratore Prælati vel Clerici cujuscunque in causa Ecclesiæ vel beneficio constituto: nam is per mortem Prælati aut Clerici censetur revocatus etiam quoad negotia jam ccepta, & actiones, quibus lis fuerat per ipsum procuratorem ante mortem sui principalis contestata, Clem. ult. hoc tit. succedit enim tunc alius in dignitate vel beneficio, qui non tenetur factum vel contractum sui antecessoris præstare: quod non tantum de morte naturali, sed etiam civili, depositione scilicet Prælati intellexit Rota Romana. decis. 28.

Secundò, ex probabili sententiâ non revocatur mandatum morte mandantis, si factum

Etiam fit ad pias causas: puta, si quis pecuniam alicui dedisset pauperibus distribuendam, & ante distributionem mortuus esset. Iste mandatarius deberet pecuniam etiam post mortem dantis in pauperes distribuere argumento ducto ab aliis favorabilibus causis, in quibus mandatum morte mandantis non finitur, velut si quis iusserit puellæ dotem dare, aut servo libertatem. *l. si ego. g. ff. de fure dot. l. si pater. 4. ff. de Manu- missis vindicta. Covar. Var. Resolut. lib. 3. cap. 14.*

Tertiam, fallentiam ponit Mynf. *Cent. 2. obser. 84.* si Dominus satisdedit de iudicatum solvendo procuratore consentiente, ubi præterea ex Bartolo *in L. si defunctus. 15. ff. h. t.* dicit, quod mors Principalis hodie ferè nunquam procuratorem revocari faciat, propter clausulam satisfactionis, quæ instrumentis procuratorijs semper solet adjici.

22 *Notandum ultimum*, quod per procuratoris mortem mandatum quoque expiret, cum industria personæ electa censeatur, ideoque hæres ejus sine nova voluntate principalis in officium procuratoris non succedit. *l. si quis. 27. §. morte. 3. ff. Mandati. Vallenf. hoc. tit. §. 7. num. 5.* Et denique procurator adhuc in vivis existens mandatum suum Domino renuntiare potest, dummodo tempestivè renuntiet, ut Domino adhuc integrum sit sine suo damno alium procuratorem constituere: si verò procurator post moram longiorem illam renuntiationem facere vellet, non aliter audiendus foret, quam si legitimam causam v. g. adversam valetudinem, inimicitiam novam cum Principali allegare possit. *l. si mandavero. 22. §. finali, cum l. seq. ff. Mandati.*

* * * * *

TITULUS XXXIX.

De Syndico.

S U M M A R I A.

1. Universitates loco procuratoris constituunt Syndicum & quid sit hic Universitas?
2. Quomodo hic differat ab administratore vel Oeconomo, aut actore universitatis?
3. Regulares non possunt esse Syndici.
4. Quomodo constituitur Syndicus?
5. Syndicum ab Universitas constitutum solus Prælati revocare potest.

Universitas (quo nomine quilibet collectio hominum unum morale corpus constituens, ut Civitas, Collegium, Monasterium, Collegium Studiorum, Civium aut Opificum intelligitur) agere nec utiliter convenire potest, nisi communi nomine unam certam personam se constituat. Unde sicut is, qui ad negotium vel litem alicujus privati gerendam deputatus est, Procurator dicitur, ita deputatus ab aliqua Universitate Syndicus appellatur. Differt autem Syndicus ab Administratore vel Oeconomo, quod hic in administratione pecuniæ aliorumque negotiorum extrajudicialium, ille in litem prosequendis versetur. Differt etiam ab Actore universitatis, quod Actor ad certam tantam Syndicus ad omnes causas datur. Sed tantum actor & Syndicus inter se frequenter in causis nonibus & legibus confunduntur. In Regularibus est speciale, quod quidem Actor seu Procurator in aliqua particulari causa cum licentia Prælati esse possit, non vero Syndici etiam proprii Monasterij, sed Prælati debet aliquem extraneum constituere, ne per forenses lites nimium abstrahatur. *Cap. un. h. t.* Porro an in instrumentis in quo constituitur Syndicus, debeant Regularium nomina, qui sunt de universitatibus

inferior. & quid circa subscriptionem nominum generaliter dicendum in omni instrumento nomine Universitatis confecto, vana sentitur. Alii cum Bart. in l. i. ff. de Albo scribendo. distinguunt inter alienationem factam ab Universitate, & alios actus. In alienatione singulorum nomina requirunt: in alijs actibus subdistingunt, an Universitas sit parva vel populosa? Si parva, etiam singulorum nomina petunt, non vero si populosa. Solam quoque sigilli appressionem sine subscriptione sufficere docet Panorm. h. i. num. 9. & Consilium sive Senatuum alicujus Universitatis posse constituere Syndicum, quia repræsentat ipsam universitatem, tradit Caltren. in l. nulli. 3. ff. Quod cuiusque universitatis nomine. Quia tamen in re potissimum ad consuetudinem locorum attendendum est, quæ plerumque habet, ut præcipui alicujus Universitatis Officiales sive in alienatione sive alijs negotijs subscribant, alijs enim sigillum sine subscriptione solet dicit testis minus, qui nihil loquitur, & experientia constat, sigilla aliorum facile ab alijs posse subdici, aut effingi.

Notat demum Panorm. h. i. num. 6. quod Syndicum cum consensu Abbatis & Capituli constitutum possit solus Abbas revocare: cum enim ipse solus possit agere in causis sui Monasterij. cap. edoceri. 21. de Rescript. potest etiam solus revocare Syndicum & in se assumere actionem.

TITULUS XL.

De his, quæ Vi, Metusve causâ fiunt.

SUMMARIUM

1. Quæ vis sit & metus?

2. Acta ex metu rescinduntur, non autem sibi ipsa jure nulla.
3. Quæ differentia inter metum & dolum in contractibus bonæ fidei.
4. Juramentum metu extortum valet, sed ab eo petitur absolutio.
5. Non tamen confirmat contractus alios invalidos.
6. Matrimonium ex metu gravi contractum est nullum: & idem est desponsalibus, & in quibusdam alijs casibus ut n. 7.
8. Actio metus causâ datur non tantum contra metum inferentem, sed etiam contra tertium possessorem.
9. Etiam per levem metum extorto in judicio animæ sunt restituenda.
10. Quædam ex metu gesta rescindi non possunt.
11. Metus ut actionem pariat, debet esse cadens in constantem virum.
12. Quis metus dicatur justus.
13. Ob metum non licet sacræ peccatum mortale, imò nec veniale.
14. Leges humanae in gravi metu per se non obligant: secus est, si in contemptum Ecclesiæ incutiuntur.
15. Metus reverentialis per se non est justus metus.
16. Quomodo metus debeat esse præsens?
17. Remedium juris contra minas est cautio de non offendendo.
18. Metus debet esse ab extrinseco, non ab ipso metum passio proveniens.
19. Et debet esse pro obligatione eliciendâ incussus.

Inter causas, quæ homines ad judicia trahunt, non infrequens est vis, vel metus alicui illatus, de quibus propterea post liberam actionem pacti, transactionis aut mandati hic agitur. Quamvis autem omnia, quæ ex violentia alicui illata fiunt, metus quoque facta censeantur, non tamen e contra, quæ metu fiunt, etiam vi facta intelliguntur. cap. sacris. s. hoc tit.

Est igitur vis majoris rei impetus, qui repelli non potest L. 2. ff. Quod metus causâ. Et distinguitur à DD. in vim veram & modificatam. Vis vera est corporalis quædam coactio ad faciendum id, quod iubetur: puta, ut si jussio flectere ante Idolum, per violentiam incurventur genua adeoque mere

merè se habet in externa actione. Vis *modificata* dicitur à particula *moralis*: ut, quando videlicet externa violentia adhibetur, ut voluntas, quæ propriè cogi non potest, cùm sit intrinseca, ad aliquid consentiendum eliciatur.

Metus dicitur *mentis trepidatio* instantis, vel futuri periculi causâ; quæ trepidatio non tantùm propter violentiam de facto illatam, sed etiam inferendam contingere potest. Porro quæ fiunt *vi, metusve causâ*, dicit Prætor l. 1. ff. *Quod metus causâ, se rata non habiturum*. Unde communis est Interpretum sententia, quod gesta ex metu ipso jure valeant, sed tantùm per sententiam Judicis rescindantur: habent enim causam obligationis, nimirum consensum (nisi propter vim veram sine omni consensu aliquid actum esset) cùm etiam voluntas coacta sit voluntas. *Si metu coactus adii hereditatem*, inquit JC. in l. ff. *mulier*, 21. §. *penult. ff. Quod metus causâ, puto me heredem effici, quia quamvis, si liberum esset, noluissem, tamen coactus volui: sed per prætorem restituendus sum*.

Dices in l. *qui carcerem*, 22. ff. *eod. tit.* simpliciter dicitur, obligationem metu extortam nullius esse momenti, ergo non indiget rescissione Judicis. N. Illa verba, *nullius esse momenti*, debere intelligi, non quòd ipso jure sit nulla obligatio, sed quòd ad futurum rescissionis effectum. Ut enim leges legibus concordentur, quandoque verbum aliquod in diverso sensu, & non ita rigide accipiendum est. l. 2. §. *contrarium*, 1. §. *de Veteri jure enuct.*

Dices iterum: contractus *bonæ fidei* metu initi sunt ipso jure nulli, quia *dolus* dans causam contractui *bonæ fidei* facit contractum nullum, ut notant communiter DD. ad l. 7. ff. *de Dolo*. at verò, qui metu facit,

etiam dolo fecisse intelligitur. l. *item*, 11. §. *eum*, 13. ff. *h. t.*

Et circa metum non fieri distinctionem inter contractus *bonæ fidei* & *stricti juris*, neque inter metum *incidentem* in contractum, & *dantem causam* contractui, teste Henr. Zoëf. h. t. n. 3. Non obstat, quòd in metu dolus insit; quia hoc procedit, quatenus dolus in genere significat omnem malignam alterius *lesionem*, non autem tantum magis propriè, & specificè signat callidam *machinationem* & *circumventionem*, quæ circumventio propriè magis potest annullare contractum; quò occultando objectum tollit consensum, quoniam enim in contractibus *bonæ fidei* consensum habeat implicitam conditionem, si *ita ut dicis*, ergò si res per dolum alteri deficiat conditio & consequenter etiam consensum, in metu autem objectum consensum plene ponitur, v. g. ut aliquis teneatur certam summam pecuniæ numerare, vel aliquid quid facere; & tantùm coactio ad consentiendum adhibetur, quæ coactio tantum solum involuntarium *secundum quid* non simpliciter.

Hinc etiam Juramentum gravissimo metu extortum validum dicitur in cap. *sicere*, §. *de Jurejurando*. dummodò alias *non peccato* observari possit, & non vergat in *dammum anime*, vel proximi; potest tamen ab eo peti absolutio, quo sensu etiam intelligendum est cap. *cum contingat*, 2. §. *eod. tit.* ubi dicitur, *juramentum extortum non esse servandum*, scilicet mediante absolutioe. Advertendum autem est, quòd tale juramentum metu extortum non confirmet contractum *alias invalidum*, quia unum juramentum non potest sanare (ut DD. loquuntur *duplex vitium*, scilicet *vitium involuntarii* & *nullitatis contractus*). Atque ita intelligi debet c. *quamvis*, 2. §.

propria persona parentes terri solent. Idem ad uxorem, parentes & consanguineos extenditur. Innoc. in d. c. cum locum. 14. de Sponsal. n. 7. Felinus in cap. Ecclesiastica. 10. de Constit. n. 99. Zoëf. h. t. n. 16. Notabilem denique ponit doctrinam Barb. ad dist. 6. sacris. 5. h. t. n. 9. vers. pro resolutione; quod ille dicatur justus metus, per quem aliquis eligit minus malum ad vitandum majus malum, idque forsan insinuavit J. C. in l. metum. 5. ff. h. t. Metum, inquit accipere debemus non quemlibet, sed majoris mali.

¹³ Est tamen notandum, quod prohibetur in d. cap. sacris. 5. h. t. quod ob nullum metum liceat peccatum mortale committere, et si videatur majus malum, aut mors propterea subeunda foret: prestat enim hanc eligere, quam DEUM offendere, idemque de peccato veniali tradunt cit. apud Sanch. d. l. 4. disp. 3. num. 2. Text. est in cap. si quis. 17. causa 22. q. 2. Sed hoc si transgressio ex metu deberet fieri contra legem Divinam, secus si contra legem humanam Ecclesiasticam, quæ in casu tam extraordinario & cum magno alicujus damno non censetur obligare, ideoque nec peccatum transgrediendo committi; arg. c. 2. dist. 4. & l. nam. ad ea. 5. ff. de L. L. nisi transgressio legis petatur in contemptum Ecclesiæ: quo sensu accipiendum est dist. cap. sacris. ubi dicitur, quod propter nullum metum liceat communicare cum excommunicato, cum tamen communicatio ista tantum lege Ecclesiastica prohibita sit; cooperari ad formalem contemptum Ecclesiæ utique etiam Juri divino repugnat juxta illud Christi Matth. 18. v. 17. Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus &c.

¹⁵ De metu reverentiali etiam hic disputant DD. de quo dicemus in Lib. IV. Tit. 1.

§. 3. num. 4. quod sola reverentia Parentibus vel Dominis debita non sit justus metus ad irritandos contractus, nisi concurrerint alijs adminiculis: ut sunt minæ atrocis importunæ persuasiones.

II. *Præsens metus* requiritur & sufficit aliqua tantum suspicio futuri ferendi metus. l. metum 9. ff. h. t. Quod si quis propter solas minas & in futuro imminens malum aliquid dederit aut fecerit, restitutionem ex causa metus non habebit, nisi minæ factæ fuissent ab eo, frequenter solet eas exequi, vel propter temeritatem minantis morale vel præter fuerit periculum. l. si donationis. 7. ff. metum. 9. C. eod. Alias contra minantes notum est remedium, requirere precem, ut minantis ceter, etique severe obbeat, ne quid violentiæ aut injuriæ extorere ausit, nec discedere patiatur, antequam verbis vel juramento, aut etiam precibus (prout qualitas personæ exegerit) versario securitatem promittat; quæ in c. natio de non offendendo dicitur. Toller. Volum. 1. disp. 11. Thef. 4. Neque etiam præteritus metus sufficit: pone casum quod ad obligandum te metu coactus si tamen postea sponte sine ulla coactione solveris, metum illum præteritum ad impetrandam repetitionem soluti amplius obligare non vales, per voluntariam enim solutionem exceptioni metus ipso facto renuncias. l. cum te. 2. C. h. t.

III. Metus debet esse ab extrinseca violentia illatus. Ut in casu mulieris, quæ contra Patrum unum ingrata facta ei aliquid dedit, ne in libertatem revocaretur, respondit J. C. in l. mulier. 21. ff. h. t. non esse locum repetitioni, eo quod mulier hunc metum ipsa intulerit. Similiter sua bona vendit

propter timorem, ne ad civitates officia vel munera nominaretur, dicta bona repetere volens non auditur in l. cum t. s. C. eod.

IV. Denique metus ad eliciendam obligationem & quidem ab eo, vel alio eius nomine, cui obligatio facta est, incuslus esse debet. Unde si captum à Latronibus liberum, qui mihi pro hoc obsequio promittat aliquid, non se, quo minus id præster, per metum excusare poterit: quia ego causa huiusmodi non fui, sed operæ meæ, quam in liberando præstiti, mercedem accepi, l. metum 9. §. i. ff. h. t. Similiter etiam votum in periculo mortis emissa ex omnium DD. sententia firmiter obligant, quamvis metu mortis emissa sint.

TITULUS XLI. De in integrum Restitutione.

SUMMARI A.

1. Restitutio in integrum est remedium extraordinarium.
2. Remedium iuris extraordinarium, quando est pin-
guit, datur etiam existente ordinario.
3. Remedium restitutionis datur Minoribus, Ecclesie,
pvi loci, Republicæ & Civitati.
4. Quæ differentia inter Restitutionem Majorum &
Minorum?
5. Mulieribus quoque, Rusticis, & Militibus datur re-
stitutio. Item Hereticis minorum & aliorum,
quibus hoc beneficium alias competit.
6. Minor etiam contra minorem, & Ecclesia contra
Ecclesiam restituitur: & quomodo privilegiatus
statu privilegio contra privilegium?
7. Restitutio coram iudice ordinario rei habente admi-
nistrationem peti debet.
8. Qui iudices dicantur habere administrationem?
9. Quando Restitutio dicatur peti incidenter.
10. Restitutio petita ordinariè suspenditur executio,
nisi præsumptio malitiæ sit contra petentem.
11. Quatuordecim Restitutioni petendæ præfixum cur-
nā à die scientiæ de lesione.

12. Quadraginta tamen annorum lapsu præscriptum
huic beneficio.
13. Qui Restitutionem petit, probare debet, se læ-
sum esse.
14. Restitutio minoris vel Ecclesie prodest majori, seu
Laico, si causa sit individua: alias non.
15. Læso, ut causet restitutionem, non debet esse for-
tuitus.
16. Procurator, nisi sit cum liberis, aut mandatum spe-
ciale habeat restitutionem principaliter petere non
potest, bene tamen incidenter.
17. Tutores, Curatores, Oeconomi, Prælati, & simi-
les habentes administrationem, mandato non in-
digent.
18. Restitutio impetrata, cum re etiam fructus sunt
restituendi.
19. Exponitur textus in c. ad nostram de Reb. Ec-
cles. non alien.
20. Qui scit Restitutionem peti posse, an habeatur pro
male fidei possessore?
21. Clericus minorennis in resignatione beneficii læsus
potest restitutionem petere.
22. Idem obtinet, eius beneficium resignationem alteri jam
defacto sit collatum.
23. In spiritualibus: scilicet Matrimonio aut professione
religiosa quoad substantialia non datur resti-
tutio.
24. Regularis contra quinquennium ad proponendæ
causæ nullitatis à Concil. Trid. præsumitur, ex cau-
sâ potest restituui.
25. In Contractibus jurati potest etiam dari restitutio ex
causâ emergente.
26. Minor contra confessionem suam quomodo resti-
tuatur?

Sicut ex causa metus, sic etiam ex aliis re-
medium saepe à iudice petendum est, quod
Restitutio in integrum appellatur. Hæc est
remedium iuris extraordinarium, quo læsi
in eum statum, in quo ante lesionem fue-
runt, per officium iudicis reducuntur.

Dico esse remedium extraordinarium:
quia tunc primum datur, quando ei, qui se
læsum dicit, nulla ordinaria actio super-
est. l. in causa. 16. ff. de Minoribus. Ver-
um hanc regulam, quod remedium extra-
ordinarium non detur, nisi ordinario defici-
ente, limitant DD. nisi extraordinarium sit
pin-

pinguius, unde subsequenter inferunt, quod Minor vel Ecclesia ultra dimidium laesa possit omisso remedio ordinario ex *L. 2. Cod. de Rescindenda vend.* restitutionem in integrum petere: cum hoc sit pinguius remedium; partim, quia in petita restitutione in integrum non est necesse probare laesionem ultra dimidium, quae est difficilis probationis, cum pretia rerum habeant diversos aestimatores, sed sufficit probare gravem laesionem; partim etiam, quia si emptor. ex *d. l. 2.* conveniatur, erit in ipsius arbitrio, an rem redhibere, vel justum pretium supplere velit. Si verò restitutio in integrum contra ipsum postuletur, poterit praecise ad restitutionem rei emptor compelli.

3 *Restitutio in integrum* pluribus datur, qui se in iudicio vel extra illud laesos fuisse affirmant. Et primò quidem datur de Jur. Civ. hujus restitutionis remedium *Minoribus 25.* annis non tantum, dum in minori aetate constituti sunt, sed etiam per quadriennium, postquam majorenes esse coeperunt; non quidem respectu actuum in majorenitate gestorum; sed quos prius in minorenni aetate cum suo damno vel detrimento inierunt. Deinde exemplo Minorum etiam *Ecclesia* utitur jure minoris *c. 1. b. t.* nomine autem Ecclesiae etiam Capitulum alicujus Ecclesiae Cathedralis vel Collegiatae intelligitur, si laesio toti Capitulo evenerit. Innoc. *inc. nisi 21. de Præb.* Præterea etiam datur Hospitalibus & aliis prius locis. Valens. *b. t. §. 1. num. 8.* Item Reipubl. & Civitati hujus restitutionis beneficium datur. *L. 4. C. Quib. ex causis mai.* Quod nonnulli etiam ad Caltra habentia subditos & jus territorii extendunt, ut & hæc jure Reipublicæ gaudeant, Gall. *L. 2. obs. 62. n. 3.* Majores quoque 25,

annis quandoque in integrum restituuntur, quia Prætor in *L. 1. in fine ff. Ex quibus causis majores* generaliter dicit *si quis in hiis justa causa videbitur, in integrum restituum.* ad quam clausulam Prætor toties veniendum esse, quoties reus restitutionem suggerit, notanter minus Ulpian. *in l. sed c. si 26. §. fin. ff. eod.* tamen in restitutione Majorum & Minorum subest differentia, quod in minoribus non sufficiat laesio, sed etiam requiritur probatio justae causae arbitrio Judo ponderandae, ob quamvis laesio minima putari debeat. v. g. si propter Remissionem aut captivitatem absentes erant; & si rea alii ipsorum bona possederint, seu usu ceperint *l. 100. ff. Ex quibus causis majores.* In minoribus autem sufficit probare minorem aetatem & laesionem. *norm. in c. ex literis. 4. b. t. num. 1.* Sed & illa est differentia, quod Minoribus restituuntur, quamvis tutore vel curatore interveniente laesi sint, habeantque elationem, an magis tutelæ actione contra tutorem experiri, vel contra laedentem restitutionem in integrum petere velint. *L. 1. & 2. C. Si tutor, vel curator interveniat.* Majores verò absentes, si procuratores sua negotia vel lites dimiserint, non habent restitutionis beneficium, sed contra procuratorem agere debeant. *l. fin. ff. b. t. de* quando tamen procuratore non existeret solvendo ex causa aequitatis Dominus restitutionem in integrum succurrere, si dicitur est superius in tit. *de Procuratoribus.* Mulieres quoque Rustici, Milites & juris ignorantia excusantur, restituuntur, peritiores consulere non potuerunt. *Nov. tanta de Appellat. p. 6. n. 89.* per notata *l. juris ignorantiam. 6. Cod. Qui admodum ad bon. possess. §. c. & in l. ubi. 8. ff. Edendo.* Denique non tantum ipsis pro-

palibus hanc beneficium competit, sed
etiam eorum heredibus & successoribus u-
niversaliibus, si modo defunctus in ea con-
dicio fuerit, ut, si adhuc superflus esset,
restituere deberet. *L. non solum. 6. ff. h. t. l.*
minor. 18. §. si ff. de Minor.

6. Sed quid si Minor contra Minorem, Ec-
clesia contra Ecclesiam restitutionem petat,
et audiiri debet, vel potius obstabit, quod
privilegiatus contra privilegiatum non
aut ut privilegio, sed jure communi? Re-
spondendum est, restitutionem in inte-
gram locum habere propter textus Juris
claros in *cap. auditis. 3. h. t. l. verum.*
2. §. penult. ff. de Minoribus. Quod
vero dicitur privilegiatum non uti privile-
gio contra pariter privilegiatum, id proce-
dit, si utriusque pars sit causa; secus autem
si alter certet de lucro captando, & alter
de damno vitando: tunc enim is, qui cupit
indemnis esse, merito prevalere debet illi,
qui ex re aliena lucrum querit. Panorm.
in d. c. auditis. n. 8. nam beneficium resti-
tutionis non datur Minoribus vel Ecclesiis
laedentibus, sed laesis, ideoque Minor, vel
Ecclesia laedens non est privilegiata, conse-
quenter si res accuratè expendatur, non con-
currat privilegiatus cum privilegiato. Aliud
loquet, si utraque pars certaret de damno
vitando & laesionem allegare posset, sicut
exemplum ponitur in *d. verum. §. penult.*
si minor solvisset alteri minori, & iste per-
didisset, non restitueretur minor solvens
contra minorem perdentem.

Restitutio petenda est coram Judice illi-
us, contra quem petitur, ex generali regu-
la, quod ad actoris forum rei sequatur. *l. 2. Cod.*
ubi. §. apud quem cogitur. in integr. re-
stit. agitur. and. Et hodie Ordinarius ad-
ministracionem habens, vel Delegatus ab
eo, sive sit specialiter ad id delegatus, sive
quod restitutions incidat in causa gene-

raliter commissa, restitutionem concedere
potest; Ordinarius verò administracionem
non habens, vel Delegatus ab eo restituere
non potest, nisi petatur *incidenter* non
principaliter. Ita expressè deciditur in
c. causa. 9. h. t. cui consonat *l. fin. Cod. ubi*
apud quem & c. Noti etiam Juris esse dicit
Gail. *Lib. 1. obs. 114. n. 3.* quod restitutio
quoque adversus sententiam definitivam
ab eodem Judice, qui eam tulit, fieri
possit.

Porro duo sunt *in d. c. causa*, non satis 8
clara. Primum quænam sit differentia
inter Judicem administracionem habentem,
& eam non habentem. Deinde quando
dicatur restitutio in integrum tantum *in-*
cidenter postulari. Utrumque explicat
Panorm. *in d. cap. causa. in principio. n.*
3. quod nimirum Judices administracionem
habentes dicantur illi, qui habent certum
territorium seu districtum, in quo Juris-
dictionem exercent, uti Episcopi & alii ter-
rarum Principes: administracionem verò
non habentes illi sint, quorum jurisdictio
est fundata tantum in personis, sicut exem-
plum ponit in Doctoribus profitentibus, qui
habent jurisdictionem in scholares, sine ad-
ministracione territorii: item exemplum
esse potest ex *l. fin. Cod. de Jurisdictione*
omnium Judicum. in Præpositis & Super-
rioribus Collegiorum Communitatum, qui
in illos, qui de communitate sunt, juris-
dictionem exercent.

Alterum etiam exponit Panorm. quod 9
scilicet tunc dicatur *incidenter* peti resti-
tutio, quando petitur ante definitivam su-
per certo tantum causæ articulo, puta, ad
exceptionem vel probationem omniam pro-
ponendam, vel contra interlocutoriam, per
quam minor vel Ecclesia se gravatam dicit.
Imò ex multorum sententia dicitur *in-*
cidenter peti restitutio non tantum, quando
ante

ante definitivam petitur, sed etiam quando in continenti post definitivam postulatur intra decennium, antequam sententia transierit in rem judicatum per Gloss. in c. suscitata. 6. in verbo. postulavit. h. t. Cui videtur ad stipulari Panorm. ibid. n. 5. §. 6. quamvis fateatur, rem apud DD. esse dubiam.

- 10 Sed hic *questio* est, an sententia in iudicio lata debeat interim executioni mandari, dum causa *restitutionis* pendet? Nam pro affirmativa facit tex. in d. c. suscitata. h. t. ubi coram S. Pontifice agebatur pro *integrum restitutione*, & ibi voluit Pontifex, ut ad executionem sententiae ante omnia procederetur. Econtra in l. un. Cod. in *integrum restitut.* postulat a ne quid novi fiat, rescribit Imperator, quod restitutione postulat omnia in suo statu manere debeant, & nil circa executionem attentandum sit.

In hac *controversia*, quae in foro sapientissime movetur, dicendum est, quod restitutio regulariter suspendat executionem, secundum text. in d. l. unica. nisi foret altioris indaginis, & ex conjecturis praesumi posset, quod ea tantum ad proelationem litis peteretur: tunc enim executio suspendenda non foret; ita tamen, ut victor idoneam cautionem praestaret, quod universa, quae occasione sententiae percepisset, restitutus esset Adversario, si in causa restitutionis praevaleret. Ita textus ipse in dict. cap. suscitata n. non obscure insinuat. Mynf. Cent. 1. observ. 48, Maranta de Appell. c. part. 6. n. 108.

- 11 Datur autem beneficium *restitutionis in integrum* cum quibusdam conditionibus. I. Ut petatur intra quadriennium, quod Ecclesiae currit a die laesionis. Clem. un. h. t. Minori vero a principio anni 26. suae aetatis, quando scilicet factus est ma-

jorennis, circa actus illos in minorennibus gestos. L. si. Cod. de Temporibus in integrum restitutionis. Sed hic est *quae* an quadriennium petendae *restitutionis* praefixum currat immediate a die praesentis laesionis, vel potius a die scientiae, quod constituendus in laesionis cognitionem dicitur. Probabilius est, praesatum quadriennium tempore scientiae computandum: aliter non satis prospectum esset indemnitas Ecclesiarum & Minorum, si contra eorum suas laesiones nullum haberent remedium. Unde in cap. 1. §. 2. hoc. tit. in 6. dicitur quod post quadriennium Ecclesia restituta non sit, si negligenter intra illud tempus *restitutionem* non petierit. E contra sensu, si non ex negligentia, propter ignorantiam laesionis id factum, etiam post quadriennium restituenda, quia ex rationabili causa generaliter post quadriennium Ecclesiam restitui expressum in dict. cap. 1. dicitur. Licet quoque illi qui instrumenta ad causam pertinentia non se habet, non videatur posse iustam ignorantiae causam allegare: propter contrarium tamen Officialium & Administratores Monasteriis & Ecclesiis mutationem, quae alias alud merito suadet, cum ex tali mutatione instrumentorum deperditio, lapsus sitio, & consequenter ignorantia facile contingere possit.

Non obstat etiam Clement. un. h. t. quae dies laesionis pro initio quadriennii signatur; nam explicari debet, si dies laesionis & scientiae coincidunt, ut ita pro factis Ecclesiarum & minorum jura iuris conserventur. Arnoldus Rath in Tract. de Usucapionibus. c. 5. assert. 45. Ubi dicit hanc sententiam communi DD. calculum in praxi receptam esse; cum hac tamen consideratione, ut si post tempus laesionis, antequam intuper anni elapsi fuerint, tunc sicat

to tempore regulariter omnis actio extinguitur, ita etiam restitutio in integrum, ne alia sequatur inconveniens, quod contra Ecclesiam nunquam cum effectu proce- dere præscriptio, utpote quæ semper per restitutionem posset in irritum revocari, & nullum esset speciale Ecclesie Roma- nae ius. amorum præscriptione gaudens privilegium.

II. Qui restitutionem postulat, debet probare se laicum esse. *cap. cum venissent. 2. ubi constitutus. 8. b. t. l. ait proctor. 7. §. 3. l. verum. 11. §. sciendum. 3. & passim alibi. ff. de Minoribus.* In Camera tamen prædictum esse dicit Myring. *Cent. 2. observ. 17.* ut Minores, qui appellatio- nem omiserunt, restituantur ad appellan- dum sine alicujus lationis probatione, eò quod ipsa appellatio omisso latis proba- bilis sit iuris.

14. Incidit & hic non omittenda notabilis questio, quid statuendum, si cum minore in eadem lite vel negotio tanquam consors aut coartus majorem verberetur, vel cum Ecclesia Laicus, an privilegium restitutio- nis in integrum etiam majoremi vel Laico profuturum sit?

Resp. esse distinguendum, an causa, su- per qua restitutio postulatur, sit dividua vel non? Si divisionem recipiat (cujusmodi sunt regulariter obligationes illæ, quæ in dando constitunt; potest enim utique summa v. g. 100. Honorum tota vel pro parte solvi? Joan. Honorius *ad tit. de For. compet. n. 96.*) restitutio Minoris non prodest Majori, nec verò, si causa sit individua, ut si duo se obligaverint ad opus faciendum, & neuter sine altero facere possit, vel si duo commu- nem domum, aut rem alienam vendiderint, quam emptor per partes emere nolit, aut non possit, tunc enim restitutio unius etiam alteri proderit. *L. tutor. 47. §. 1. ff. de*

Minor. l. un. Cod. Si in com. eademque causa &c.

III. Non sufficit, ut *lesio* quoquomodo contigerit, sed requiritur, ut vel dolo ad- versarii, vel inconsultâ facilitate læsi, vel ex negligentia administratoris evenerit: nam si calu tortuito damnum causatum sit, puta, res empta perierit, si post aditam hæredita- tem per bellorum incursum bona devastata sint, restitutioni locus haud erit, alias qui cum minore vel Ecclesia ageret, quantam- cunque bonam fidem adhiberet, nunquam de damno securus esset. *d. l. 11. §. 4. & seq. ff. de Minor.*

IV. Denique, qui alieno nomine *re- stitutum* petit, is vel procurator *cum liberâ* esse, vel mandatum ad id speciale ha- bere debet, per text. & DD. *in cap. coram. 7. hoc tit. & in l. illud. 25. §. 1. ff. de Minoribus.* ita ut sine tali manda- to nullus consanguineus præter patrem admittatur. *l. Patri. 27. ff. de Minoribus:* in ijs enim, quæ requirunt speciale manda- tum, non sufficit allegare præsumptionem mandati ex consanguinitate, sicut ex probabiliori & communiori sententia defendit Covar. *Var. Resol. lib. 1. cap. 6. n. 5. cum Glos. in l. exigendi. 12. C. de Procurato- ribus.* Si tamen non *principaliter*, sed jux- ta superius dicta *incidenter* tantum petere- tur restitutio, sufficeret generale mandatum ad totam causam. Est & *notabile*, quod 17 Tutores, Curatores, Oeconomi, Prælati, & reliqui habentes administrationem alieni patrimonij sine mandato speciali *restitutio- nem in integrum* postulare possint. Ita Ab- bas, & communiter Interp. *in cap. susti- ta. 6. hoc tit. Myrsing. Centur. 2. Ob- serv. 26. n. 7.*

Ceterum impetratâ *restitutione* res unâ cum fructibus saltem extantibus restituenda est. *L. quod si minor. 24. §. restitutio. 4. l. patri.*

L. patri. 27. §. si pecuniam. i. ff. de Minor. l. si predium. 16. Cod. de Præd. minorum. Non obstat, quod fructus sint percepti jure domini: quia ante restitutionem res supponitur fuisse in dominio possessoris, & consequenter videantur restitui non debere. Nam resp. quod illud dominium tantum fuerit revocabile, non simplex & absolutum.

19 Item opponitur difficilis textus in *cap. ad nostram. r. de Rebus Ecclesie non alienandis.* Ubi Ecclesia rem cum suo damno in feudum datam per restitutionem in integrum recuperavit quidem, fructus autem inde percepti non Ecclesie, sed possessori feudi adjudicati sunt. Respondet imprimis nonnemo apud Barb. in *d. cap. ad nostram. num. 2.* speciale esse in feudo, ut tamen id per restitutionem in integrum à Vasallo repetatur, nihilominus fructus percepti apud eundem permaneant, utpote debiti in recompensationem servitorum & aliorum onerum feudalium præstitorum; arg. *cap. 1. in fin. In quibus causis feudum amittatur. in Usib. feudor. & cap. 1. ext. de Feud.* id quod textus ipse in *d. cap. ad nostram.* non obscure insinuare videtur per illa verba: *cum sibi fructus percepti sufficere debeant pro labore.* Si quis vero contendere velit non esse verisimile, quod in illa facti specie vasallus multa servitia amplis feudi redditibus æquivalentia Ecclesie præstiterit, adferri poterunt aliæ expositiones; nimirum, quod textus ille loquatur vel de fructibus, qui impensas in eorum collectione, vel in rem ipsam factas non excedunt, vel de fructibus bonæ fidei consumptis, non verò extantibus. Videatur Covar. *Var. Resol. l. 1. cap. 3.*

20 *Quæres:* an is, qui non ignorat rem posse à se per restitutionem in integrum avocari, debeat malæ fidei Possessor censetur

ri, & consequenter omnes fructus non tantum extantes, sed etiam consumptos retinere, juxta *L. certum. 22. Cod. de vindicatione?*

Respondet Covar. *dict. loc. num. 1.* qui in ordine ad lucrandos fructus debeat referri bonæ fidei possessor. Fundamentum autem dependet hæc quaestio ab ea, utrum qui cum minore vel Ecclesia contraxit, de Minor vel Ecclesia damnum acceptum neatur in conscientia rem restituere, quam per restitutionis judicium in futuro repetatur, supposito quod contractus cæteròquom omnes legitimas conditiones habuerit, & ipso jure validus fuerit. nocentius in *cap. qui a plerisque. §. de nuntiate Ecclesiarum. & ibid. etiam norm. n. 28.* distinguunt, an cum vel dolo læsio contigerit? Si sine dolo, restitutum debere fieri ante sententiam Judicis: si cum dolo, concedunt. Quod tamen posterioris distinctionis mentio sic opinor esse declarandum, ut siquis dolosa illa persuasio intervenisset, Ecclesia non fuisset contractura, res omnino non expectatâ Judicis sententiâ restituenda: si vero bonus enim dans causam contractum nullum. *DD. ad l. 7. ff. de Dolo.* & proinde non ex tali contractu teneri potest. Si vero bonus tantum incidit in contractum, quia in pretio defraudatio facta est, tunc quidem in animâ judicio faciendam restitutionem justî pretii, seu læsionis contentis, sicut fieri deberet, tamen sine dolo læsio facta fuisset: non tamen debet rem ipsam restitui ante judicalem restitutionis sententiam: nam læsio per se non cit contractum invalidum & consequenter non impedit, quò minus res, ejusque dominium ex contractu acquisitum fuerit.

quoque juratis, licet regulariter non detur in integrum restitutio. *L. 1. cum sua auct. Cod. Si adversus venditionem.* datur tamen nonnunquam ex causâ novâ, vel noviter emergente, quæ tempore præstiti juramenti non fuit prævisa, nec verisimilis intentio jurantis erat, ad talem causam se obligare, ut *in cap. quemadmodum. 25. de Jurejurando* dicitur, quod sponsalia etiam jurata ob mutationem notabilem supervenientem, v. g. quia sponsa deformata aut fornicata fuit, dissolvi possint.

26 Utrum autem minor restituatur adversus suam confessionem, si v. g. sponsalia, matrimonium, delictum aut debitum, antequam hæc contra eum legitime probarentur, ultrò confessus sit, diversæ sunt DD. sententiæ, ut videre est apud Sanch. *d. lib. 7. disp. 152. num. 17. Fach. Lib. 1. Controv. cap. 72.* Affirmantium fundamentum est in *L. certum. 6. §. penult. ff. de Confessis.* ubi dicitur, minorem à confessione suâ restituendum. Mihi magis placet, minorem non aliter restitui, quam si prius docuerit saltem ex præsumptionibus urgentibus confessionem ex errore processisse, aut ex metu vel alio gravi respectu aut præcipitantia juvenili fallum dixisse, atque ita intelligo text. *in d. §. penult.* Ratio mihi videtur: quia minoribus non subvenitur ex eò præcisè, quod læsi sint, aliàs deberet eis subveniri; tametsi per legitimas probationes convicti, vel ob casum fortuitum damnum acciperent, sed si contra Justitiam læsi sint. *L. verum. 11. §. 4. ff. de Minoribus:* non læditur autem contra Justitiam, qui verum, quod in conscientia tenebatur dicere, edixit. Deinde minorem adversus confessionem veritatis restituere, esset nihil aliud, quam ei dare mentiendi & litem protelandi occasionem, quod utique rationi & æquitati non correspondet.

TITULUS XLII

De alienatione Judicij mutandi causâ facta.

SUMMARI.

1. Inter causas restitutionis in integrum est alienatio Judicij mutandi causâ.
2. Quæ actio propterea competat.
3. Rei litigiosæ alienatio, quia per se nulla est, non dicitur hoc remedium.
4. Notabilia in hac materia de Jure Canonico.

Inter causas restitutionis in integrum iam hæc est: si adversarius rem superius conveniri posset, ante acceptum Judicium dolo malo alienarit in personam potentioris, vel quæ sit alterius formæ, actori durioris litem constitueret. Propterea sicut in *ff. & Cod. post Tit. De integrum. restitutione.* hæc rubrica posita etiam fecit Decretalium Compilatorum merito ante initium processûs Judicij mutandi: quia, ut dictum, ante acceptum Judicium plerumque hæc alienationes in integrum fiunt; cui speciali Juris remedium occurri, æquum fuit.

Si igitur pro re alienata *personalis* actio competat, v. g. ex empto, donato, locato, &c. tunc quia actio personalis contra unum possessorem, cum quo nihil contractum est, non datur, Prætor æquitate motus concessit actionem *in factum* contra alienantem ad consequendum id, quod sua inter rem alienatam non fuisse. *l. 1. & passim. h. t.* Si *realis* fuerit actio rei vindicatio, liberum est actori, an eam contra possessorem, vel contra alienantem, qui dolo deo possidere, & ideo fictione juris pro possessore habetur, intentare velit. *l. un. Cod. eod.* Nihil quoque impedit actionem *realem* contra possessorem, & *personalem* factam

TITULUS XLIII.

De Arbitris.

SUMMARIUM.

1. Arbitrator quid sit?
2. Quid si plures sint Arbitri, & dissentiant, cuius iudicio stetur?
3. Ex pluribus arbitris uno absente, an reliqui procedere possint? Differentia inter Jus Canonicum & Civile.
4. Super quibus fieri possit compromissum: & an super rebus Ecclesie vel Pupillorum?
5. Differentia inter arbitrum & arbitratorem.
6. Qui prohibeantur suscipere arbitrium? & ibi an Iudex ordinarius possit esse arbiter vel arbitrator?
7. Sententia arbitri etiam iniuriam (modo non notari) stare oportet: arbitratoris autem reduci potest ad arbitrium boni viri. Ab arbitro iuris datur appellatio.
8. Tempus petendi reductionem probabiliter decerni statuitur.
9. Testes & confesso coram arbitratore an faciant fidem coram Iudice reductionis?
10. A sententia reductionis non datur appellatio.
11. Contravenientes sententiae reductionis committunt poenam compromisso adjectam.
12. An petens reductionem incidat in eandem poenam?
13. Reductioni an possit renunciari?
14. Quando finiatur compromissum?
15. Qualiter agatur ex compromisso?
16. Intra quantum tempus propter omissionem solutionem committatur poena?
17. An contraveniens uni capitulo committat totam poenam?

Hic titulus in *ff.* inseribitur *de Receptis, qui arbitrium receperunt, in Cod. de Receptis arbitris*, quare si in hac materia dictum fuerit *ff.* vel *Cod. eod. tit.* in indice ad eas Rubricas erit recurrendum.

Arbitri dicuntur ab arbitrando, seu aestimando: est enim *arbiter* vir bonus ad aliquod negotium aestimandum, & terminandum electus. Horum usus propter utilitatem

Ll 2 tatem

factum contra alienantem instituere: quia tendunt ad diversos fines, illa ad rem recuperandam, ista ad obtinendum id, quod actus propter majores expensas, & incommoda interest, cum alio potentiori Adversario, vel in alieno foro litigare.

Dicitur autem, constitutionem huius tituli procedere, si ante *Judicium acceptum*, & *causa futuri iudicii* res alienata sit: nam si alienatio facta sit, postquam alienans in litem vocatus est, vel preces principi oblate, & alienanti cognita sunt, *Actio litigiosa, C. de Litigiosis*, actio in factum, vel vindicatio contra novum possessorem necessaria non est, sed cum alienante perinde agi poterit, ac si alienatio facta minime tueret: talis enim alienatio rei *litigiosa ipso iure nulla est*; & siquidem emptor sciverit rem esse *litigiosam*, carebit pretio, idque sisco inferetur, si vero ignorans deceptus sit, pretium integrum, & insuper certam partem ejus ab alienante recipiet. *l. fin. C. d. t.*

De Jure Canon. in *hoc tit.* duo notabilia proponuntur. *Primum* est, quod etsi rescripta iustitia non extendantur ad personas in his non comprehensas, si tamen ad abolitionem rescripti Apostolici res, de qua moveatur controversia, in extraneum alienata sit, poterit hic extraneus etiam vi illius rescripti coram delegato iudice in eo rescripto dato conveniri.

Alterum est, quod approbentur leges Civiles, quae prohibent alienas lites redimere (de qua redemptione etiam superius in titulo *de Procuratoribus* aliquid diximus) & maxime Clericis sub censuris inhibendum docent, ne emant, vel sibi cedi faciant res litigiosas, & causas faculares, ut laicos actores in suum forum Ecclesiasticum trahant. *Vid. text. cap. 1. & 2.*

hoc tit.

tatem inventus est: nam ita lites facilius expediuntur, si extra tribunal ordinarium per aliquot viros bonos, in quos partes compromittunt, quod eorum sententiæ & arbitrio seu iudicio stare velint, componantur. Si eligendi sint plures arbitri, expedit eos esse in impari numero, ut eò facilius majoritas votorum haberi possit. *L. item si unus. 17. §. 6. ff. hoc tit.* quippe si in duos compromissum sit, frequenter sine exitu futura est, ob naturalem hominum ad dissentiendum facilitatem.

2 Quod si plures arbitri electi in decernenda aliqua quantitate pecuniaria discordent, ea sententiâ obtinebit, in quam major pars convenerit. Si verò unus v. g. 15. alter 10. tertius 5. pronunciet, prævalebit minima quantitas pronuntiata: cum enim minor summa contineatur in majori, pronunciantes majorem implicitè etiam censentur in minorem consensisse. *c. 1. hoc tit. in 6. L. diem proferre. 27. §. 3. ff. eod.* Verùm malè advertit Covar. cum alijs, hanc decisionem cautè ad praxin esse deducendam, quia non satis firmâ ratione stabilitur: major enim summa continet quidem minorem ut suam partem, non autem ut formaliter seu separatim spectatam, e. g. si equum volo vendere 30. fl. volo quidem etiam vendere 20. sed quatenus isti viginti includuntur in ijs triginta, minime verò quatenus specialem summam faciunt. Deinde quis non videt maximas posse committi iniquitates, si unus arbiter condemnaret debitorem meum in summam minimam v. g. 2. aut 3. florenorum, quem alij decuplo majoris summæ debitorem agnoscerent. Minus placet, quod cum Glossa *fin. in d. cap. 1. hoc tit. in 6.* & alijs pluribus, docet ibid. Barbof. *num. 3.* decisionem hujus textûs habere locum, quamvis arbiter, qui majorem summam pronun-

ciavit, protestetur, quod nolit consentire in minorem, eò quod consensus in summam summam sit ex dispositione juramento introductus, & ideo protestatio in compromissum nihil operetur. Non placet (inquam) hæc sententiâ: quia nec rationi, nec equitati bene convenit, ut ostensum. Sic autem leges non est verba callere, sed ut ac potestatem, id est, mentem legis, æquitati conformem. *L. sine legem ff. de Leg.* Unde ipse exultimo dictam decisionem JC. & Pontificis tunc demum concedere, si minor summa sit intra terminos æquitatis, & qui majorem summam pronunciat, possit rationabiliter præsumi non esse invitum contra summam minorem tanquam injustam, quemadmodum pretium rei pretium non est indivisibile, quum tunc dùm diversorum iudicium plures auctoritatis æstimeret.

Circa plures arbitros electos, quod aliqui tempore ferendi iudicij se abstergeant differentia inter Jus Civile & Can. reperitur. Nam de jure civili non valet processus nisi omnibus præsentibus, *d. L. item si unus. 17. §. fin. cum l. sequenti ff. hoc tit.* Jure autem Can. sufficit adesse majorem partem, v. g. duos ex tribus. Dico majorem partem: non enim sufficeret è duobus adesse quatuor duos adesse, *c. 2. & ibi Glossa Verbo. pro presente. hoc tit. in 6.* In casibus profanis quodlibet jus in suo foro obsequendum. In causis autem Ecclesiasticis auctoritas Ricorum prævalet Jus Can. *c. quod Clerici. 9. de Foro compet.*

Potrà compromissum ordinariè tantum admittitur in causis bonæ & patrimonialis nostræ concernentibus; in alijs verò non sunt in nostro arbitrio, & dispositione, sed cognitionem majorem Judicium requirunt, compromissum fieri non possunt. Uti sunt causæ *matrimoniales & criminales.*

volles, cap. pen. De integ. rest. nisi ci-
entur ageretur de crimine, L. quid ergo.
23. h. ex promissio. s. ff. de his, qui not. in-
fam. Causa exemptionum, ubi de praju-
dicio Papae agitur, c. 5. h. t. Item & benefi-
cium; quia ad Ordinarium spectat cogno-
scere de titulo canonico, & idoneitate be-
neficii, Spec. hoc tit. §. 3. Quid de causis
Ecclesiarum vel Pupillaribus dicendum, an-
ne super ijs à Prælatibus aut Tutoribus com-
promitti poterit absque decreto Superioris
vel Judicis? Quod affirmamus, arg. L. Prae-
fatio. C. de Transact. ita tamen, ut si ar-
bitrium vel arbitramentum tendat ad abie-
ctionem rei non alienabilis, ejus executio
sine decreto & ordinaria solennitate juris
fieri non possit. Lauranc. de Oriam. Tract.
de Arbit. lib. 3. num. 4.

Sed advertere oportet, complures esse
differentias inter Arbitrum & Arbitra-
torem, quas enumerat Panorm. in cap.
Quintavallis. 23. de Furejur. Nam I.
Arbitrator procedit juris ordine servato; Ar-
bitrator vero merè extrajudicialiter pro-
cedit, & ex bono & equo controversiam com-
ponit, potestque de jure unius dare alteri.
Text. & Gloss. in cap. nisi. 21. de Prebend.
Unde an aliquis arbiter vel arbitrator sit,
non tam attendendum erit, quo nomine eum
patres compellaverint, quam qualem pro-
cedendi formam eidem præscriperint. Gail.
Lib. 7. Observ. 150. num. 4. Quod si in
aliquem compromittum sit tanquam in Ar-
bitrum & Arbitratorem, utramque viam
tenere poterit; in dubio autem, ut valeat
processus, censetur processisse ut Arbi-
trator. Panorm. d. l. num. 42.

II. Arbitratores semper ex liberâ volun-
tate partium assumuntur, Arbitri verò ali-
quando sunt Juris & Necessarii, ut in causa
suspecti Judicis, cap. suspicionis. 39. de Of-
ficio Deleg. L. aperiissimi. 16. C. de Judicis.

III. Propter solennitatem Judicariam
(quæ ab Arbitris observatur, L. 1. ff. hoc
tit.) non possunt esse Arbitri iocundæ, L.
fin. C. hoc tit. nisi forsitan aliquæ in majore
dignitate positæ ex consuetudine loci juris-
dictionem habeant. c. Dilecti. 4. hoc tit.
Privati Religiosi absque utilitate Monaste-
rij, & contentu Prælati. c. Monachi. 35.
Causa. 16. quest. 1. Spec. d. l. §. sequuntur.
num. 29. Laici in spiritualibus, nisi conjun-
ctim cum Clericis, & ex autoritate Judi-
cis Ecclesiasticis, cap. communit. 3. c. per
tuas. 9. hoc tit. Verùm officium Arbitra-
toris (penes quem mera est extrajudicialis
compositio, Innoc. & Panorm. in d. cap.
Quintavallis.) regulariter omnes iudice-
pere possunt. In Judicem quoque Ordinari-
um tanquam in Arbitratorem rectè com-
promittitur, Auth. si verò contigerit. C.
de Jud. Spec. d. l. §. 2. n. 6. An etiam tanquam
in Arbitrum ad effectum non appellandi,
& petendi pœnam? De Jure Canon. quidem
id videtur affirmari posse. c. cum tempore.
5. ubi Gloss. lit. B. hoc tit. secus de jure Civi-
li. l. sed si. 9. §. 2. hoc tit. Nos id utroque ju-
re negamus; & quia in jure Canon. Arbi-
tratores & Arbitri plerumq; inter se con-
funduntur, arg. c. nisi. 21. de Preb. idèd
dubios textus Juris Can. ex clariori Juris
Civilis interpretamur cum Gloss. in d. l.
9. §. 2.

IV. Arbitrator debet unicuique parti red-
dere, quod suum est, qui assumit partes Ju-
dicis. l. Pomponius. 13. §. recepisse. ff. eod.
Arbitrator verò, cum sit mediator & tran-
sfigens, potest per modum transactionis de
jure unius alteri dare pro bono concordia.
Text. & Gloss. in d. cap. nisi. de Preb.
Gloss. in l. sed si servum. 9. §. si quis Ju-
dex. ff. hoc tit.

V. Denique (ut plures alias differentias
minus considerabiles præteream, quas vide
L 3 apud

apud Panorm. in d. cap. *Quinta vallis*. de
J. F.) sententia Arbitri dari oportet sive
 aqua, sive iniqua sit l. *diem proferre*. 27.
 §. *stari*. 2. ff. *cod. nisi Arbitri Juris & Neces-*
sarius fuerit, à quo datur appellatio, cap.
ab Arbitris. 11. de *Offic. Deleg.* in 6. l. 9. ff.
Qui satisd. cog. Mynf. *Cent.* 4. O. 68.
 Item si iniquitas sit notoria & manifesta,
 non tantum poterit ex officio Judicis revo-
 cari, sed etiam contra executionem dabitur
 exceptio *doli*: quia omnis iniquitas noto-
 ria habet dolum præsumptum, ut not. in
 cap. 2. de *Presumpt.* l. 3. *Cod. h. t.* Abbas
 inc. 2. h. t. n. 14. & 15. Sententia autem
 Arbitratoris propter quamcunque gra-
 vem læsionem, quam pars parata est proba-
 re, reduci potest ad arbitrium *bont viri*,
 quo nomine ex recepta magis opinione in-
 telligitur Judex ille, qui alias in causa or-
 dinarius & competens esset. Text. & Barth.
 in l. *societatem*. 76. §. *arbitrorum. cum*
 ll. *seqq.* ff. *Pro socio*. Gail. 1. *Obs.* 149. Ra-
 tio hujus differentie forsitan hæc est. quod
 licet utrobique partes non videantur con-
 queri posse contra iniquitatem Judicis,
 quem ipsæmet elegerunt, magis tamen suc-
 currendum fuit in *arbitramento*, ubi sine
 ordine judicario facilius iniquitas commit-
 titur, & Arbitrator non tam secundum
 jus, quam suo arbitratu pronunciat. Pa-
 norm. in d. c. *Quinta vallis*. num. 30. Sed
 circa hanc *Reductionem*.

8 *Queritur* I. Quanto tempore peti pos-
 sit? Varij varia assignant tempora. Qui-
 dam 30. annos cum Gail. 1. *Obs.* 150. Qui-
 dam unum annum cum Barth. in d. §. *ar-*
bitrorum. ubi censet hanc quætionem
 Principis decisione indigere. Nos solum-
 modo 10. dies statuimus cum Panorm. in d.
 c. *Quinta vallis*. sub. num. 16. arg. l. *per-*
C. hoc lit.

9 *Queritur* II. Utrum testes apud Arbi-

tratore producti, vel *Confessio* apud
 undem emanata faciant fidem coram iudice
Reductionis? R. Circa testes peti posse, ut
 in iudicio *Reductionis* de novo sub qua-
 mento examinentur, quia cum coram arbi-
 tratore nec sit iudicium, nec quali iudice
 um, tales testes non sunt recepti in ioco
 iudicij, & perinde est, ac si fuissent recepti
 coram honestis personis carentibus jurisdic-
 ctione, qui fidem non faciunt, ut notat
 Gottof. & DD. in l. 3. §. *Gabinio*. 4. ff.
Test. Si tamen in compromisso dictum
 islet, ut ad abbreviandam litem *Reduc-*
 petatur ex iisdem probationibus & adhe-
 ram Arbitratoris factis, tunc testes repro-
 ci in iudicio non possent: quia fides testium
 ex pacto & acceptatione partium roboratur
 Text. in l. *fin. C. de Test.* Ad *Confessionem*
 quod attinet, quamvis coram Arbitratoris
 facta judicialis non sit, si tamen præter
 Adversario emanarit, ex hoc capite etiam
 iudicio *reductionis* plenè probabitur per
 quæ docet Masc. de *Probat. concl.* 248.

10 *Queritur* III. An detur appellatio a sen-
 tentia Judicis, qui *arbitramentum* tan-
 quam *bonus vir* reduxit? Affirmat Covar.
 Lib. 2. *Var. Ref.* c. 12. n. 4. Gail. 1. *Obs.*
 149. num. 5. Nos negamus cum Barth. in
 1. ff. de *Leg. 2.* n. 18. Panorm. d. l. *sub*.
 40. ne detur *reductionis* *reductio* & sic etiam
 tē oriatur. Neque verum est, quod iudex
 absolute procedat ut ordinarius, & con-
 quenter ab eo rectè appelletur, quin potius
 officium Judicis est mixtum partim Ordi-
 narii, partim Arbitratoris; imò præter
 officium Arbitratoris (à quo non datur ap-
 pellatio) unde nec rigorem aut processum
 juris ordinarium in omnibus observare so-
 nebitur, sed eà debet uti æquitate, quæ
 furus esset juxta compromissi formam
 Arbitrator, sicut fatetur etiam Covar. d.
 n. 5. *vers. secundo*.

11 *Quæritur IV.* An pars contraveniens sententia iudicis reducentis committat *penam* compromisso adjectam? Negat Barth. in l. *multa a. ff. de Condit. & demonstr.* cum in paribus non fiat extensio de persona in personam. Nos affirmamus cum Bald. in l. *fin. C. de Contrah. empt.* Lanfranc. de *Arbit. divis. 7. n. 60.* quia compromissum ex intentione partium habet istum sensum, ut sub pena solvatur, quidquid vel bonus vir *electus*, vel bonus vir *Legatus*, id est, iudex pronunciavit.

12 *Quæritur V.* Utrum is, qui petit reductionem, incidat in *penam*, quasi contraveniens *arbitramento*? Pro affirmativa faciunt duo tex. difficiles in l. *qui Roma. 122. §. fin. & l. quidam cum siltum. 132. ff. de V. O.* Verum nos distinguimus, an petens reductionem habuerit probabilem causam suæ petitionis, vel non? priori casu negamus, posteriori affirmamus *arg. d. l. 132. & l. quæro. 54. §. 1. ff. Locati.* Lanfr. d. l. n. 62.

13 *Quæritur VI.* An *Reductioni* renunciari possit in compromisso? *re affirmative*, ita tamen, ut talis renunciatio non extendatur ad eum casum, quo una pars vel dolo arbitratoris, vel alias enormiter & ultra dimidium læsa est, quod dolo futuro renunciari non possit, l. *si unus. 27. §. 3. ff. de Pact. tum etiam*, quod renunciatio ex mente partium non intelligatur de læsione enormi, *arg. c. veniens. 10. de Furejur.*

14 Finitur compromissum I. Morte arbitri. l. *4. §. ff. h. r. l.* II. Morte unius ex compromittentibus ante sententiam, nisi in compromisso heredum mentio facta sit. *Tex. & Pan. in c. fin. b. t. l. sed & 49. in fin. ff. eod. III. Reculatione arbitri suspecti. l. 9. §. 3. l. non distinguemus. 32. §. cum quidam. 14. ff. d. t. IV. Ubi dies sententiæ dicendæ præterita elapsa est. l. 1. C. hoc tit. nisi in*

compromisso dictum fuisset, ut arbiter diem proferre posset. l. *Arbiter intra. 42. ff. h. t. V.* Postquam sententiam Arbiter præsentibus litigatoribus dixerit. l. *diem proferre. 27. §. si quis. 4. ff. eodem.* Ad sententiam autem dicendam, ubi semel compromissum receperet, Arbiter per Judicem suum cogi poterit. l. *3. §. 1. & tot. t. ff. hoc tit.* Dicendam verò sententiam revocare aut mutare non potest: quia expiravit ejus officium l. *qualem. 19. §. 2. cum l. seqq. ff. d. t.*

Demum executio compromissi per ordinarium Judicem fieri debet, non per Arbitrum, qui *jurisdictionem* propriè non habet, sed tantum aliquam *notionem*. l. *3. C. de Jurisdic.* Aliter autem jus agendi ex compromisso datur ex Legibus antiquis & aliter ex novis. Etenim de jure veteri, si *pena* fuisset adjecta (puta ut is, qui compromisso non pareret, 100. solveret) agebatur ad *penam*; si minus, non dabatur actio ad id, quod Arbiter pronunciavit l. *2. ff. hoc tit.* nisi stipulatione interveniente ad interesse. l. *diem proferre. 27. §. ult. ubi Gottofr. ff. h. t. c. per tuas. 9. eod.* Nomine autem *interesse* non ipsa res, quæ petitur, sed expensæ factæ, vel in nova lite faciendæ communiter intelliguntur: Panorm. in d. *cap. per tuas. n. 17.* Hodie verò, licet *pena*, vel *stipulatio* compromisso adjecta non sit, si tamen sententia sive laudum *expresse* per subscriptionem partium vel *tacite* per lapsum 10. dierum *homologatum*, id est, confirmatum sit, dabitur actio *in factum*, ut vocat Justin. vel *condictio ex lege* coram ordinario Judice ad arbitri executionem. l. *pen. Cod. h. t.* Illud præterea advertendum est, quod si *pena* sit compromisso adjecta, tunc compromissum fiat *conditionatum*, seu *alternativam*, ut scilicet

Retur

stetur compromisso, vel solvatur *pœna*, utrum condemnatus elegerit; nisi *pœna* superaddita sit clausula; *ratio manente pœna*: tunc enim ad *pœnam* & ad rem ipsam agi potest, ejusdemque clausula vim & effectum habere juramentum, et adit Panorm. ¹⁶ *in d. cap. per tuas. n. 13.* Sed intra quantum tempus committetur *pœna*, si non detur id, quod Arbitrarij dari jussit? Resp. esse distinguendum, utrum certa dies sit solutioni adjecta, vel non? Priori casu committetur *pœna*, si cessante legitimo impedimento intra diem præfixum solutio facta non sit. Si tamen etiam post terminum solutio ab altera parte acceptata sit, petitioni *pœnae* renuntiatur. *l. Celsus. 23.*

in pr. ff. h. t. Altero autem casu modicum tempus & arbitrio boni viri commodum solvendum conceditur; quod si præterea *pœna* quidem statim peti potest, si tamen debitor ante judicium acceptum solvere *pœna* liberabitur. *l. quid tamen. 20. ff. cod. tit.* Lanfr. *in d. 7. divers. n. 20.*
 Quid autem, si arbitramentum habet v. g. 4. capitula, & pars contraveniens uno, an committetur tota *pœna*, vel tantum pro rata, scil. quarta parte? Hoc post æquitati conformius asserimus, nisi aliis expresse conventum sit. *l. si servus. 9. ff. Si quis cautionibus &c. l. si procurator. 18. ff. Rem ratam haberi.*

FINIS PRIMI LIBRI.



LIBE